
SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT
LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

IN D. IVNII IVVENALIS SATIRAS COMMENTARII VETVSTI.

Post P. PITHOEI curas

auxit

virorum doctorum suisque notis

instruxit

D. A. G. CRAMER

IC. et Antecessor.

HAMBVRGI

apud Perthes. et Besser.

cIↄIↄcccxxiii.

DVVMVIRIS

ANTIQVAE VIRTVTIS ET ERVDITIONIS

H. W. a GERSTENBERG

POETAE

I. GVRLITT

THEOLOGO

UTRIQUE PHILOSOPHO ET PHILOLOGO

Commentarios hos

grati animi et amicitiae

causa

ex veterum formula

D. D. D.

Editor.

Si quis praeterlapsi post renatas bonas litteras temporis vices mente cogitet, et quid meriti quaeque aetas in omnem antiquitatis orbem contulerit secum perpendat, etsi fortasse nostrae, propter iudicandi subtilitatem honorem habeat: non tamen dubito fore, quin, quod ad meritorum summam pertinet, viris eruditis, qui saeculo decimo sexto floruerunt, palmam porrecturus sit, quorum vel propterea laus praecipua esse debet, quod protractis e tenebris vetustatis monumentis fere omnibus, ea deinceps emendando et varie illustrando, effecerunt, ut ad tantum frumenti acervum sequentes aetates non fere nisi spicas singulas addere potuerint. Quas inter praerogativas non iniuria hanc referemus, quod non contenti emendando et illustrando lumen intulisse antiquis illis scriptoribus, quos non ineleganter Classicos vocamus, insuper quoque e situ et pulvere eduxerunt vetustos illos eorum interpretes, quos recepto nomine Scholiastas nominare solemus, absque quibus foret, ut multa

omnis antiquitatis capita, et plurima scriptorum veterum fragmenta iuxta cum ignarissimis sciremus; neque quisquam tam est hospes in litterarum historia, quin vel fando audierit, quantum id sit, quod, ne plures nominem, Asconio debeamus, aut Donato, aut Servio, aut Boethio? In quibus canis Interpretibus, quem ille omnis antiquitatis sospitator, maximi praeceptoris Cuiacii maximus discipulus, PETRUS PITHOEUS, ante hos ducentos quadraginta annos ad Iuvenalem edidit, profecto non ultimum locum occupat. De cuius pretio cum dudum multi scite dixerint, atque in his recti iudicii homo, IAN. RUTGERSIUS *), ea pluribus repetere fastidimus, neque eos prolixe refellimus, qui secus iudicarunt, quod nuper adeo fecisse non valde acutum Poetae commentatorem, ipsius causa doluimus. Nam qui veterem illum Scholiastam non fugitivo oculo lustret, nec per transennam adspexerit, is facile deprehendet, quam multis ille Iuvenalis locis lucernam admoverit, quotve ille ritus moresque gentis Romuleae, caeterorum silentio oppressos, recluserit, quotve lacinia scriptorum servaverit ad posteritatem, quorum alibi nec vola nec vestigium, neque in fraudem ipsi imputabit, si quando absurda loquitur, aut protrita, aut adeo incredibilia. Neque enim, quasi gallinae filius

*) *Var. Lectt.* I, 16.

albus, exemptus fuit a fato, quod plerosque veteres Scholiastas mansit. Quorum omnium fere haec facies est, ut fundamenti loco sit antiquus aliquis grammaticus, doctus hercle, rerumque, quae tractavit, quo propior aberat ab illo quem illustravit scriptore, tanto etiam peritior; ad quem vero deinceps alii mediae aetatis magistelli, monachi, scholares, suas nugas suaque aegri somnia allinere instituerunt, neque in his sordibus substitere, sed, quae proba recta, ea detrahendo, interpolando, mutando ita in peius reformarunt, ut pristini auctoris facies passim aut plane oblitteraretur, aut sui prorsus dissimilis evaderet. Quam sortem mirum non est, expertum quoque esse Iuvenalis Interpretem, quo ille, sive Probus fuerit Grammaticus, quod Valla Casaubonusque existimarunt, sive alius quidam, cuius nomine caremus, antiquior fuerit et melioribus litteris magis imbutus. Neque enim de antiquitate illius dubitare nos sinunt illa loca, quae produnt addictum eum fuisse sacris olim Italicis, adeoque, quod probabile est, vixisse, antequam Constantinus Imp. Christianos caput extollere iussit; neque de doctrina, quae passim extant repetita e penitissima cognitione tum linguae utriusque, tum historiarum, et morum atque mythologiae. Quibus adde diffusam per optimos

scriptores lectionem, nec solum eorum, qui aetatem tulerunt, Herodoti, Varronis, Ciceronis, Plinii, Taciti, Suetonii, sed eorum etiam, quorum memoria paene evanuisset, ni per eum stetisset, quorumve scriptorum frusta, nisi ille, nemo servavit, non dico Ennii aut Lucilii, sed et Bibaculi, Cinnae, Turni, Pompeii Plantae, Scaevae Memoris, Lenii. Sed quod in reliquis accidit Scholiastis, id nostro quoque Interpreti fraudi fuit, ut insequentis temporis iniuria nepotumque ignorantia, multa supprimerentur, alia insulse depravarentur, alia membris suis luxata atque hiulca fierent, aut alioquin ita mendosa, ut, quasi in deposito aegro, non sufficiat medicorum ars, sed ipso Aesculapio aut Machaone opus esse videatur. Quid? Nostri sors eo iniquior extitit, quod carere debuit ad hoc usque tempus plurium Codicum collatione, quae tamen, quantum caeteris huiusmodi Scholiastis ad sananda vulnera profuerit, vel unus Petri Danielis Servius Ms. testimonio esse potest, qui postquam in notitiam hominum venit, prius tamen quam ederetur, studia tum eruditorum hominum fere ad convitia usque provocavit. Sed non ita bene Nostro accidit. Qui enim primus illum in Commentario suo ad Iuvenalem quasi de mortuis excivit GEORG. VALLA, inter Philologos saeculi XV. nomen non obscurum, non nisi, ubi ex usu ipsi videbatur, pauca ἀποσπασ-

μάτια inseruit de libro suo, quem neque descripsit accurate, quod in magna tum MSS. librorum copia non solebant facere, neque nunc, ignaris quorsum postea pervenerit, in auxilium amplius vocare licet. Mancum fuisse constat, et ipse Valla prodit his verbis, quae, quoniam in paucorum manibus versatur illius commentarius *), placet adiungere. *Comperti*, inquit, *sunt mihi nuper Probi Grammatici in Iuvenalem commentarii, quantum adhuc audiverim, nulli alii cogniti, sed mirae brevitatis aliquando tamen perquam opportunos se notis obtulerunt, obtulissent vero sese adhuc magis, nisi nobis singula rimantibus, codicis nimium cariosa induisset* (?) *vetustas, et si in omnes libros comparati habeantur, qui vix tertii libri secundam attigerunt satyram.* Quando autem idem addit: *Probi interpretamenta, cuiusmodi ea fuerunt, quae sane perexigua sunt, ne in minima quidem parte subtraximus, aut immutavimus*, fidem hominis vacillare non immerito dixeris. Nam volvendo illum Vallae Commentarium, quem post Pithoeum nemo e tot Poetae interpretibus in subsidium vocasse videtur, ipse autem Pithoeus adeo negligentur adhibuit, ut vix decimam partem attigerit, Vallam, inquam, compertum habemus, non solum ad suam multoties orationem Scholiastae verba

*) Vsi sumus editione, quae Venetiis MCCCCCI. Fol. prodiit, praeter Vallae, cum commentis Ant. Mancinelli, Domit. Calderini et G. Merulae.

contorsisse, sed etiam plurima suppressisse, alia sibi adscripsisse, quae, quanquam singulis locis monere neglesimus, ne in nimiam molem excresceret liber, ubi tamen e re videbatur, sedulo adnotavimus. Cum autem, uti diximus, ipsius Vallae luminibus mox officeretur aliorum in Poetam opera, parum abfuisset quin una cum praediatore et adstipulatore suo intercidisset, ni PETRUS ille PITHOEUS eum a tenebrarum carcere liberali manu asseruisset *). Is igitur, quum a. 1585 una cum Persio Iuvenalis Satiras, emendatius longe quam ante, Lutetiae ederet, adiunxit veteres illos commentarios e Cod. olim Budensi **), quo Francisci fratris beneficio potitus erat, unde factum est, ut eorum princeps auctor in memoriam tanti sospitatoris *Scho-*

*) Fama est, Pithoeum hoc in opere plumis se Ios. Scaligeri exornasse. Cuius calumniae, dicam enim quod sentio, ipse ille Iosephus ansam dedit, in epistola ad Casaubonum (*Opusculor. p.* 515. *edit. Paris.* 1610, 4.) scribens: *se glossas vett. Iuvenalis ex prisco exemplari Iuven. Pithoeano et ex edit. Ge. Vallae collegisse, harum glossarum eclogarium fuisse.* Veruntamen qui ex his verbis malam Pithoei fidem exputant, nae illi ignari sunt morum indolisque maximi integerrimique hominis, Pithoei inquam, qui nec mercenaria manu indigebat, ut in publicos Iuvenalis agros derivaret fontes, in suo ipsius fundo natos, nec, si opus habuisset huiusmodi eclogario, siluisset nomen Scaligeranum, quod toties ob minima officia laudavit Vir ipse omnium laudatissimus.

**) Cuius frustra mentionem quaeras, ubi in primis quaerere licebat, in MARTYNII *Fragment. literar. rer. Hungaricar. Ienae* 1808 et 1809.

liastae Pithoeani nomine salutatus sit. Verum iste liber, quo Pithoeus utebatur, tam improbe habitus erat, tamque imperiti lectoris impio et infelici stilo passim erasus, infeliciore adeo calamo emendatus, aut mendatus potius et contaminatus, ut Editori recentioris scripturae vestigia quasi notae indicesque essent ad veterem indagandam atque eruendam. E quibus Pithoei verbis, ea ipsa enim retulimus, liquet, quam sint erronei, qui CASP. BARTHIUM *) secuti, in ea opinione sunt, quasi Pithoeus e pluribus Mss. variisque multorum glossis, quos edidit commentarios veteres, proprio Marte concinnaverit. Caeterum quo in terrarum angulo nunc lateat Budensis ille liber, nemo, quod sciam, adhuc memoriae prodidit. Interim edito semel hoc interprete, cum certatim ad eum decurrerent doctorum hominum studia, factum est ut denuo typis descriptus prodiret Heidelbergae primum a. 1590, deinde bis Lutetiae a. 1602 et 1613. idque non satis fideliter ad exemplar Pithoeanum. Sed enim postea in eandem provinciam peiore augurio involavit CORN. SCHREVELIUS a. 1648, malaque fide deserens Pithoei litteram, Scholiasten nostrum edidit castigatum, sine ullo indicio locorum, ad exemplum sibi a Cl. Salmasio communicatum, in quo hic ad libitum truci scalpello versatus fuerat. Quae res deinde incautum fe-

*) *Advers. XI*, 2. et *XLII*, 16.

fellit HENNINIUM, qui, ultimus Scholiastae Editor, nubem hanc sibi oblatam, non quidem semper, multoties tamen amplexus est, hoc interim merito culpam elevans, quod spicilegium animadversionum in eum Interpretem collegit e diversis multorum recentiorum commentariis. Veruntamen, quia ad curandum corpus minus belle habentis aegroti non nisi ferro et ense accedere potuerunt, saepiuscule audita est querula haec vox, nondum repertum esse alium codicem, e quo sanari possint lacera membra. Sed ecce bonum factum! Quum enim ante aliquot annos per Germaniam Helvetiamque iter faceremus, ut quidquid ex iuris Romani reliquiis in bibliothecis superesset librorum manu exaratorum consectaremur, neque omnino, ubi tempus suppeteret, caetera antiqui aevi monumenta negligeremus, delati tandem sumus in ipsis finibus Helvetiae ad fanum Sti Galli. Cuius urbis celebre a multis inde saeculis monasterium cum nemini olim sit superbire exquisitae antiquitatis rarissimis Mss. libris, meam tamen vel ideo in primis cupiditatem excitaverat, quod sciebam in ipsa illa bibliotheca olim latuisse membranam, e qua CUIACIUS primum Dosithei Magistri quaedam Fragmenta proscripserat, donec totam deinde in lucem protraheret MELIOR GOLDASTUS. Igitur in eam bibliothecam perquam humaniter admissi, dum curiose perquirimus venerandae antiquitatis

exempla complura Breviarii Alariciani, legumque antiquissimarum Germanicarum, Salicae, Alamannorum, Baiuvariorum, Ripuariorum, forte fortuna incidimus in pervetustum Codicem, Scholiastam Pithoeanum prae se ferentem. Ad quem conspectum illico exultare, nobismet ipsi gratulari, animoque consilium agitare eum librum contendendi cum typis edito. Mox tamen in desperationem acti, caput sinistra perfricare occoepimus, cum per totam urbem exemplar Interpretis typis proditum frustra expeteremus. Hac spe delusi, cum iam Tantalea fata metueremus et commisso in rempublicam litterariam angeremur, neque enim sperare poteramus meliore fortuna usurum, si quis post nos in eundem thesaurum forte incideret: eccum θεὸς ἀπὸ μηχανῆς fracto iam animo succurrit. Accidit enim fortuito, ut in ipsa illa bibliotheca quotidie haereret nobiscum Medicinae aliquis Doctor, homo ab eruditione quidem non plane alienus, artis autem pingendi fingendique litteras omnis generis aetatisque artifex ad miraculum peritus. Adeo hominem, ex invidia fortunae male laborantem, depeciscor, ut quam accuratissime, neque omisso neque addito apice, transcribat transscriptumque Monachium mittat, quo, vasa iam colligens, proxime iturus eram. Proficiscor, et quo magis ille per epistolas de negotio commisso quaeri, moramque

nectere, tanto ego cupidius instare. Tandem *ἀπογραφον* adfertur. Sed, Dii boni, quae tum mea admiratio, quis stupor! Nam, quod vix per somnium imaginatus eram, bonus ille homo et egregius artifex brevi mora confecerat exemplum *πρωτοτύπου* imaginem, Fac Simile nunc vocant, ita ad amussim referens, ut ovum ovo non possit similius esse. Ita enim pagina paginae, linea lineae, littera litterae ex asse speciem referebat, ut, ni in charta scriptum fuisset, Iovem lapidem iurares, ipsam te illam membranam prae oculis habere. Domum reversus, postquam e negotiis interim coacervatis pululum emersi, de communicanda cum orbe erudito varia mei Codicis lectione cogitare incipio. Sed, ut fieri solet, mox mora moram trahere, ut tamen captum consilium nunquam ex oculis plane demitterem. Tandem, cum de re perficienda ne mihi ipse deessem, certo statuissem, cum amico V. Cl. Twestenio, rem communico. Is vero propositum non prorsus damnavit, melius tamen habere contendit, si integra illa Commentaria curarem seorsim typis exprimi, vel ideo adhuc desiderata, quod per paucas editiones sparsa, inventu rariora essent. Persuasit nullo negotio, eoque facilius, quod dudum in eam cogitationem veneram, omnino e republica fore, si quis institueret, ut in posterum separatim extarent, quotquot sunt classicorum

auctorum Scholiastae veteres, plerisque ad hoc tempus inaccessi, sive propter raritatem sive propter editionum caritatem. Quod consilium nunc in Iuvenalis Interprete coeptum, nisi displicuerit quibus in senatu sententiae dicendae ius est, non difficulter posthac ad reliquos, Asconium, *Donatum*, Servium, caeteros, propagari poterit. Et in Iuvenalis quidem Scholiasta hoc intendimus, ut fundamenti loco, idque pure praestaretur contextus Pithoeanae editionis. Deinde ut interspargerentur et asterisco insignirentur glossulae, quibus locupletior est Codex San-Gallensis, adderentur denique et uncinulis includerentur, quibus beatior fuit liber Georg. Vallae, quo Pithoeus satis perfunctorie usus fuit. In subiectis autem notis quidquid est ad Pithoeanum contextum variae lectionis ex nostro Cod. et Vallae transscriptum dedimus, modo id ad sensum aliter aliterve constituendum conduceret. Neque enim tanta est horum scholiorum maiestas, ut non debuerim in chartae compendium supprimere, quidquid fuit manifesti vitii. Quanquam enim facile in eorum sententiam descendimus, qui in conferendis MSS. scriptorum aureae aetatis aut etiam argenteae existimant, ne minimum quidem γρῦ silentio premendum esse: tamen hos quoque largiter peccare existimamus, qui eandem hanc superstitionem adhibent in auctoribus, qui

a re quidem, non autem ab oratione ac stilo commendabiles sunt. Adiunximus praeterea, ne quid desiderares, in quo a recepta Codd. lectione abiit Schrevelius eumque secutus Henninius. Ac ne omissas quis queratur recentium scriptorum in Scholiastam emendationes, subiunximus suis locis Spicilegium illud, quod Henninius in calce suae Ed. conflavit, plus duplo auctius e nostra lectione. In quibus non ultimum locum obtinent doctae animadversiones Schurtzfleischii, plerisque non visae *). In his tamen animadversis aliorum licentius egimus, contrahentes aut resecantes nimiam verborum affluentiam. Ad manus quoque fuit Schrevelianae exemplar, quod olim multis in margine notis oneraverat IO. ALB. FABRICIUS iamque servatur in Bibliotheca Academica Hafniensi, ab eiusdem custodibus liberaliter concessum, quod tamen parum opis attulit, cum pleraque iam ab Henninio occupata essent. Quod autem de mea penu accessit, id, quoniam anser inter olores sumus, nolim computatione comprehendi. Et sic missum facere lectorem poteramus, nisi superesset, ut de Codice, quo usi sumus

*) in libro cui titulus: CONRADI SAMUELIS SCHURTZFLEISCHII *Spicilegium animadversionum in D. Iunii, Iuvenalis Satyras XVI. . . , cur. Henr. Leon. Schurtzfleischii.* Viennae 1717. 8. raro occurrit rumorque fertur, pleraque libri exempla igne conflagrasse, priusquam in vulgus irent.

San Gallensi, paullo plenius diceremus. Is in monasterialis bibliothecae Catalogo his siglis: *D.* *n.* 476. designatur et inibi ad saeculum decimum reiicitur, etsi nobis magis esse videatur, ut ad undecimum pertineat. Scriptus est continua serie, absque ipsius Poetae contextu, in membrana satis laevigata, forma, quam in Quarto vocant, charactere Longobardico minore, litterisque elegantissime pictis, non quidem absque siglis et scripturae compendiis, nec tamen illis imperviis aut admodum frequentibus. In Graecis vocabulis utitur litteris maiusculis, quas *unciales* appellare mos est. Nulla ibi rasura, nulla litura, ut solet in antiquissimis bonae notae libris, quare, si quando aberravit stilus, subiectis punctis indicatur, quo nil decedat pulcritudini externae. De cuius virtutibus caeteris et quasi animi bonis, utinam paria proferre possim et codicem hunc in coelum ferre, more plerorumque criticorum, qui ubi exemplar nondum collatum adepti sunt, gloriandi neque principium invenire, neque exitum evolvere possunt. Verum id temporum meorum secta non patitur. Habet quidem ille dotes suas easque non spernendas. Locupletior enim est quandoque Pithoeano, nec, quas plures habet glossas, omnes de nihilo sunt. Suppeditat quoque singulas passim lectiones, quibus in integrum restitui possit depravata Budensis. Sed ubi hunc in

rebus gravioribus et scitu dignioribus, quod saepe fit, lethale prorsus vulnus insedit, quod vel doctissimos ad desperationem adegit, noster plerumque aut universam eiusmodi glossam silentio praetermittit, aut adeo pertinaciter inhaeret mendis et lacunis illius Budensis, ut a vero propius sit, utrumque ex eodem fonte manasse. Et hactenus de intercute. Superest ut de exteriore Codicis oeconomia breviter tradamus. Iam in ipso limine extat bene longum carmen heroicum, intermixtis hinc inde alterius generis versibus, quin adeo glossulis aliquot. Versus sunt 458 plus minus. Insequitur a pagina inde 31. brevis farrago variarum glossularum, sine certo ordine aut delectu, maximam partem ex interprete Iuvenalis et Persii consarcinata; et tum a. p. 40. ad finem usque membranae, h. e. usque ad p. 326. integer Scholiastes. De carmine illo, quod in fronte est, si quaeris cuiusmodi id sit, scito esse Centonem e variis poetarum veterum, Ennii, Lucretii, Virgilii, Horatii, Ovidii, Martialis, Prudentii, Iuvenci, praecipue autem Iuvenalis, e quo solo versus 293 descripti sunt, et si qui sunt alii, pannis consutum, non tamen ad morem aliorum Centonum, in quibus ingeniose ex multis quidem auctoribus versus coacti sunt, ut tamen unum aliquod corpus conficiant. Nostrum contra carmen ita est coagmentatum, ut inter se nulla

sit singulorum quod ad unum aliquem sensum iunctura, imo vix est ut singulus versus sit, qui perfectam aliquam sententiam efficiat. Quicunque enim eius compilator est, is unum hoc animo versasse videtur, ut quasi quandam chrestomathiam conderet, unde exempla ad institutionem, nescio quam, artis versificatoriae depromi possent. Plerosque singulos versus ad suos auctores referre non est difficile, et retulimus. Supersunt tamen pauci quidam, in quibus memoria defecit, non adeo recens a lectione poetarum, in primis Christianorum, e quibus plera pars eorum, quae in reliquis est, petita videtur. Eos hic in vacuum iactare visum est, si forte lectori cuidam, quod non dubito, promtior sit et magis in numerato memoria, simul ut extet illius Centonis quaedam informata imago. Sunt autem hi fere, scabrosi interdum et contra legem pediam facti, de quo singulatim monere non est visum necessarium.

Quod refert clauso versatum agitare palato.
Et maris Ionii transieritis aquas.
Hae (l. *Haec*) ubi dixeritis servet sua dona rogate.
Execranda forent quae suffocata cruore.
Constitues in carne meum praeputia ferro.
Cassio libri potens titulaverat ordine dorus. *)
Vipereasque minas et scorpionum atque inimicae;
Nec minor illorum convitia flamma sequetur.

*) exemplum est Tmeseos.

Offerat in mundis caeno exhalante cloacis
Lecticam sellamve sequar nec ferre recuso.
Si ranam ex oleo decoxeris abice carnem.
Per legem Aeonio cantatas carmine ranas.
Tulex in acinis cera dissolvit et ova.
Admixtoque oculo in vices conprimet atras.
Cum tamen haec tua sit Zoiles scandapila est.
Copia nec vobis nulla prohibente videri.
Sidonis inter ei magno clamore per herbas.
At penes Augustos patriae tutela manebit.
Quem modo stellarum caelis delphina manebit.
Intendit gressum mediocriter hos quoque Parcae.
Principium capiunt Phoebus et annus idem.
Hunc morem Aeneas pietatis idoneus auctor.
Vix umbilicum multa opertum fascia.
Mox habuit sacrae colere ac servare necesse est.
Tristis perspicua sit cum perdice cavannus.
Nec tamen haec quantum est in se dubitamus opinor.
Si pateas multa caucius in vice flagellas.
Cum nigrile mures ovoque pericula rupto.
Hausit terra sacros aut fonte aut sanguine mores.
Exundatque suo iugiter unda deo.
Saphyrique decus nigri flavive coloris.
Ergo humilem postquam malesana superbia mentem.
O bene dicta inter mulieres unde mihi hoc.
Arridere hilares pulso certamine turmae.
Cum nitet aurato et cum sit phosphorus astro.
Mollitur (f. molliter) austerum studio florente laborem.
Innuba solertes curamque instigat in artes.
Cetera Cecropeas secum perhibere cathedras.
Denique luguber vultus nunquamque videndus,

Thebanus hinc iuvenis superatis sit deus Indis.
Ut famulans homini locupletem fundere partum.
Pabula lascivis sed erit sincera capillis.
Firmasti cunctum teneris expone papiris.
Nec non mandragorae gustu sopor additur altus.
Lumbrici terrae poterunt conducere ulnus.
Convivium divum componens caliopea.
Innectit pedicas nervosque in vincula tendit,
Samnites Marsusque leui sudore gerebat.
Maiestas infida locis et creditur istis.
Te quoque nostra tuis promet bibliotheca libris.
Et nihil est, quod non inopino captus amore.
Exorandus erat ducibus quoque vita petita est.
Aut micnere novi percusso pumice fontes.
Evomuere fretum contorti vestici fundae.
Cinnamum hic auraque procul spirantis amomi.
Austerum mundi studio florente laborem.
Latior ingenito surgit de fornice flamma.
Quicquid Socratico manavit ab ordine, quicquid.
Mane piger stertis, surge inquit avaritia heia.
Surge. negas. instat. surge inquit, nequeo, surge.

Sed satis est nugarum et sufficiunt haec ad cognoscendam chrestomathiae huius indolem. Superest ut moneam, ad constituendum textum Scholiastae, qualem stitit Pithoeus, me prima quidem et secunda eius editione caruisse, quorum utramque in his oris frustra quaesivi, adhibuisse autem editionem, quae Lutetiae 1613, 4. prodiit, satis, ut videtur, fidelem. Excusa ea est, duplici titulo or-

nata, nam in ceteris una est. Alterius autem haec est Subscriptio: LUTETIAE, Apud CLAVDIUM MORELLUM, via Iacobea ad insigne Fontis. M. DC. XIII. *Cum Privilegio Regis*; in altero haec: LUTETIAE. Apud IOANNEM ORRY, via Iacobaea ad insigne Samaritanae. M. DC. XIII. *Cum Privilegio Regis*. Illud quoque molestum fuit, frustra me, dum haec scribo, praestolari novissimam ab Archaintrio procuratam Iuvenalis editionem, in qua recusus exstat et ipse Scholiastes. Sed omnium maxime dolui defuisse mihi operam et clarissimi et doctissimi Philologi, Heinrichii, quem dudum moliri novam Poetae ἔκδοσιν, neminem credo nescire. Igitur, si quis nostram opellam putaverit esse non nisi praecursorem melioris operis, is recte opinabitur, nec severius aget cum ICto, quem si in re non sui iuris publici boni causa peccaverit, et legum solutionem et mitiorem censuram exspectare non est iniquum.

AD SATIRAM I. COMMENTARII.

VS. 1. *Semper ego* [1]. Iuvenalem aliqui Gallum propter corporis magnitudinem, aliqui Aquinatem dicunt. Ea tempora Domitiani tyranni, quibus etiam ipse vixit [2], eo quòd in aula ipsius plus histriones, quam bonae vitae homines possent [3], graviter carpsit. Hos autem libros in exilium missus ad civitatem ultimam Aegypti. Hos [4] ab ipso Domitiano, scripsit. Ideo autem in exilium missus est, quia dixit versum illum [5].

Quod non dant proceres, dabit histrio [6])

Nunc autem hoc inducit, quasi carptum se per figuras a miseris poetis, qui nil novum, sed omnibus notas fabellas recitarent, et dicit magis ideo satyram se scribere, ut possit mores illius temporis demonstrando notare.

1 Scholion hoc reposui in eum locum, quem tenuit in Budensi et habet in Sangallensi, quem deinceps brevitatis causa hac sigla: *Sg.* notabimus. Avulsit illud Pithoeus, et inseruit notis in illam Iuven. vitam, quam Suetonio quidam, alii probabilius Probo tribuunt, incerto tamen utrique argumento. Caeterum quae hic legitur, procul dubio non est a

vetere Interprete, sed a sciolo conficta, quod vel prima verba ostendunt. Nam quod de Iuvenalis corporis magnitudine refert, teste caret, et plane insipida exin illatio est Gallum fuisse. Cuius rei originem tamen inde, quod pro *Aquinate* falso legerit *Aquitano*, video derivari a Franckio, in hoc litterarum genere ad laudem citato pede gradiente, in Vita Iuvenalis propediem exspectanda. p. 118. 2 Sg. *eo tempore* et *erat* pro *etiam* et deinde pro *histriones* habet *striones*, ea apocope qua saepe medio aevo utebantur, unde et *Spani* pro Hispanis dicebant, de quo vid. Io. Rhod. in *Lex Scribon.* v. *Spana pix*; infra quoque est *spectatio* pro exspectatione. 3 Sg. *possunt.* 4 pro *Hos*, civitatis illius Aegypti nomen reponendum *Oasi* sive *Oasin*, peninsulam exiliis celebrem, cuius et hic idem interpres meminit ad Sat. IV. Sed et ap. Hieronym. in Epithaph. Nepotiani male hodieque *Assae* pro *Oasae*. Nam de *Timasio* loquitur, quem *Oasa* relegatum Zosimus exadvocato fisci clare narrat. PITH. — Legendum *Houasim* nuperrime docet *Francke* d. l. *p.* 50. Recte etiam Cuiacius ubique *Oasim* effert, non *Oasa*, quem nec reprehensum vellem, quod *Obs. VIII*, 27. (sic enim legendum) edixit Oases falso dici Insulas. Edixit autem rite, quia in prosae scriptoribus ἀμφιβολίᾳ non caret. Res est periculi, Cuiacium arguisse. Caeterum semel monuisse sufficiat, asteriscum, quem ante *Hos* habet Pithoeus, omissum esse tum hic tum alibi quoque, quippe insertum contra fidem Mss. 5 Sg. *illum* abest. 6 Sg. *strio.* extat locus *Sat. VII*, 90.

2. *Theseide Codri.* Cordus [1] hic poeta fuit vitiosus, qui tragoediam [2] Thesei scripsit, de quo Virgilius dixit [3]:

sedet aeternumque sedebit
Infelix Theseus.

1 Henn. *Codrus.* refinxit enim ad suum Poetae textum quod seduxit Rupertum, ut fidem ipsi faceret Scho-

liastam sic habere. 2 Sg. *fabulam* addit. 3 *Aen. VI*, 617.

3. *ille togatas.* Togatae sunt comoediae Latinae, Palliatae Graecae, quales Afranius fecit [1].

1 Afranium dedisse togatas notum est; itaque verba illa, *quales Afr. fecit*, retrahenda sunt, et *togatis* subiicienda. FERRAR. *de re Vest. II*, 4, 1.

5. *Telephus* * Filius Eraclis et Augustae [1], a cervo nutritus est. *

plena iam margine. Notandum marginem foeminino genere dici, cum Ovidius masculino dixerit [2].

1 Lege: *Anges*, et mox *cerua*. res nota est. 2 Sg. contractius, *dicit, Ovidius masculino.* Vide hunc *Metam. I*, 13.

6. *Orestes.* * Orestes [1] Thyestis filius dum Clitemnestram uxorem Agamemnonis adulteraret, illa amoris illius causa, communicata cum eodem consilia, venientem e Troiano bello maritum percussit, quam postea filius dicitur occidisse. Orestes filius Agamemnonis et Clitemnestrae, qui [2] adulteram puniens matrem. *

1 Lege: *Aegisthus*, et mox, *communicato-consilio.* 2 Dele *qui.*

7. *Lucus Martis.* Lucum Martis dixit, qui Romae est in Appia [1], in quo solebant recitare poetae; aut illum qui apud Colchos est, in quo fuit pellis aurea; aut in [2] quo Ilia peperit.

1 Sg. *Appiam.* 2 Sg. abest, *in.*

9. *agant venti.* Pro follibus posuit [1].

1 Malim gloss. integram deleri, adeo inepta est et nihili. Schurtzfl.

10. *Aeacus.* * Aeacus, Minos et Rhadamantus, hi tres apud inferos fratres fuerunt. *

12. *Frontonis platani.* In Horatiana domo, in qua poetae recitabant.

20. *flexit alumnus.* Turnum dicit Scaevae Memoris [1], Tragici poetae, fratrem. Turnus hic, libertini generis, ad honores ambitione provectus est, potens in aula Vespasianorum, Titi et Domitiani. vel Lenium dicit, qui et ipse satiras scripsit; vel Silium, et ipsum sui temporis Satyricum, qui omnes ex Aurunca fuerunt.

1 Valla: *saevi rumoris*, ridicule. Caeterum totum abest hoc Schol. a Sg. De Satyricis tribus his v. Rupertum Diss. Ed. Iuv. praemissa p. CXVII.

23. *Figat aprum.* * Matrona [1], ut quod natura denegat, delitiarum affluentia largiatur. *

1 Lege *matronam*, apparet enim pertinere ad v. *Cum tener uxorem.*

26. *Canopi.* Canopus oppidum Aegypti, dictum a gubernatore Maenalio [1], qui ibidem morsu serpentis extinctus est.

1 L. *Menelai.* Strabo lib. XVII. de Canopo ait nominatum esse ἀπὸ Κανώβου κυβερνήτου Μενελάου. Schurtzfl. in textum recepit Schrevel.

27. *Crispinus.* Niliacus; unus de consulibus [1] Liciniae ac de plebe Aegypti fuit, magnarum

postea Romae facultatem [et promotionum, si quidem ex libertino Senator est a Nerone factus [2].]

1 Repone: *unus de consodalibus.* Rubén. Elect. II, 28. Sed *Consul* notat medio aevo *Comitem, Consiliarium*, sec. Dufren. Sch. 2 Addidi de Valla, qui sic Probum habere dicit.

28. *Ventilet aestivum.* Per luxuriam enim anulos aestivos et hiemales invenit [1].

1 Sg. *invenerat* f. *invenerant*, quod Valla legisse videtur.

31. *teneat se.* * Ut non scribat accusationes illorum. *

32. *Mathonis.* Advocati, qui sceleribus dives effectus est, et lectica genus vehiculi, quo nobiles vehebantur [1]; plena autem ipso, quia crassus fuit.

1 Hactenus desunt in Sg.

33. *magni delator amici.* Heliodorum dicit, Stoicum philosophum, qui Licinium [1] Silanum, discipulum suum, cum argueretur coniurationis, inficiantem, praeter domesticam delationem [2], etiam testimonio oppressit. Alii philosophum Egnatium Celerem, Bareae Sorani magistrum, qui ipsum apud Neronem detulit et damnavit, et ipse postea sub Vespasiano hoc, ipsum Musonio Rufo accusante, damnatus est. Nonnulli Demetrium caussidicum [3] dicunt qui multos Neroni detulit.

1 Emenda: *L. Iunium.* Lips. ad Tac. Ann. XVI, 7. Magistrum Sorani fuisse, alibi non lego, sed clientem ap. Tac. XVI, 32. et testem falsum, non delatorem, quod firmat Dio LXII, 26. 2 Valla: *dilectionem*, et tum *praeter* est pro contra. 3 *Cynicum*, Tac. XVI, 34 et Hist. IV, 40. Pith. Dubito, et *Caussidicum* retinere malim, cum *multos tyrannos deferre* Aristippeo, quam Cynico ingenio dignius sit, et plures tempore Neronis Demetrii florere potuerint. Sch. — Adde Cynici apud alios laudem, quos indicat Lipsius, quanquam nec vituperatione caruisse patet e Dione LXVI, 12. loco memorabili, quem non exscribo, ne auxilium portem ignorantiae eorum, qui nunc in eruditos homines, tanquam publici status eversores, tota, sed inani vi debacchantur.

54. *Et cito rapturus.* Delatione Siciliae maximam partem proscripserunt: ex quorum bonis multa diripuerunt. Namque hoc, quod rapturum dicit, ad crudelitatem refert. Et a Sylla multi occisi sunt et proscripti [1].

rapturus * Consumpturus. *

1 Haec adeo corrupta et mutila sunt a capite, ut sine ope codicis subvenire qui velint, oleum et operam perdant. Sch. Neque qui adiecit, de Syllana proscriptione somniasse videtur, deceptus eo, quod is primus proscripsit. In Sg. utraque gl. coniungitur diverso ordine et magis adhuc corrupte. Ita enim habet: *Heliodorum significat delatorem vel ceteros delationem Siciliae partem maximam perscripserunt, ex quorum bonis multa diripuerunt. Namque hoc quia rapturum dicit ad crudelitatem refert. Nam a Silla multi occisi sunt et proscripti. Heliodorum dicit Stoicum phylosophum, qui Licinium Silanum discipulum suum cum argueret coniurationis. Inficiat cum domesticam dilacionem etiam testimonio oppressit. Alii filosophum Traiani di-*

cunt, qui Boream Senatorem detulit et damnavit. Nonnulli Demetr. caet. Deinde rursus ad eandem rem delabitur vs. 47. his verbis: *Soranum Baream Celer philosophus magister ipsius apud Neronem scelere damnationis* (f. delationis) *occidit, et ipse postea sub Vespasiano hoc ipsum Vsimio Ruso accusante damnatus est.* Nec meliora, imo truncatius adhuc, Valla.

35. *quem Massa timet.* Massa morio fuisse dicitur et [1] Carus mimus [2]; Latinus vero actor mimicus [3]. Hi omnes Neronis fuerunt liberti [4] et delitiae Augustis [5], sed et nequissimi delatores. Latinus autem [6] mimus, quasi conscius adulterii Messalinae, uxoris Neronis, ab ipso [7] occisus est. Massa autem et Carus, Heliodoro deferente occisi sunt: cuius futuram delationem metuebant, ut ei munera darent. Nam Latinus Thymelem [8] mimam summittebat ad mitigandum.

1 Henn. *et* delevit. 2 Sg. *nanus*, quod nemo non probabit. Consentit Valla, ap. quem plenius: *nanus Traiani.* In deliciis fuisse nanos constat vel e Sueton. *Tib. c.* 61. ubi Interpr. 3 Valla: *actor. i. mimus.* bene. 4. Sg. abest, *liberti.* 5 Lege: *Augusti,* Neronis videlicet, vel lege, *in aula,* quod tamen nimis a veteri scriptura dissidet. Sch. 6 Henn. *tamen.* temere. 7 Vall. *a Claudio.* In seqq. ante *metuebant* Schrev. inserit, *ita,* 8 Sg. *Thymilene.* an *Thymilenem,* falsa declinatione? post *Latinus,* Schrev. infert: *mimus.*

39. *vesica beatae.* * Divitis libidinosae. *

43. *Palleat.* Nimia coitus libidine fatigatus; aut expectatione [1] hereditatis; aut pretii [2] adulterii.

1 Sg. *spectatione*. 2 An: *pretio*, vel *poena?* sed sufficit *metu*, quod Sg. et Vall. habent.

47. *inani iudicio*. Non ademptis bonis. deeius[1] dicitur, sine litium aestimatione. Legis aestimatio illi non profuit. Subauditur nota.

1 Forte: *melius*. Litis aestimatio in criminib. repetundarum et de vi, legitima fuit, ut ex quadam Cic. ad Att. Epistola colligitur. Sunt et de hac ap. Plin. lib. II. IV et VI. Epist. loci plures, qui ad hunc quoque pertinent. Pith. — Ego totum locum refingo hoc modo: *Non ademtis bonis iudicium dicitur. Litis aestimatio illi non obfuit.* 48. Quid enim salv. inf. numis, *subauditur notut.* Rutg. Var. Lect. I, 16. — Lege: *nocet*. Gron. — Lego: *Non ademtis bonis. Inane iudicium dicitur, quod fit sine litium aestimatione. Legis aestimatio pupillo non profuit.* Quid enim. *subauditur, noceat.* Legis aestimatio est sententia legis. Vid. *Dufresn.* Glossar. p. 94. Pro *illi* tamen rectius legeris *provinciae*, vel *Africae*, vel simile quid. Sch. — Haec satis truculenta. In Sg. *adeptis* est, et *proficit*. Quodsi pro *decius* substituas *damnatus*, et, quo Valla quoque intendit *nocet*, pro *nota*, nihil admodum impeditum videtur. Nam *illi*, per se ad provinciam refertur.

48. *infamia numis*. * Infamis pronunciatus, sine dispendio pecuniae. *

49 *ab octava*. Qui iudicio vacabant, decima hora cenabant. Hic enim ab octava.

50. *provincia ploras* * quia spoliata. *

51. *Venusina digna lucerna*. Lucernam dicit[1], quia Satyrici ad omnium vitia quasi lucernam admovent, et ut adurant, et ut ostendant crimina[2]. Venusinam autem ideo, quia haec

fuit civitas Horatii, [Sive a Venusio, ubi laternae leves fuerunt, quae vilissimi venibant [3].]

1 Sg. *ideo dicit.* 2 Sg. *admovent et ut* (h. e. velut) *adurunt, vel ostendunt crimina quae noverunt.* Post autem voc. *Horatii* idem Sg. addit: *Lucernam autem, id est, aut talem Saturam scribo, qualem Oratius scripsit.* 3 Ex Probo G. Vallae. PITH.

52. *non agitem.* Non persequar; ut Virgilius [1]:

Pallantes Troas agebat.

Heracleas. Aut columnas in Hispaniis [2], aut Atlantem.

1 Aen. V, 265. 2 Sg. *Spaniis.*

53. *Diomedeas* * Socios Diomedis in aves conversos. *

Labyrinthi * Minotauri. *

54. *Et mare.* * Icarium dicitur. *

fabrumque. * Dedalum. *

56. *Cum leno.* * Maritus vendens coniugis castitatem. *

si capiendi Ius nullum. * Si facultatem mariti non habet, ut deprehendat spoliandos adulteros, quia nota est eius fraus, tamen conviventiam [1] suam adulteris vendit, et sic intelligitur. * Si uxor eius iure impediatur adultero succedere, ipse maritus leno succedit adultero heres, ut per fideicommissum res adulteri ad adulteram veniant [2].

1 Lege: *maritus* et *conniv.* 2 Doctrina haec Schol. contra ius impingit. Neque enim fideicommisso gaudere potest mulier, nisi quae et directe heres institui possit. Ad sensum autem Poetae sic tene. Mariti ex L. Papia Popp. tunc solidi capaces erant, si Solitarii essent, h. e. unius sobolis parentes; uxores non nisi trium liberor. aut quatuor beneficio. Iam leno hic cum uxore plane improlis. Haec adeo prorsus incapax. Ille autem ut capax fieret, et *bona acciperet*, i. e. ex asse heres fieret, adultero connivet, sperans adulterio ad minimum Solitarium factum iri. Monere placuit, quod videam nuper quoque in ea re explicanda deceptum esse hilarioris frontis philologum, Heindorfium ad *Horat. Sat.* p. 372.

56. *doctus spectare.* * Ut carius vendat adulterium, praesens est. *

58. *Cum fas esse.* * Ut accipiat consulatum. *
curam cohortis. Militum tribunatum.

59. *praesepibus.* Propter equos hoc dixit, et Neronem tangit.

61. *Automedon.* * Auriga. *

62. *lacernatae.* Satyrice habitu [1] virili foeminam describit.

1 Sg. *nam habitu.*

64. *sexta cervice.* Lectica, faciente luxuria, a sex hominibus portabatur.

65. *hinc atque inde.* * Ut ab omnibus videatur *.
cathedra. * In his rebus citatur [1] posset et in publico scribere. *

1 An: *imitatur*, scil. maecenatem, *ut possit* caet.

66. *multum referens.* * multum lucri capiens.* *supino.* * Superbo vel mortuo. *

68. *gemma fec. uda.* Saliva tacta, propter signaculi impressionem.

69. *calenum.* * Venenum dixit. *

70. *rubetam.* * A rana est, ex cuius pulmonibus vel sanguine fit venenum. *

71. *Locusta.* Locustam ex Gallis matronam veneficam Nero [1] exhibuit ad se [2] propter venena conficienda, quoniam magnae famae erat, et in [3] familiaritate habuit, ut etiam eum [4] doceret venena miscere. Inde ait Turnus in Satyra:

> *Ex qua Caesareas Soboles horrida Locusta.*
> *Occidit cura sui verna nota Neronis* [5].

Haec increpitata a Nerone, quod lentum venenum Britannico privigno [6] suo parasset, tam efficax dedit, ut antequam poculum Britannicus exhauriret, in convivio Neronis expiraret. [a Nerone venenum idem accipiebant multae ut maritos suos enecarent.] propinquas autem dicit, tanquam a Locusta doctas: vel, ut quidam, uxores,[7].

1 Sg. *Lucusta quaedam fuit in Galliis matrona, quam Nero.* 2 Schrevel *excivit*, *μεταπέμψασθαι ad se.* quod ut adulterinum recte reiicit Munck. ad Fulgent p. 6. 3 Sg. *quam etiam in.* Lege: *et tanta fam.* Sch. 4 Vall. *eum et plures puellas.* 5 Vallasic: *Ex qua Caesareas soboles Locusta occidit, Horrendum curas. dum liberat atra Neronis.* utroque loco corruptissime. Pith. — Lege: *horrenda Locusta Occidit, curis dum liberat arte Nero-*

nem. DELRIO ad Senec. *Octav.* v. 168. — *homicida Loc. Occid. curaeque veneni admota Neroni est.* CASAUB. de *Rom. Sat. II,* 3. — Sed his emendationib. si nihil aliud, syllabae modus obstat. Primam enim in *Locusta* Iuvenalis producit. Ego quid statuam, nihil habeo. RUTG. *Var. V,* 10. — Lego: *horrenda Lucusta Occ. Circes vi vernae nota Neroni.* BARTH. *Adv. XXI,* 11. — Vir doctus margini adscripserat: *Locusta cecidit Arte venenifera iam vernis nota N.* at procul dubio scripsit Turnus: *Et quo Caesaream sobolem L. occidit Horrida, caede suis vernae iam nota N.* cui coniecturae fidem facit Sveton. *Ner.* 33. ANON. in *Obs. Misc. Vol. V. p.* 264. — Versus ita legendi: *Ex qua Caesaream subolem Loc. horrenda Occidit, cura germani n. N.* Prior est Spondaicus Ennianus. *Curam* interemtionem dicit. *Germanum Neronis* vocat Germanicum, ut Tacit. et Sueton. Neronis *fratrem.* Locus inde corruptus, quod Scholiasta mox Neronis *privignum* vocavit. Et sane nulla cognatio, nisi civilis Neroni et Britannico fuit. SCH. — Scribe: *horrenda Loc. Occidit, Circe inter vernas nota Neronis,* vel, *curans saevi fera vota Neronis.* WERNSDORF ad Poet. Minor. Vol. III. p. 82. — In quibus coniecturis, hoc unum certum est, suam cuique auctori placuisse. 6 L. *comprivigno,* ANON. *l. c.* — Ap. Vall. *priv. suo* abest. 7 Sg. *quidam uxorem dicunt propinquas.*

72. *nigros.* * A veneno. *

73. Gyaris. * Insula, ubi damnati mittebantur. *

75. *debent hortos.* * Illis donant hortos, argentum, vel caetera quibus conscientia tenentur obnoxia. *

76. *extra pocula.* Dicit emblematum [1] opus. Caper hic praecipue ab omnibus praedicatur, quem etiam Martialis carmine suo laudavit:

Stat caper in phiala [3], *Thebani vellere Phrixi*
Cultus: ab hoc mallet vecta fuisse soror.

1 Ms. *emblematicum*, melius, nisi *emblemare* veteres dixisse credas. Sch. 2 *Caper* etc. desunt in Sg. Valla *hominibus* pro *omnibus*, solita confusione. 3 Pro *in phiala*, ap. Mart. VIII, 51. *Aeolio* legitur. Almelov.

77. *dormire.* * dissimulare. *

78. *praetextatus.* * Puer qui adhuc vir non est. *

80. *Cluvienus.* * Delerus poeta, vel indoctus.*

81. *Ex quo Deucal.* * Ab initio mundi. *
tollentib. aequor. * Per diluvium. *

82. *sortesque pop.* A Themide, quae ante Apollinem responsa dabat.

85. *Paull. anima cal. moll. saxa.* Anima, id est spiritus. Et mollia saxa, ut Virgilius [1]:

Inde homines nati, durum genus.

Et quod addit, Et maribus, per consensum ostendit esse durissimum.

1 *Georg. I*, 63.

86. *farrago lib.* * Hoc est, vitia hominum dant nobis scribendi materiam. *

87. *uberior.* * Id est fecundior. *

88. *alea quando.* * In ellipsin dicit hoc; subauditur, habuit. *

90. *luditur arca.* * Ad interitum, eventum. *

91. *dispensatore.* * Subministrante pecuniam. *

92. *Armigero.* Metaphora a bellantibus. id est, qui arma praebet, tesseras et tabulas [1], et ipse qui nummos sub pignore portat, vel qui subministrat pecuniam.

1 Sg. rectius *et tess. et tabulam.* mox idem *pignora.* videtur autem hemistichium esse, nescio cuius poetae: Verba: *vel q. s. pec.* desunt in Sg.

93. *horrenti.* * Trementi, nudo. *

95. *Secreto.* Non in publico convivio, sed privato. * In praeterito ostendit hanc vitam non fuisse, ideo dicit habuit [1]. *

avus. * Quis tuorum avus aut tam locuples, aut tam luxuriosus fuit, ut tu es. * Moris autem erat apud antiquos, ne quis adderet possessionibus suis, aut ex illis minueret [2].

1 Pro *habuit,* lege *coenavit.* 2 Illustrat haec Savaro ad *Apollin. VII*, 14.

96 *Limine p. sedet.* * Vult intelligi, quod apud Veteres, quamvis pauperes esse [1], tamen maiorem humanitatem fuisse; nec aut eam solam videri humanitatem, si detur sportula, et ipsa tenuissima, tamen [2] ab honoratis non excludaris, qui ad eam sine pudore conveniunt. *

1 Valla, qui hanc gl. suam fecit, recte: *pauperiores essent,* et mox, *nunc autem* pro, *nec aut.* 2 Vall. recte: *nisi tamen,* excluso *non.*

99. *Agnitus.* * Id est, qui non agniti fuerint, non accipiunt, nedum humiles possunt accipere. pro explorati. *

100. *Troiugenos.* Patricios maiorum gentium.

et ipsi. ° Id est, cum pauperibus ipsos nobiles. *

104. *Natus ad Euphr.* Mesopotameni homines effrenatae libidinis sunt in utroque sexu, ut Sallustius [1] meminit.

molles quod in aure f. Arguit homines, qui cum propter libidinem libertatem meruissent, et in libertinorum corpus et tribus relati essent, pertusis auribus signa libertinorum celare non poterant.

1 Scriptum illud Sallustii iam in deperditis est. Quod ad vocem *Mesopotameni* attinet, singularis illa et ad usum vulgarem efficta est. Id docemur a Stephano in Δοκίμειον, ubi sic est: τὸ ἐθνικὸν Δοκιμεὺς κατὰ τέχνην, κατὰ δὲ τὴν συνήθειαν Δοκιμηνός. Huius vero vocis non nisi unum praeterea auctorem habeo Spartian. in *Adrian. c.* 21. Ibi in editis quidem est: *a Mesopotamiis non exegit tributum,* sed in vetustissimo libro aperte scriptum deprehendo: *Mesopotamenis non exegit tributum.* Is Codex minimum initio saeculi noni scriptus in membranis, ut fere solent circa tempora Caroli M. et paullo post, admodum crassis, parum laevigatis et hinc inde ab excoriatore pertusis, continet Historiae Aug. Scriptores minores et est inter κειμήλια Bibl. Regiae Bambergensis non extremus. Est formae quartae, charactere Longobardico et Saxonico misto, mihique cum ibi morarer in usuram a V. CL. Jaeckio, thesauri illius praeposito, perquam liberaliter oblatus. Atque huius quidem Cod. lectionem firmare omnino videtur liber Palatinus, quo praecipuo duce usi sunt Salmasius et Gruterus

olim. Refert enim ibi Salmasius: Palatinus, *Mesopotamenses non exegit trib.* quae et ipsa latina locutio est et vetus, et deinde: *Mesopotamenses*, nam Graecis Μεσοποταμεῖς et Μεσοποταμηνοί. Equidem in Palatino legisse Salmasium *Mesopotamenos* aut *Mesopotamenis*, quae sola lectio adiuvatur Graeco illo Μεσοποταμηνοί, quod in testimonium adduxit, deinde memoriae lapsu *Mesopotamenses* finxisse, non dubius sum. Imo rem sic se habere liquido iuraverim, qui non una coniectura certus sum Bambergensem illum Codicem non alium esse, atque famosum istum Palatinum, cui vitam me reddidisse hac occasione laetor. Verum alibi forsan erit, ut haec plenius enarrentur.

105. *Quadringenta.* Qui erat census antea Equitum Romanorum.

quid confert. * Lucillius: aurum atque ambitio sum specimen virtutis [1].

1 Erade illud *sum* Integriores extant infra in gl. ad *Sat. III*, 143. Retulit Dousa in Lucilii *Satyr. Reliquiis* (L. B. 1597.) *p.* 5.

106. *purpura maior.* Laticlavium [1].

1 In uno Vet. Cod. additur: *maior, id est scutulata*, et infra: *maior abolla. Est et angusticlavium.* Pith.

108. *Conductas Corv.* * Quid praestat nobilitas, si mercenarius alienus nobilis est, tu pauper. *

109. *Pallante et Licinis.* Pallas et Licinius in aula Claudii Caesaris praepositi [1], curam Reip. gesserunt, cum libertini essent. Pallas, libertus Claudii Caesaris, officium rationum administravit, et in numerum Praetorum relatus, quod primum percunctantem Caesarem de incestu Agrippinae, ad nuptias confirmasset. Eamque ipse consuetu-

dinem stupri adeo palam fecerat, ut in quodam simulacro. Palatinae Minervae adscriptum sit: ΠΑΛΛΑC ΑΙΤΙΩΤΑΙ [2]. Licinius ex Germania puer captus, tantae industriae fuit, ut reliquias cibariorum inter conservos foeneraret, et cui quid credidisset, quali poterat chirographo, pugillaribus subnotaret; quos cum in expeditione quadam, transiturus flumen, in vestimentis recondidisset, C. Iulio Caesari quondam ei deneganti pugillaribus [3] quicquam annotatum, barbarus lugens obtulit; statim ad dispensationem admissus, non multo post manumissus est; dein curationi Galliarum ab Augusto praepositus, eas spoliavit: et cum flagraret invidia, basilicam sub nomine C. Iulii Caesaris aedificavit. [Decessit sub Tiberio, proinde dives, quod Cassii [4] opes etiam exhausisset, et dictus est habuisse nummos, quantum milvi volant. Vnde Persius:

Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedes.

1 Id est, cubicularii Sch. Sed si tales iam sub Claudio, certe privati fuerunt, nec Reip. curam gesserunt. Intellige, *Custodes principalium opum, sive rerum curae Caesaris*, qualis ipse ille Pallas cluit in infami illo SCto in eius honorem facto, ap. Plin. Epp. VIII, 6. et manu ducit Schol. verbis: *officium rat. admin.* In Sg. deficit glossa in verbo *essent.*
2 Lege ΑΓΙΩΤΑΤΗ. Graev. Nisi forte: ΑΙΤΙΩΤΑΤΗ. Henn. — Lego ἀΐτᾳ, id est, *Pallas amasio S.* sic enim amasium in duodecima Idyll. inscr. vocat Theocritus et in Cass. Lycophron. Lacuua visitur in Ms. duodecim et amplius litterarum, quod docet

plura forte verba Graeca excidisse. Sch. 3 Lege: *quondam deneganti in pugillarib.* Putabat nempe debitor deleta esse in pugillaribus, quae Licinius scripserat, dum fluvium transisset, Sch. — Ap. Vall. est *quodam denegante*, quod et recte Schrev. habet, sed et absque necessitate: *eos obtul.* Sensus, neque enim Schurzfl. recte percepit, hic est: cum quidam debitor negaret pugillaribus annotatum esse, barbarus Licinius creditor, lugens Caesari obtulit, ut forsan e vestigiis scripturae fides crediti cresceret. Illud quoque nota, Licinium tum adhuc servum, e peculio rem foenebrem exercuisse, liberiore in eo usum facultate, tanquam principis servum. 4 Lege: *Crassi*, et paullo post *fundos*, haec vero annotatio ex Vallae exemplari, vereor ne non sit veteris Interpretis. Pith. — Malim: *sub Tiberii imperio, probe dives, ut Crassi etiam opes exhauserit et d. e. h. fundos, q. m. volent. Exhauserit*, id est vicerit, superarit. Sch. — Persii versus est Sat. II, 36. ubi quisnam Crassus intelligendus sit, digladiantur Interp. Pro *nummos* in meo Vallae exemplari vir quidam doctus correxit· *campos.*

111. *Pedib. qui ven. albis.* Ostendit plus honoris videri in calceis, quam in persona. Illo enim tempore necdum Senatores nigris calceis utebantur, sed nudis pedibus, vel pulverulentis, vel braccis, vel pedules novos in braccis, quos pedornis dicunt, ut peregrinus [1].

1 An *pedurnos*, vel *udones?* Pith. — Lege, *pedornes*, a pedum ornatu, et *peregrinos*, quod non essent calcei Romani. Salmas. — Legendum: *quos perones dicunt, ut peregrinus*, deest habens, vel gestans. Savaro ad Sid. Apoll. IV, 20. — Leg. *perones*, et, licet interpretatio inepta, nam de gypsatis pedib. venalium intelligendum est, apparet tamen, eo tempore etiam pedules, *perones* dictos licet ex lana . . . sed cum negat, eo tempore Senatores nigros calceos portasse, falsus est; nam eum revincit Horatius, imo ipse Iuven. VII, 192. Fer-

RAR. Anal. c. 33. sq. — Lego; *vel baxeis, vel pedales nodos in buxeis habens, quos pedonus dicunt, ut peregrinus.* RUTGERS. Var. I, 16. — Lege: *pedortes.* *ποδόρτιον*, vestis ad pedes usque demissa, *ποδήρης*. MEURS. in *Gloss. v. ποδορτ.* — Forte: *pedules novas in calceis* scribendum; *bracis* tamen potest retineri; feminalia enim, tibialia et pedulia, h. e. feminales, et crurales et pedules fascias eadem appellatione donaverunt et *bracas* haec omnia appellaverunt. *Pedortes* pro *pedornes* corrigimus. Graeci *πεδόρτια* dicunt, et sunt fasciae pedules vel *πῖλοι*, quibus intra calceos muniebantur. ineptiunt qui *πεδόρτια* et pedules pro vestibus talaribus accipiunt ... pedes albos de pedortibus et pedulibus novis interpretatur Scholiastes, nam pedules illae fasciae albae. SALMAS. ad *Lamprid. Alex. Sev. c.* 41. — Mihi rectius videor legere, vel *braxeis*, seu potius *baxeis*, nam *braxeae* calceamentor. genus erat, quo utebantur cinaedi, factum ex salice, quod Graeci *καλὸν* vocabant, unde *calones* dicti. Sed verisimilior lectio *baxeis*. Baxeae enim erant crepidae et calceamenta philosophorum, quod probat Salmas. ad *Tertul. de pall. p.* 414. *sq.* Scalig. in *Catull.* Turneb. *Advers. VII*, 20. Confirmat meam sententiam, quod *pedules novos* in baxeis vocant, quod etiam calceamentor. genus est, *pedana* vocatum. Ita Isid. in *Gloss.*: *pedana, pedalis novus, qui caligae assuitur,* ubi Vulcanius legi vult *pedalis nodus,* Meursius vero in Gloss. p. 416. *pedulis novus,* quod probo. quod ad *pedornes,* pro quo legere *pedortes* Meursium diximus, malo *perones* substituere, iis enim antiquitus utebantur Cives Romani, ut docet Cato Orig lib. VII. *Qui magistratum Curulem cepissent, calceos mulleos alutatos, ceteri perones.* quod quale genus calceamentor. fuerit, docet Isidor. in Gloss: *Pero, calceamenta pilosa.* horum usus erat tempore hiemali, cum per nive tectas, vel glacie induratas, vel imbre corruptas vias erat eundum, hinc *rustica calceamenta* perones vocat Isid. Orig. XIX. 34. Serv. Aen. VII. 690. *Pero autem rusticum calceamenti fuerat genus,* unde Iuven. Sat. XIV. *Quem non pudet alto*

Per glaciem perone tegi. hinc iam coniicio peregrinantibus eos in usu fuisse. accedit Scholiasta, cum inquit, *ut peregrinus*, id est, Senator non calceis nigris, ut postea moris, utebatur, *verum vel nudis pedib. pulverulentis, vel braxeis, vel pedules novos cum braxeis, quos perones dicunt,* (indutus) *ut peregrinus* sc. incedebat, et certe gestavere Romani *perones* etiam gemmis superbos, ut ex Historicis constat. Almelov. — Posteriora verba lego: *vel* (non *sed*) *nudis pedib. vel pulverulentis, vel braccis, vel pedules novos in braccis, seu perones dicit, ut peregrinus notetur.* Sch. — His, nisi satietas te capit, adde *Raevard.* Var. 1, 8. et qui de calceis veterum scripserunt. Mihi sufficit annotasse, in Sg. esse *vel braciis*, et, *in bracis*, apud Vall. autem sic: *albis*, Probus hic exponit: *alias consuetus habere brachas, vel quod pedales novos haberet in brachis quos pedurnos dicunt, vel quod non nigris; non calceis Senatorum; unde urbane ostendit, plus honoris in calceis esse, quam in persona.*

112. *Quandoquidem.* * Inter nos quidem magna est divitiarum maiestas, etsi pecunia quidem nondum consecrata est et in numero sit Deorum, ut etiam colatur in templis, quemadmodum Pax atque Fides et cetera, ac per hoc ostendit tam inepte haec nomina coli, quasi Pecunia templum haberet *.

113. *Funesta.* Quoniam per scelera adquiritur: vel quod funerum faciendorum sit causa: vel quod per parricidia congeritur.

116. *Concordia.* Ciconia, quae contra templum Concordiae ex consilio [1] rostri sonitum fecit. Et satyrice salutato nido, non templo. Templum Concordiae vetus, in quo ciconia multa est.

1 Lege: *concilio*, id est, compositione rostri. SALM. Aliud quid latere videtur, quod forsan e Valla erues. Is ita: *Templum Concordiae*, inquit Probus, *est ventus* (l. vetus) *in quo Ciconia multa est; aut quae venientibus salutatum concordiae crepitu consensum prodebant; et satyrice salutato nido, non templo concordiae, crepitat rostro ciconia, scilicet quae concussione rostri sonitum pacis videtur reddere.* Quae an omnia Probi, mos Vallae dubitare sinit. Caeterum pro *fecit*, Sg. melius *facit*, a quo etiam verba *Templum Conc.* usque ad f. absunt.

117. *summus honor.* Senatorum.

118. *referat.* * Prosit *.

rationibus. * Vtilitatibus. *

119. *Comites.* Quid facient parasiti, cum senatores sic avidi sint ad sportulam?

121. *Lectica petit.* Lecticarum usum primi dicuntur invenisse Bithyni. Cicero; *Nam una haud mos est Bithyniae regibus vehi lectica*, id est, octophoro [vehebatur.][1]

1 Cicer. locus ex Act. II. in Verr. lib. 1. sive *de Supplicio*, sic habet: *Nam, ut mos fuit Bithyniae regibus, lectica octophoro ferebatur.* PITH. Sg. hac gl. plane caret; *vehebatur*, quod addidi, e Vallae Probo est.

122. *Languida.* * id est, quietori (?) sufferunt uxorem Senatoris ad accipiendam sportulam; matrona sequitur virum. *

123. *Hic petit uxori.* * Vxoris sportulam. *

126. *Profer Galla.* * Qui erogat, dicit. *

noli vexare. * Maritus dicit. *

127. *Ipse dies.* Totas dies sic consumunt divites, dum ad sportulam, aut ad templum Apollinis tractandum [1] vadunt.

1 *ad tractandum* Sch. *tractatum.* Schrevel.

128. *Iurisq. perit. Apollo.* Aut quia iuxta Apollinis templum Iurisperiti sedebant et tractabant: aut quia bibliothecam iuris civilis et liberalium studiorum in templo Apollinis Palatini dedicavit Augustus. Nam hic est Apollo, cuius et Horatius meminit: *Sic me servavit Apollo.* Sive quod Cicero domum Scevolae oraculum dixit civitatis. [Sive quod tam devia [1] Iurisperitorum responsa sunt, quam Apollinis.]

1 An *dubia*, λοξὰ? Est et haec postrema interpretatio ex Vallae Probo. Pith. In Sg. iam deficit in verbis: *servavit Apollo.*

129. *Atq. triumphales.* Id est, itur ad rostra, ubi habere solent triumphales statuas viri magni, sive quadrigas.

130. *Arabarches.* * Arabiae princeps. *

133. *Votaq. depon.* * Dum divites tarde recedunt, clientes spectant, quamquam tarda sit homini spes caenandi, aut, si quis certe non multum habeat in domo sua quod caenet, tum non patitur divitum mensas spectare. *

135. *Optima silvar.* * de venatione. [1] quare optimum? est hoc ex affectione et invidia parasitorum. *

1 Vallae, *de veneratione*, habuit.

138. *mensa.* Mensis citreis, quas antiquitus magno in pretio habebant: aut de ebore.

140. *Luxur. sordes.* * Sine conviviis magnos apparatus. *

141. *Ponit apros.* Apud antiquos munificentia videbatur apparatior, si in conviviis aper integer fuisset exhibitus.

142. *Poena.* Quod solus voraverit, quod multis sufficere potuisset.

143. *Turgidus.* * Indigestus. *

144. *Hinc subitae.* *Id est, mortuus est manducando. *

145. *irat. plaud.* * Insultant * quod de indigestione sit mortuus intestatus, de cuius testamento nihil consecuti sunt.

149. *Omne in praec.* * Ac per hoc ad marginem venit, ut iam humiles nostros prosit discere. *

utere velis. *Distinctionis dicit, hoc est, Satyrae scribendae. *

151 *priorum.* Lucilii et ceterorum.

155. *Pone Tigillin.* * Vilem hominem dicit. * C. Fulcinius [1] Tigillinus patre Agrigentino, Scylaceum relegatus, iuvenis egens, verum admodum pulcher, in concubinatum a Bincio et Lucio Domitio maritis Agrippinae et Fulviae, sororum Caesaris, atque in utrisque uxoribus suspectus ob hoc urbe summotus, piscatoriam machinam [2]

exercuit, quoad accepta hereditate reditum sub conditione impetravit, ut concubitu [3] Claudii abstineret. Quare saltibus in Apulia et Calabria comparatis, cum studiosius equos quadrigarios aleret, amicitiam Neronis nactus, primus illum ad studium Circensium movit [4]. Mortuo [5] autem Nerone, Galba Imperator, populo Rom. deposcente supplicium Haloti et Tigillini, solos ex omnibus Neronis emissariis, vel maleficentissimos, incolumes praestitit: atque insuper Halotum procuratione amplissima ornavit. Pro Tigillino etiam saevitiae populum edicto increpuit.

Pone. Hoc est in Satyra ponere, vituperare Tigillinum, quem si laeseris, vivus ardebis, quemadmodum in munere Neronis vivi arserunt, de quibus ille iusserat cereos fieri, ut lucerent spectatoribus, cum fixa essent illis guttura, ne se curvarent. Nero maleficos homines teda et papiro et cera supervestiebat, et sic ad ignem admoveri iubebat, ut arderent.

Pone Tigillinum. Nunc, sicut olim Mutium Lucilius, ut Persius [6]:

> *secuit Lucillius urbem,*
> *Te Lupe, te Muti, et genuinum fregit in illis.*

Hunc tamen Mutius fortiter ac sapienter tulit, quanquam in eum dictum sit, si Mutium insectabere, futurum est, ut miser sis. Vel, utrum ignoscat Mutius an non, haud laboraveris: sed si Tigillinum laeseris, vivus ardebis, quemadmodum

multi imperante Nerone. Aut, non tantum non deserenda libertas, sed etiam maxima persona carpenda in vitiis, cum etiam si tacueris, plebeio funere moriturus sis. Vel, quasi ex persona alterius sit, quae communem futuram cum vulgaribus cadaveribus ustrinam denunciet, etiam si a satyra abstineat; notiorem vero futurum, si insignem notaverit; ut sit locus hic ita accipiendus: Pone Tigillinum, nobilem ut Tigillinum, quod nisi facias, in rogum cadaver tuum mittetur, in quo non iacentia corpora, sed ad lignorum parsimoniam, stantia exuruntur, Unde putant dici

Et latum media sulcum deducit arena.

Quod parcus ustor, subditi ligni inopia scrobe subter facto, subcavet, ut ardere possit.

1 Dio et Tac. *Sofonius*, ap. Vall. *Offonius*. Pith. In meo Valla est *Ophonius*. Transpone et lege: ' *C. Sofonius Tig. p. A. i. e. v. a. p. in conc. a Cincio et L. Dom. m. A. et F. s. Caesaris, raptus, atque in utriusque ux. susp. ob hoc urbe sum. et Scylacaeum relegatus, p. m. ex.* Sch.'— *Pro Bincio*, Schrev. *Vincio*. Sed nec hoc melius, quam *Cincius*, nec stare possunt aut *Luc. Domit.* aut *Fulvia*. Res ita habet. Ex Agrippina Germanici praeter Drusillam duae filiae, *Agrippina* nupta inter alios *Cn. Domitio*, Tac. *Ann.* IV, 75. et *Livia* quae eadem et *Iulia*, nupta *M. Vinicio*, Id. VI. 15. De adulterio Agrippinae cum Tigillino constat e Dione et Tacito, non item de Liviae. Hinc ita emendandum videtur: *ob concubinatum* (h. e. adulterium) *M. Vinicio et Cn. Domitio maritis Agrippinae et Liviae* (seu Iuliae) *sororum C. Caesaris*, (Caligulae) *idque in utr. uxoribus, suspectus*. Caet. Schrevel. dedit: *atque hinc*. In Sg. est *Domitiae*. 2 Valla: *in Achaia*, quod praefe-

rendum, et firmatur a Sg. in quo pro *quoad* est *quo*, h. e. ubi, quod praecessisse loci nomen ostendit. Praeterea *machinam piscatoriam* qui dixerit, nemo repertus est. Nec melior est ausus Schrevelii, qui *piscatori* excudit. Verum si Scylaceum relegatus est, non potuit in Achaia piscatoriam exercuisse. Quare *Scylaeum*, scribendum reor, quod est promontorium Argolicum, secundum Ptolem. 3 Valla: *conspectu*, quod verum. Intellige autem C. Claudium Imp. qui tum adhuc privatus, in omne iam vitii genus inclinabat. 4 Valla: *primusque stud. Circ. fecit.* 5 Omnis haec clausula a Sg. exulat, credo et a Budensi. Valla videtur adiecisse e Sueton. in Galb. c. 15, cuius ipsissima verba sunt. 6 *Sat. I.* 114. tota autem haec gl. abest a Sg. et nescio an non sit partus Vallae.

187. *et latum media.* Adductus [1] cum per arenam traheretur, sulcum corpore suo fecit, vel fossam, in qua stipites fiebant [2] in quibus ardebant.

1 Lege, *addictus*, i. e. condemnatus. Sch. 2 Lege, *figebant* Pith. et sic habet aperte Sg. sed Valla et Schrev. *figebantur.*

158. *Qui dedit.* * Generaliter dicit, carpens eos, qui venena crassantur [1] . *

1 Scribe: *veneno grassantur.* Tacit. Hist. III, 39. *placuit veneno grassari.*

159. *Pensilib. plumis.* Lectica plumis strata [1]. pensilibus, in altum exstructis.

1 Plin. *XXVI*, 3. Pith..

162. *Securus licet.* Securus de mortuis loqueris, nec metuis Legem Iuliam, quae vivorum vitia carpit. [1]

1 An potius, *vitia carpi vetat*? PITH. Malim, *convitia carpit.* Neque enim lex Iulia vetuit unquam peccantes scelerum admoneri, sed tantum convitiari et maledicere non convictis, certis poenis constitutis. SCH. Legem Iuliam maiestatis innuit, de qua Tacit. *I*, 72.

163. *percussus Archilles.* * Virtutem. Dardanum qui pandis directi tela manusque[1]. *

1 Scribe: Virgil. (Aen VI. 37.) *Dardana qui Paridis direxti tela manusque.*

164 *quaesitus Hylas.* Virgilius[1]

Ut littus Hyla, Hyla, omne sonaret.

1 *Eclog. VI.* 44 pro *sonaret* in Sg. est *reclamat.*

167. *Inde irae.* Virgilius[1]:

Hinc mihi prima mali labes.

Iracundia accenditur nocens, criminum conscientia lacessitus.

1 *Aen. II*, 97.

168. *ergo voluta.* * Cogita satiricas leges. *

169. *Galeatum.* Metaphora; tarde poenitet indixisse bellum, cum iam pugna commissa sit.

duelli. * Belli. *

171. *Quorum Flaminia.* Viae in quibus nobiles sepeliebantur.

AD SATIRAM II.

DE PHILOSOPHIS OBSCOENIS[1].

1 Huiusmodi Inscriptiones in multis Mss. habentur, effictae pleraeque ex ingenio librarii. Sic in uno Regiae Hafniensis Bibliothecae lego: *De Philosophis obscenis moribus institutis*, in alio ibidem: *De obscenis Philosophys et Ypocritis*, quas his addas, quas enumerat Ruperti. *T. I. p. CCLV. sq.*

1. *Vltra Sauromatas.* Sarmatae ultimi ultra Pontum sunt, vicini Amazonum, unde Sauromatibus[1] appellantur.

1 Malim: *Iidem Sauromatae versu appellantur.* Sch. *Sauromatides* dederunt Schrev. et Henn. In Sg. est *Sauromatae.*

3. *Qui Curios.* * De his qui severitate simulata effeminati sunt. *

Bacchanal. vivunt. Criminose vivunt, id est, qui sub figmento severitatis, sunt impudici. Nam sacra Bacchanalia ex iis[1] condemnata sunt, cum probatum esset Senatui honestissimas feminas ad Stimulae[2] Deae lucum foede adulterari.

1 Lege: *ex SC.* Livius *lib.* 39. vel etiam *ex XII.* quod idem mendum fuit apud Cicer. *II. de Legib.* Nam et in eas tabulas translata videtur lex Numae de nocturnis externisque sacris. Pith. — Satis truculenta haec crisis, sed et perperam hoc, quia XII.

Tabb. nihil de Bacchanalib. est cautum; nam quod ibi de *Sacris nocturnis* est, huic loco non convenit, quum ob scelera Bacchanalia improbata referant Scholiastes et Livius, non ob coitiones nocturnas. Ad haec XII. Tabb. latae sunt A. V. C. CCCIII et tempus Bacchanal. sublator. incidit in A. DLXVII. utque ita haec mera sit Pithoei *ἀνιστορησία*. Neque etiam placere potest prior eius lectio, quia sic non convenit *τὸ nam*, quod vim causae vulgo habet, nec, si ita emendes, ullam haberet. Scio apud posteriores scriptores hanc voculam, etiam sine significatione causae, hic illic occurrere, sed non est, ut id dicamus necesse, quia locus non mutata lectione est planissimus. Ait, *ex iis*, hoc est *propter ea*, *ἀναφορικῶς*, propter impudicitiam qua de ante dixerat et mox dicit in sequentibus. Bynkershoek *Opusc. T. II. p.* 195. — Probarunt tamen plerique priorem Pith. coniecturam, neque id sine iure. 2 Vtique *Simula* substituenda est *Stimulae*, et *Simulam* vulgo Romanor. *Semelen* dictam assentior Gelenio ad Liv. *XXXIX.* Barth. ad Statii *Theb. II*, 74. *p.* 295. — Lege: *ad Semelae* Sch. — Apud Livium 39. 12. nunc quidem post Gelenium *Simila* legitur; nec tamen propterea hic quicquam movendum, cum ipsa antiquitas in incerto fuerit. Ovid. *Fast VI.*, 503. *Lucus erat; dubium Semelae Stimulaene vocetur.* Sg. *locum* pro *luco* solito errore dedit.

4. *gypso Chrysippi.* * Imagines Crysippi philosophi iuvenes [1] apud eos factas de gypso, qui Stoicorum princeps. *

1 Lege: *invenies.*

6. *Aristotelem similem.* Aristotelis imaginem similem, ut [1] statuam.

1 Lege: *aut.* Sch.

7. *iubet.* * Vult. *

pluteum. Armarium.

10. *inter Socraticos.* Aristophanes lacerat Socratem et discipulos ipsius, cum sit et ipse peior plerisque. [1].

1 Lege e Cod. Ms. *c. sit ipsemet peior eor. plerisque.* Sch. — Quod cur sit praeferendum non video.

11. *Hispida* * Hirsuta. *

12. *Promittunt atrocem.* * Fortem sed coloratum. [1]. *

1 Nisi *coloratus* sit pro ficto et fucato, quid sibi hoc verbum velit non intelligo. Nam quod ap. mediae aetatis scriptores ponatur pro homine pudore suffuso, etsi non nesciam, tamen huc non facit.

13. *medico ridente.* Nam invenientes stupri vestigia, medici rident. * id est intelligunt et denotant. *

16. *Peribomius.* Nomen Archigalli cinaedi, quem magulum [1] conspurcatum dicimus, qui publice impudicitiam perpessus [2] est.

1 *Magulum conspurcatum* Dufresnius T. II. p. 348. de στοματομολυνσίᾳ videtur intellexisse. Sed vox *Maguli*, cuius meminit, recentior est, et Neo-Graecis potius propria, cum scholium hoc sit antiquissimum Grammatici, qui Peribomium, ut puto, adhuc vidit, unde ait, *dicimus.* Nisi *magulus* τοῦ *magus* ὑποκοριστικὸν sit, malim legere *gallum*, vel *gallulum* et retinere veterem lectionem, *qui publice impudic. perpessus est.* Sch. — Forte: *gallum* s. *gallulum*, vel potius *matulam.* Rupert. — Quae Schutzfl. de aetate Scholiastae e verbo *dicimus* elicit, vix erunt, ut credulos reperiant, etiamsi gratis concedas Peribomii illius nomen verum esse, non fictum. Nec, puto, melius de coniecturis propositis iudicabunt alii. De convicio agitur vulgari,

quod in Archigallum iactetur. Id quis quaerat in *galluli* vocabulo aut *galli*, quod ipsum partem facit Archigalli? *Matulae* autem vox, quae nota est meticulosi aut inepti hominis, plane aliena est, et sine dubio aptior *maguli* appellatio, quam recte recipit Schurtzfl. et dudum explicavit Meursius in Glossario, e Moschopulo, cuius haec verba sunt: *παρειά, ἡ καὶ κόῤῥη, λέγεται διὰ δύο ρ. ἤγουν τὸ κοινῶς μάγουλον.* Ex re, inquam, *magulum* h. e. bucca et os *conspurcatum* a plebecula dictus est homuncio huiusmodi, cuius ipsa vitae professio spurcitie conflata erat et infamia. Illud unum tamen remanet dubii, qui factum sit, ut rusticum vocabulum Graecum transierit in usum plebeium Romanorum, quibus e sua lingua non unum suppetebat, quod sufficerent. Quare in eam suspicionem veni, scripsisse Scholiastam *magalem* h. e. *maialem*. Est enim Maialis sus castratus, secundum Varronem de *R. R. II*, 4, et convicium quo non aliud magis quadrare potest in homines eviratos, quales Gallos fuisse Minuc. Fel. *Octav.* c. 21. testatur: *Galli eam et semiviri, sui corporis supplicio colunt,* ubi illud *et* eiiciendum, neque enim, praeter Gallos, alii sacerdotes ita truncati. Plura de Gallis ibi Elmenhorstius. 2 Vall. *professus.* PITH — Et ita etiam videtur legendum, vide Senec. *de Provid.* c. 4. HENN — Retineo veterem lectionem, *perpessus* Romani enim publice infames homines aliquando prostituebant, adeo, ut etiam belluis ad libidinem famosas mulieres substravisse Apuleius in Asino doceat extrema lib. 10. SCH — Verum est *professus.* Quis enim, quae ex asini persona licentia poetica fingit, protinus ad mores populi transferat! Sed ita solent Antiquarii, eruditae temeritatis interdum magis anheli, quam sensus communis. Pro *publice* edit. Lutet. a 1613. pessime, *pudice* habet

21. *Clunem agitant.* Ad patiendum stuprum.

Ceventem. Inclinatum ad stuprum et sustinentem.

Sexte. Senator.

23. *Loripedem.* Solutum pedibus, aut curvis.

27. *Clodius.* Clodius C. Caesaris uxorem in templo Bonae [1] Deae adulteravit: et licet Ciceroris testimonio gravatus, tamen absolutus est. Sed et Clodius [2] fratris Domitiani filiam Iuliam in adulterio sumpserat maritam, cum ipse de adulteris leges severissimas promulgaret [3].

1 Verba: *in templo Bonae Deae*, abs. a. Sg. 2 Lego: *Sed et Domitianus Titi fratris filiam*, caet. Graev. — *Clodius* in membrana mutatur in *Claudius*, de quo talia sane narrat Suetonius. In scholio vetus codex legit, *in adulterio summiserat.* Lego: *Sed et Clodius Domitiani fratris filiam in adulterium summiserat*, quae demum digna et interprete et poeta erit sententia. Sch. — Haec mera est fabula, ut vidit Graevius, ferro tamen secans. Lenius sic fluet: *Sed et, ut Clodius*, (qui sororem incestu sollicitavit) *fratris Domitianus filiam Iuliam in adulterio summiserat, maritum* (Flavio Sabino,) caet. Pro *promulgaret*, Schrevel. dedit *promulgarit.* 3 Legem Iuliam de adulteriis a Domitiano renovatam esse, quod Intt. h. l. monent, haud legere memini. Rupert. — Legere tamen poterat ap. Suet. c. 8. in his verbis: *Probrosis feminis lecticae usum ademit, iusque capiendi legata hereditatesque.* item: *Equitem Rom. ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimissae adulterii crimen intenderat, erasit iudicum albo.* Omisit tamen et Heineccius commemorare in *Comment. ad L. Pap. Popp.*

28. *discipuli tres.* Caesar, Pompeius, Crassus, qui Syllae fuere discipuli; aut certe Augustus, Lepidus, Antonius [1], Triumviri, qui per cruentum foedus iuncti, cum remp. invasissent, Syllam

imitati, Senatum et equestrem ordinem proscripsere.

disciputi tres. * Id est, si proscriptio displiceat Syllae, vel Mario ceterisque, potest etiam Verri fur displicere et moechus Clodio. *

1 In hoc nomine Sg. glossulam terminat. Valla reliqua habet, sed hoc initio: *Hi Triumviri erant, qui per* caet.

29. *tragico pollutus adulter.* Id est, scelerato. Claudium Caesarem dicit, qui, occisa Messalina, uxorem impudicissimam [1] Agrippinam fratris germani matrem Neronis, revocatam ab insula, in matrimonium accepit, concesso iure talium nuptiarum ex SC. quam dicit etiam frequenter abortum fecisse [2], ne ex ipso coheredem Neroni filio [3] pareret, cui illa praeparavit imperium.

1 Restitue: *uxore impudicissima, Agrippinam, filiam fratris Germanici.* Nic. Anton. ap. Meerm. Thes. T. III. p. 216 — Lege: *impudicissimam Agrippinam fratris germani uxorem,* et mox e Ms. auctius scribe, *quam dicit etiam volenter frequentem abortum fecisse.* In fine emenda, *praeparabat imperium.* Sch. — Recte Antonius, et ex historiae lege, nec huius emendationis laude cum debebat fraudare D'Arnaud *Coniect. II,* 19. qui sibi temere adscripsit. Praeivit tamen pro parte Valla, apud quem sic est: *uxore impudicissima Iuliam Agrippinam fratris filiam, matrem* caet. 2 Valla, *appetisse apud Clodium.* 3 Valla, *filium,* et mox, *praeparabat.*

32. *Cum tot abortivis.* * Nec [1] potionem ac-

cipiens abortum faciebat, quippe quem per adulterium concipiebat. *

1 Lego: *Haec* vel *Nam.*

33. *offas.* * Partum. *

34. *fictos.* * Hoc est, philosophos. *

35. *Contemn. Scauros.* * Qua severitatem Scaurorum simulant. *

37. *Lex Iulia.* Iulii Caesaris [1] de damnandis adulteris.

1 Paullo aliter Sg. *Iulius enim Caesar dederat legem de damnandis adulteris.* Octaviani autem Legem esse, non Iulii Caes. vel pueris nunc notum est.

40. *Tertius e. c. c. Cato.* Multi fuerunt Catones, e quibus duo nobilissimi, prior Censor, posterior nepos ipsius, qui de mortis loco dictus est Vticensis.

41. *hirsuto.* * Piloso. *

44. *Scantinia.* Lex de infamibus puniendis.

46. *defendit numerus.* Lucanus:

quicquid multis peccatur, inultum est.

Metaphora a bellantibus [1].

1 Secundum Sg. in bina partitum hoc Scholion, ita: *Defendit. Metafora a bellantibus. Numerus. multitudo; id est, quia multi sunt, ideo non accusantur. Lucan.* caet. Est autem Lucani locus, *V*, 260.

49. *Media* [1] *non lambit.* * Nomina meretricum lambentium. *

1 Ita pro *Taedia* Cod. habet.

50. *Hippo.* Vir gravis corrumpitur a iuvenibus, et patitur et lambit.

morbo p. utroque. Vtriusque sexus, inguina lambentis et propatientis [1].

1 Forte: *ore patientis.* Wouw. ad *Min. Fel. Oct.* — Nisi ex contractione vitium sit ortum, ut fuerit, *propudia patientis.*

53. *coliphia.* Pulmentum, sive [1] membrum virile, aut potius athletarum cibum dicit.

1 Lege ex Ms. *sicut.* Heins. ad *Petron. cap. 70.* Lege, *sistens.* Sch. Quae emendationes eodem redeunt, rei autem vix respondent. Pulmentum, quod idem fere cum pulte, ex aqua et farre, additis plus minus condimentis aliquibus atque etiam carnibus coctum cibum fuisse probabile est. *Apuleius.* Metam. X. *illorum alter pistor dulciarius, qui panes et mellita concinnabat edulia; alter coquus, qui sapidissimis intrimentis succuum pulmenta condita, vapore mollibat.* Iam si pulmentum in liquidis potius, quam aridis siccisque cibis fuit, potuisse in certam formam redigi, veri non est simile. Tria igitur, non duo diversorum commentatorum hic habes interpretamenta, quorum unus coliphia pro pulmentis, alter pro panibus formam membri quo viri sumus repraesentantibus, quibus aliqui athletas saginatos esse tradunt, tertius denique universim pro athletarum omni cibo accepit. Tertiam hanc explicationem plane praeteriit Sg. Caeterum de coliphio vide Salmas. ad Tertull. de *Pallio p.* 220.

56. *Arachnae.* * Virgo Lydia lanifica, quam Minerva pro invidia, quoniam [1] ausa fuit in certamine provocare, in araneam convertit. *

1 Forsan: *quod eam.*

57. *Horrida q. facit.* Magno odio habetur apud uxorem ea, quae domino miscetur. Ergo hanc insequens gravioribus poenis domina, catena vinctam, infigit codici, atque ita iubet facere pensa.

58. *Hister.* Infamis, qui omne patrimonium suum vivus donavit uxori, ob hanc scilicet causam, ut simul dormiret is, qui et illum corrumperet, et illi misceretur. Puellae ergo [2] consciae sibi, quae noverat eum corrumpi.

1 Sg. *Hister quidam infamis*, et mox, *dormiat*. Cur autem de mortis causa donatione capiat Bynkersh. *Obs. V*, 18, causam nullam video. 2 In Sg. *ergo* desideratur. Recte. Est enim gl. singularis ad verbum *Puellae*. Apud Vall. sic habet: *quae dominum suum videt praecidi.*

60. *Dives erit.* * Quae videat corrumpi, et taceat cupiditate habendi. *

tertia lecto. [Aut ordine, aut nomen proprium est [1].]

1 Hoc e Valla est, qui notat Probum secunda persona *eris* et *dormis* legisse, quod non videtur spernendum.

61. *Cylindros.* Gemmas pretiosas.

63. *Dat ven. corvis.* Proverbium est corvorum, de impudicis; discrevit sexum per aves. Vnde dicunt coire corvos per os, et sic parere [1]. Columbas, retulit ad simplicitatem.

1 Lego, *Prov. est corv. de impud. Namque dic. coire corv. per os. Discrev. sexus per aves.* Sch.

65. *Stoicidae.* * Qui sub praetextu philosophiae infamiam exercent. * Dicit contumeliose, ut Virgil.

O vere Phrygiae.

et Persius.

Troiades [1].

1 Aut Scholiasta vetus aliter legit, *Stoicides* videlicet et *trepidae*, aut glossa omnium est ineptissima. Sch. — Imo in eo argutatur Scholiasta, quod non *Stoicos* Iuvenalis, sed genere femineo *Stoicidas* dixit, quod proxime firmat exemplo Virgilii *Aen. IX*, 617. et deinde Persii *Sat. I*, 4, non, cum Cornuto ibi *Troiades* accipiens Romanos, sed mulieres Troianas, in quo habet Casaubonum patronum.

66. *multitia.* Vestes molli intextas substamine [1], quibus solent uti puellae.

1 Lege, *subtermine.* Pith. Hoc vulgatius, sed et illud recte formatum est, a *stamen*, nisi probes, quod Salmas. ad *Capitol. Pertin. c.* 8. vult, subtemen dictum esse a verbo texo et pro *subteximen* formatum. Aliter adhuc sentit Daumius in Reinesii *Epp. ad Daum. p.* 41.

67. *Cretice.* Hoc nomine vel quemlibet nobilem significat, vel Iulium Creticum [1], qui sub Caesaribus inlustres causas egit.

1 Causarum hic patronus idemne sit atque ille Creticus, ad quem est Martial. *VII. ep.* 8., et an alibi occurrat, nescio. Ruperto satis notus fuisse videtur. Caeterum Valla e suo Probo hanc gl. hic refert: *Invehitur in Metallum* (l. Metellum) *Creticum, eum qui vicit Cretenses.*

68. *In Proculas.* * In criminosas. *

Fabulla. De centum una.

71. *Nudus agas.* * Minus nuditas, quam infamis ignominia deridetur. *

73. *Vulnerib. crudis.* Recentibus bellis.

75. *in corpore.* * Vestimenta. *

76. *multicia testem.* * Id est, si testimonium admittitur huius, qui his vestibus utitur. *

79. *in plures.* * Per te, inquit, Cretice, et alii corrumpuntur. *

81. *uvaque consp.* Et Virgil.

Et mala vicini pecoris contagia laedant.

Hoc et proverbio sumitur: Vva uvam videndo varia fit.[1]

1 Disseca et lege, *Sicut grex. Vt. Virgil. Ne mala vic.* caet. *Uvaque. Hoc ex prov. sumitur* caet.

83. *Accipient te.* * Id est, in numerum cinaedorum paulatim suscipiaris. *

86. *tenerae.* * Id est novellae. *

abdomine porcae. * Pinguedine, aut stent[1] in his ut matronae. *

1 An: *ut se dent?*

89. *Solis ara Deae.* * Haec Cereris sacra faciunt. *

ite profanae. * Cum magis nefas sit ad hoc virorum quemquam accedere; magis viris patet et mulieres pelluntur. *

92. *Cecrop. soliti Baptae.* Baptae, titulus libri, quo impudici describuntur [1] ab Eupolide, qui inducit viros Athenienses ad imitationem feminarum saltantes, lassare psaltriam. Baptae ergo molles. quo titulo Eupolis comoediam scripsit; ob quam ab Alcibiade, quem praecipue praestrixerat [2]; necatus est.

Cotyton. Ad exemplum Cotyti [3] dicuntur Isiaca sacra celebrari.

1 Sg. *impudicus discribitur* et mox *virum*, omissa voce *Athenienses*. post, *calcantes* pro *saltantes* habet cum Valla. Plura hic etiam in Schol. notat Schurtzfl. quae non eum, sed Britannicum tangunt, quare omisi. 2 Lege, *perstrinxerat*. Rutg. l. c. *VI*, 18 et Sch. 3 Lege, *Cotyttiorum*. Sch.

95. *Vitreo bibit.* In vitreum penem [1], quos appellant drillopotae [2].

1 Lege, *Intelligit el:bentes vitr. penem* et mox *drillopotas*. Sch. 2 Fortasse scribendum *phallopotas*, aut *veretrillopotas*. Casaub. ad *Capitol. Pertin.* c. 8. — *Drillopotas* verum est. Δρίλλη enim est verpa, vel pars illa qua viri sunt; unde δρίλλος, verpus. Glossae: δρίλλος, *verpus*. vulgo *varus*; perperam. aliae Glossae: *Verpus*, δρίλος, καὶ ὁ μέσος δάκτυλος χειρὸς, λέγεται δὲ καὶ ὁ λειπόδερμος. melius autem per unum λ scribitur: quod ostendit Vetus epigramma Graecum, huius vocis ignoratione male hodie viris doctissimis intellectum:

Ἤθελε δριμὺς ἄγαν τοπρόσθ' Ἱερώνυμος εἶναι·
Νῦν δὲ τὸ δρῖ μὲν ἔχει, λὸς δὲ τὸ μῦς γέγονεν.

hoc est δρῖλος est factus, cum prius esset δριμύς. Nam doctissimus commentator qui γρύλλος exponit, nugas agit. δρῖλος igitur est verpus, et δρίλη verpa. unde δριλοκόται. Salmas. *ibid.* — Similia tradunt

ad h. l. Vossius *de Vitiis Sermon. L. III. c.* 10. et Rutgers. *Var. Lect. VI,* 18.

97. *Galbina rasa.* Polita, tenuiter rasa.

98. *Et per Iunonem.* Non per Iovem, sed per Iunonem. Ita, inquit, servi iurant; quomodo solebant ancillae Neronis [1] adulantes, per Iunonem tuam.

1 Emenda *heris suis.* Sch. — Coniiciebam, *matronis.*

99. *Ille tenet speculum.* Occiso Galba Imperatore, Otho invasit imperium: qui tam probrosae curae in polienda forma fuit, ut humecto pane faciem liniret ad sollicitandum candorem; utebatur et speculo [1]. Hunc incomparabilis [2] vitae bello civili Vitellius vicit apud Bebriacum Campaniae [3]. Horum bellum scripsit Cornelius; scripsit et Pompeius Planta, qui ait Bebriacum vicum esse a Cremona vicensimo [4] lapide.

Othonis. * Nomen cuiuslibet fortis viri, aut ipsius Othonis. subnotatio huius retro scripta ẽ uue palma [5]. *

1 Vett. Gloss. *Gestamen*, σκηπτρὸν, ὡς Ιουβενάλιος. Servius tamen in illud *VII. Aen. Hoc Priami gestamen erat,* Diadema, *inquit,* dicit, nam sceptrum dicturus est. Pith. 2 Qui Vitellius *incomparabilis vitae* dici possit, non video. Puto scripsisse, *ei* scil. Othoni, *compar. vitae.* 3 Nugatur Interpres, qui vicum hunc Campaniae facit. Corrupta ea verba et scripsit: *apud Bedriaci campum.* Quod autem attexitur: *Horum bellum* caet. sane Cornelium Tacitum intelligit; Pompeius ille quis sit, nondum repperi. Lips. ad *Tac. Hist. II,* 23.

— Emendationem Lipsii receperunt Schrevelius et Hennin. In Sg. habetur turpius adhuc, *Vebricum Campaniae.* Si plura de Transpadani huius vici nomine vis, adi nostrum Cellarium in *Notit. Orb. Ant. II,* 9. *p.* 689. edit. Lips. a. 1701. quae, ut in transitu moneam, praestat alteri quae ibid. 1732. prodiit, tum typorum splendore, tum elegantia mapparum. 4 Sg. *vicesimo.* de illa altera scriptura, quae solemnis est in Pandectis Florentinis et Cod. Theodosiano. cf. Smallenburgio V. Cl. laudatos, ad *L.* 2. §. 33. *Dig. de Or. Iur.* 5 Ex hac corruptela, cum me non extricarem, tradere autem non soleam, quae ipse non intelligo, rogatus a me Twestenius noster, respondit: latere sibi videri argutiam ineptulorum, qui ex Othonis nominibus MArcus SALvius, converso syllabarum priorum ordine, extuderint vocabulum salmacis, quae lateat in ultimis gl. verbis corruptis uuc palma. Cf. Cicer. *de Off. I,* 18. ubi hic versus Tragici:

Salmaci, da spolia, sine sudore et sanguine,

cuius ipsius recordatio ludibrio ansam praebere potuerit.]

100. *Actoris Aurunci.* * Adlusit de Virgilio [1]. *

1 *Aen. XII,* 94.

103. *speculum.* * In domo Neronis invenerat Nero [1]. *

1 Id est, Otho, qui et ipse Nero appellatus est. Sueton. *Oth.* c. 7.

103. *civilis sarc. belli.* * Otho bellum civile gessit cum Vitellio, et victus semet occidit. *

105. *Et curare cutem.* * Ironia, quando secum speculum portaret Galva. *

106. *Bebriaci.* Id est, Pontici, unde pelles *Bebrinae* [1]. Galba enim Ponticus fuit.

1 Nomen id a Bebryciis derivat, Ponti in Asia accolis iuxta Stephanum. Quare *Bebryciae* legendum censeo. Nam *Bebrynus* non tam esset a Bebrycis, quam a *bebris* h. e. fibris. Sed fallitur. nam non dubium, quin *bebrinae* pelles sic dicantur a *bebro*, id est fibro. VOSS. in Etym. v. *Castor*. — Scholion hoc nescio quid in recessu habet, quod necdum satis percipio. Scilicet videtur eius auctor ita cepisse Iuv. ac si hic τὸ *Bebriaci palatii spolium* esset *fibrina vestis* de qua Isid. XIX, 22. ubi pro *lanam caprinam* legendum *fibrinam* docet sequens cap. 27. quo testatur, quod *fibri capilli ob mollitiem omni lana superiores sint;* unde et hodie pilei delicatiores ex iisdem conficiuntur, hoc vero etiam dicebatur sequiore aetate *Beber*, ut testantur Glossae Papiae et Scholion ad *Sat. XII*, 34. hoc vero animal in Ponto praestantissimum censebatur, teste Probo in *Georg I.* qui laudatur Barthio ad Claud. *Epigr. XXXVII. p.* 1096. Videtur igitur Schol. hic ita cepisse, quasi *febrinas vestes,* seu *spolium Bebriaci palatii* i. e. *Pontici bebri*, ubi meliores habentur, *in campo affectarit* Otho, non autem veram imperii dignitatem. sequentia scholii ne cassa nuce digna. HENNIN. — Scholium inepti librarii est, qui in Isidori glossis legerat, *Castorium, bebrinum,* et in Papia, *Fiber qui et Beber, Ponticus canis et Castor,* de qua voce plura ap. Dufresn, T. I. p. 543. SCH. Mihi videbatur, indoctum hunc magistellum apud Poetam legisse *Bebrini* pro *Bebriaci*, sicque, quod acceperat bebres in Ponto frequentes in primis fuisse, *Ponticum* explicasse, denique, ut rei color esset, fabulam commentum esse, de Galba Pontico. Caeterum vocabula, *biber*. *beber* et *fiber*, plane eadem sunt et diversae modo pronunciationis, neque neutrum eorum magis barbarum, quod putabat Forcellinus. Vox enim est peregrina recepta a Romanis, qui animal hoc sua lingua *Canem Ponticum* vocabant. *Fiber* autem fortius pronunciantes dixerunt, pro *beber* aut *biber*, quod Germani mei retinuerunt, quorum nempe lingua olim mollicula et multo gratior fuit atque nunc est. Recentes etiam Itali *bevero* vocant, sive id a Germanis populis

habeant, per tot saecula Italiae dominis, sive, uti in aliis multis, emolliverint atavorum dicendi duriorem morem. Galli autem suum *bièvre*, utrum a Germanis traxerint, an ab Italis, difficile est definire in tanta linguae Gallicae mistura.

106. *Bebriacis campis.* * Bebriacos campos inter Hostiliam et Cremonam, ubi pugnavit Otho cum exercitu Vitellionis [1] et victus se ipsum iugulavit. Occiso vilo [2] principe ex quo Nero oppressus est, non multo post Otho effeminatus occupavit imperium, quem palatos [3] infamior occidit. *

1 Lege: *Vitelliano*, aut *Vitellii*. Hostiliae hic facta mentio, quantivis pretii est, qua certior fit Bedriaci situs, frequens eius memoria in bello Othonem inter atque Vitellium. 2 Emendandum aut *vili illo*, aut *occiso vero illo principe*, sc. Galba, *ex quo*, i. e a quo, *Nero oppr. est.* 3 Restitue, *palato*. Vitellium indicat, ipso Othone maius adhuc gutturis et gulae luxuriarum exemplum. Vid. Sveton. in *Vit.* c. 13.

107. *Et pressum.* * Quia infames faciunt, ad excanendam cudem [1]. *

1 Scripsit, ni fallor, *ad excandidandam cutem.* Plane S. Remigium, *excandidare cutem* dixisse, refert Cangius *h. v.* De *candidare* Vide Voss. *de Vitiis Serm.*

108. *Sameramis orbe.* * Sameramis [1] uxor Nini, Babylonis civitatis conditrix, a filio suo, cuius concubitus inceste concupierat, occisa est. *

1 Ad eandem fere scripturam in ipso Poeta *Samiremis* legitur in Cod. MS. Iuvenalis Perill. Moldenhaweri, cuius olim usuram habuimus. Nec multum abit, quem nuper in lucem protraxit diligentissimus vetustatis indagator Ang. Maius, non con-

temnendus scriptor, Iul. Valens de reb. gest. Alexandri, *III*, 44. ubi: *pergit ire ad Samiramidos regiam.*

112. *Fanaticus albo.* * Libido sine reprehensione [1]. *

1 An: *sine repraesentatione*, i. e. sine sui intellectu et ratione?

118. *Cornicini.* Expertus naturam, eumque grande habere cornu [1].

1 *Cornu* videtur Schol. pro membro virili accepisse, sicque obscenitatem Poetae intulisse, ubi nulla est. Sed nec *cornu* eo sensu me apud antiquos legere memini; et quae e Polluce et Hesychio eo trahuntur, aliorsum spectant. A Sg. plane exulat haec gl.

121. *Censore op. e. a. aruspice.* Quo emendet, aut quo expiet.

124. *Segmenta* [1]. Profusae vestes.

et longos. Fimbriarum [2], sive vittatas vestes, quibus matronae novae nuptae cooperiuntur [3].

flamea. Vestis pudori similis, quam et [4] propter pudorem accipiebant.

1 Corrigendus vetus Int. nam praepostero ordine eius expositiones sunt positae, quas sic restitue: Segmenta *Fimbriarum, sive vittatas vestes.* et long. hab. *Profusae vestes.* flammea. *quib. novae nuptae* caet. Salmas. ad *Vopisc. Aurel.* c. 46. — Receperunt hanc emendationem Schrevel. et Hennin. et ipse etiam recepissem, nisi propositum fuisset, textum Pithoeanum parum putum reddere, quod forsan superstitiosae religionis fuit, in tali scriptore. 2 Lege: *fimbriatas*, Ferrar. *de*

re *Vest.* *III,* 17. recepit Schrev. et iuvat Sg. in quo, *fimbriatus,* nisi is forsan pro substantivo extulerit. 3 Idem interpres infra Sat. VI, 225. *Flammea genus amiculi, quo se cooperiunt mulieres die nuptiarum.* Sequentia illustrant haec Martiani Capellae Lib IX.

Flammea virgineum quae obnubere sueta pudorem
Regina deme pronuba.

Sch. 4 Dele *et* cum Sg.

126. *Sudavit.* Gracchus accepit vestem novae nuptae, qui aliquando Salius Martis fuit [1].

O pater. * Apostrofe cum indignatione ad Martem, auctorem generis Romani. *

1 Sg. ita partitur et legit: archano. *qui aliquando Salius Martis fuit, nobilis non erat.* Sudavit. *Gracchus accepit vestem novae nuptae.*

127. *nefas tantum.* * Libidinis. *

128. *Gradive.* * Mars. *

urtica. Prurigo.

131. *Patri.* * Id est, Iovi. *

132. *Iugeribus campi.* Recede de Martio campo, quem tenes, et qui tibi coeperat aedificari [1]. Hic enim ager Tarquinii Superbi fuit: et pro illius fuga [2] Marti consecratus, dictus est Martius Campus.

quem negligis. * Quidam dicit, tamquam interrogatus. *

1 Expone, in quo tu coeperas aedes exstruere. Exponuntur Iuvenalis verba, *quem negligis,* hoc est, ex consecrato profanum reddis. Sch. 2 Forsan: *post illius fugam,* id certe plerique tradiderunt,

vindicare tamen anteriori saeculo suscepit Drakenb. ad *Liv. I*, 44.

154. *in valle.* * In colle Quirini. * Ad invidiam dixit, in valle.

156. *in acta referri.* Annalibus contineri.

140. *Natura indulget.* * Quia illis fecunditatem natura non tribuit. *

141. *Turgida.* * Turgida sunt genus medicamenti, quod pregnantes facit et fecundas. *

Lyde. * De Lidia, unde Arachne fuit, conversa in araneam. haec inclusa in pyxide araneam texit, quae permixta potui fecundam mulierem de sterilitate facit [1]. Turgida, alludens, crassa simpliciter intelligendum est, aut pregnans.*

1 Horum scholiorum diversi sunt auctores, quorum unus *turgidam* medicamentum fingit procurandis sterilibus aptum, alter in eum usum adhibitam putat araneam turgidam i. e. maioris generis, quae recondita sit a Lyde aliqua medica in pyxide. Et ille prior quidem videtur apud ipsum Iuvenalem legisse: *Turgida non prodest, nec condita pyxide Lyde,* quod habeo in uno Cod. Regio Hafniensi, alter autem: *Turgida non prodest in pyxide condita Lyde,* quod in alio eiusdem Regiae bibl. MS. extat. Sic etiam habuisse convenit tertium Scholiastam ap. Anon. in *Obs. Misc. Bat. Vol. V. T. I. p.* 271. qui ita explicat: *Lyde, aranea, quam portabant mulieres in pectore, ut gravidarentur.*

142. *Nec prodest agili.* Steriles mulieres februantibus Lupercis se offerebant, et ferula verberabantur. Hoc homine, qui infra tectum multi seminis credit contractus ab foecunditatem dan-

dam [1]. **palmas** ideo dicit, quia aut catomus laetabantur, aut quia manibus vapulant cunei per civitatem, tunc et in solio si qua post ipsum descenderit statim concipit [2].

1 Corrupte, pro: *verberabantur, hoc omine; qui.* reliqua absque MSS. ope non videntur sanari posse. G. CUPER ad *Lactant. de mort. persec. p.* 174. et in *Nov. Misc. Lips. V. III. p.* 717. — Vel vehementer fallor, vel paucis mutatis ista sunt sic legenda: *verberabantur. Hoc nomine quae interea tacta, multi seminis credit contactus ad fecunditatem dandam.* LE MOYNE in *Var. Sacr. notis* T. II. p. 357. — Scholium misere deformatum est. Illud ego sic legerim: *verberabantur, hoc nomine, quia februantium contactu multis foeminis credunt foecunditatem obtentam.* SCH. — Locum depositum, sic olim constituebamus: *hoc omine, quia infra-tactus multis feminis creditur contactus ad fecunditatem dandam,* ut *infratactum* barbare vocarit verbera, quae mediae muliercularum parti ingeruntur. Sed aliud quid latet, de quo altius cogitandum. 2 An *Catomi?* et infra, *currentes per civ.* quod Francisco fratri visum est: cuius ingenio iudicioque multum tribuo. Victor Vticensis I. Hist. Afr. *Venerabilem senem in publica facie catomis ceciderunt.* Illud vero *catorogare,* quod hic etiam in mentem venit, mihi quidem apud unum Arbitrum lectum est. PITH. — Reponimus: *qui aut catomidiabantur, aut quia manib. vapulabant cincti per civ.* Si quis malit *catomis caedebantur*, non adversabor. SALMAS. ad Spart. *Adr. c.* 18. — Paucissimis tantum mutatis locus sic curatur et sanatur: *aut catomis caedebantur, aut quia man. vapul. per civitatem, tunc et in coitum si qua post ictum desc. statim concipit.* LE MOYNE l. c. — Emenda, *vapulant coniuges* SCH. Fortasse melius sic scriberetur: *Haec verbera quasi pharmacum* (vel, *pharmaci instar*) *mulieribus creduntur conducere ad fecunditatem dandam,*

raeque aut catomis caedebantur, aut manibus vapulabant euntes per civitatem: tunc et in solium si quae post ictum descenderint, statim concipiunt. Anon. in *Misc. Obs. l. c.* p. 272 — Pro *cunei*, Schrevel. dedit *cuncti*, Cuperus l. c. mallet *cunctae*. Sangallensis nihil abit a Pithoeano, nisi quod *a manib.* habet. Vallensis exhibet, *aut enim osculabantur*, pro, *aut cat. laetqb.* in clausula autem, *et folia*, pro *in solio*. Veruntamen haec nihilo magis faciunt ad locum hunc sanandum et in lucem ponendum, atque superius relatae aliorum coniecturae. Twestenius V. Cl quocum mihi propter exquisitam doctrinam et εὐστοχίαν multus sermo, suadebat ita curari posse et explicari: *palmas ideo dicit, quia aut catomis caedebantur, aut quia manibus vapulabant cunni. tunc* (enim cum ita vapulaverit, vel) *et in solio si qua post istum* (Lupercum) *descenderit*, statim *concipit*; ut adeo his verbis duo tradantur sterilitatis remedia, unum ῥαπίσματα Luperci, alterum balnei ingressus post Luperci egressum. Est enim *solium* secundum Festum; alveus lavandi causa institutus. Glossae: *Solium*, ἐμβάτη, et aliae: *Solium*, ἔμβασις. Ita et Celsus, *I*, *3*, *ubi paululum conquieverunt, intrare* et in *solium descendere*. Et de *cunnis* quidem non dubito accedere; de caeteris licet, et numne praestet legere: *tunc etenim in solio si qua post ictum desc. statim concipit*, etiamdum ambigere.

143. *tunicati fusc. Gracchi.* Qui toga deposita, qua utebantur senatores, tamquam infames tunica utebantur. Hinc Lanistae, vel dissoluti dicuntur [1].

1 Legendum, *Hinc lanista, velut dissolutus dicitur*. Gracchus subaudi, qui gladiator. Sequenti versu a Iuvenale nominatur. Sch.

144. *gladiator.* Gracchi filius habitu gladiatoris plerumque ad infamiam equabat [1], retiarius enim fuit.

1 Lege, *dimicabat*. Sch. Forte, *fugiebat*, Henn.

145. *Et Capitolinis.* * Quae tunc nobiles intra urbem fuerunt familiae. *

147. *his licet ipsum.* Nobilibus, non Neroni, Nam et ipse [1] pugnavit in gladiatorem, et cantavit in scena habitu citharoedi, et auriga fuit.

1 Sg. *Nam Nero et ipse,* et mox, *in habitu.* Paulo plenius Vallae: *Gracchus gladiator munere Neronis pugnavit, et Nero ipse pugnavit in gladio, et in scena cantavit, et auriga fuit.*

148. *retia misit.* * Quia et Gracchus minor pugnavit. *

149. *Esse aliquos man.* Εκφωνή. Cic.[1] Proclamatio.

1 Aperte corruptum locum in integrum restituit membrana Sg. in qua graeca vox. ἐκφώνησις ita scripta extat: eKΦωNHCIC, nec merita laude fraudandus est Koenius, qui ad *Gregor. Corinth. p.* 21. idem sagacitate mera olfecerat. Corrupit ea τοῦ σιγματισμοῦ formatio eiusque ignoratio et alia veterum loca, ut alibi ostendam exemplo Iavoleni. ICti in *L.* 100. *§.* 3. *D. de Legat.* 3., ubi cum olim sic scriptum fuisset: *Cui Corinthia vasa legata essent et BACEIS,* in plerisque Mss. enata est vox *baces*, deinde ex correctione *abaces*, non melioris commatis vocabulum.

150. *Et pontum et Stygio.* Virgil [1].

Ipse ratem ponto subiit, velisque ministrat.
— Nunc hos nunc accipit illos.

* hic comparationem contra naturam inducit. *

1 Prior locus *Aen. VI,* 302. alter vs. 315. In illo editi nunc habent *conto subigit*, pro quo nuper Cl. Sterke in *Act. litt. Soc. Trai. T. I. p.* 174. voluit *cantu* nec persuasit.

5*

152. *qui nond. aere lavantur.* Infantes, quia pueri non dant balneaticum [1].

1 Parvam admodum eamque valde incertam auctoritatem habere hoc vocabulum, dicit Forcellinus. Habent tamen et Glossae: *Balneaticum* βαλανικόν. Spirat omnino antiquitatem, nec in his ἅπαξ λεγομένοις nimis difficiles esse debemus, si res et formatio et exempla alia addicunt, quale habemus in *pulveratico*, de quo ante alios lege Cuiac. *Obs. IV*, 18. Aliter si sit, quid faciemus tot vocabulis nuper demum in notitiam protractis beneficio Aug. Maii, aut his quae novissime innotuerunt e Gaio Veronensi; quo thesauro post tria saecula non reperto alio tantae utilitatis in omne litterarum genus, neque tantae opulentiae, neque tanti splendoris, lubentes volentes lauream suspendimus his quorum auxilio redivivus est constitutus. Caeterum aliam hic in Probo suo gl. habuit Valla, cuius verba: *quia pueri gratis balnea intrabant, quamdiu fuissent impuberes.*

155. *Quid Cremerae.* * Qui apud Cremeram caesi sunt. ibi enim CCC. Fabricii [1] occisi sunt, victi a Veientibus, quos Camillus superavit.

et Cannis. * In Apulia vicus, nomine Canna, ubi Hannibal omnem exercitum Romanorum occidit, victus Paullo et Barrone [2] consulibus. Tantum enim populum superavit, ut tribus modiis anulorum impletis ad Carthaginem miserit, e quibus consulibus Barro fugit, Paulus occubuit.*

1 Scribe, *Fabii.* 2 Lege, *victor*, et, *Varrone*, consueta litterarum *b* et *v* confusione.

156. *Tot bellor. animae.* Lucanus:

inlustres bellis animas.

Quae in bello occisae sunt.

157. *cuperent lustrari.* * Virgil.[1].

Idem ter socios pura circumtulit unda. *

1 *Aen.* VI, 229. ubi, et rursus ad vs. 741. Servius laudavit hos Iuvenalis versus.

157. *lustrari.* * Expiari. *

160. *Iubernae.* Iuberna[1] insula Britanniae, sita in oceano mari, a qua non longe sunt triginta aliae Orcades insulae, quas Mela scribit[2].

promovimus. * Id est, vincendo ultra Britannias quoque transivimus, sed deteriores sumus his, quibus imperamus. *

1 Id est Hibernia; adde hunc locum iis, quae de scriptura nominis congessit Cl. Tschukke ad *Mel. III*, 6. 2 Fortasse: *describit.*

161. *minima cont. nocte Brit.* Circa solstitium in Britannia prope nox nulla est, hac scilicet causa, quia vicinus occasus et ortus ibidem Solis. Ex obliquo enim terrae margine lux redundat[1], et proximam sibi insulam et noctibus et diebus illustrem reddit.

1 Valla: *laxe ad undas*, sed is omnino valde corruptam gl. habuit.

164. *Armenius Zalates.* Vnus qui in obsidatum[1] datus fuerat, a quodam tribuno plebis corrumpebatur. *

1 Verbum hoc etiam aliquoties apud Ammianum est. Ad eundum modum postremo tempore *praesidatum* dixerunt Impp. in *l.* 4. *C. Th. de decurionib.* et *L.* 2. *C. Th. de princ. agent in reb.* et vetus Interpres Modestini in *L.* 6. §. 12 et 14. *Dig. de Excus.*

165. ardenti. * Amanti. *

166. *Adspice, quid fac.* * Hic sumunt turpes et novos mores. *

167. *mora longior.* * Si diu fuerint in urbe morati. *

169. *Mittentur braccae.* Dimittentur. ἀφαιρεσις [1].

1 a Sg. abest graecum verbum. Valla habuit *omittentur.*

170. *Sic praetextatos.* Id est, mores quos filii senatorum intra urbem habent, obsides, redeuntes ad suos [1], reportant, quos ceteri apud se ephebi discunt. Artaxata, civitas Armeniae.

1 Sg. *in suis patriis redeuntes,* et mox, *discant.*

AD SATIRAM III.

DE VMBRICIO.

1. *Quamvis digressu.* * Quia Roma relicta habiturus [1] est Campaniam hortatu quem Iuvenalis dicit, ut Virgilius:

digressu (moesta) *supremo.*

1 i. e. habitaturus. Sequentia in mendo sunt, et forte scribendum: *digressu, quidem Iuv.* caet. Locus Virg. extat. *Aen. III,* 482.

2. *Cumis.* * Qua Sibilla Cumana fuit. *

10. *tota domus rheda.* * Migrantis rei familiaris. *

12. *Substitit ad v. a.* Stetit expectans rhedam, ubi solent Proconsules iurare [1] in via Appia ad portam Capenam, id est ad Cumenas [2]. Madidam, ideo quia supra eam aquaeductus est, quem nunc appellant, Arcum stillantem. Primum enim usque ibidem fuerunt portae, quae porta Capena vocabatur [3].

Capenam. * Per correptivum [4], id est, Capena. *

1 Consuesse magistratus maiores, ubi honorem inirent, solemnia vota concipere inque leges iurare, idque in Capitolio fieri solitum, inter omnes constat. Nae

igitur nobis imponit Interpres id a Proconsulibus ad Portam Capenatem factum perhibens. Sed neo voluisse credendus est, et potius alium morem retulisse paullo minus notum. Qui enim Propraetore aut Proconsule in provincias exirent, solebant ad portam e qua proficiscerentur solemniter salutari, cuius rei *memoriam* (sic enim puto legendum) ex Cincio retulit Festus v. *Praetor* et praeter eum nemo nisi noster. Neque enim dubito fore, qui non concedat Scholiastam scripsisse, *ubi solent Proconsules salutari*, et depravatum id esse ignoratione moris, in *iurare*. Id autem cum factum dicit *in via Appia*, quae ab ea porta incipit versus Capuam, auctore Frontino *de aqued. c.* 5. vix eum erroris absolverim, et magis statuerim id ad Quirinalem observatum esse, quae et Salutaris dicitur. Eo me ducit, tum boni nominis omen, cuius studiosissimos fuisse veteres satis constat, tum in primis alius Festi locus, ita e schedis Farnesianis dudum restitutus: *Salutaris* porta app*ellata est ab aede sa*lutis, *quod* ei *proxima fuit; alii ob sa*lutationes, neque ea nominis originatio invalescere potuisse videtur, nisi ad istam portam praecipue mos ille salutandi frequentatus fuisset. 2 Lege, *Camenas*. Pith. — Erat enim ad eam portam lucus Camenis a Numa sacratus, Liv. *I*, 21. unde et ipsa Camena dicta est. 3 Lego: *Primum enim aquae ibidem fuerunt*, Capenam, *portam, quae porta Capena vocabatur*. Rutgers, *VI*, 18. — Verba aperte mendosa, hoc modo corrigenda esse arbitror: *Camenarum enim luci ibidem fuerunt priusquam porta Cap. vocab.* Anon. in *Misc. Obs. Vol. X. p.* 404. — Nisi hoc senserit clausulae auctor, antiquitus aquaeductus fuisse *usque ibidem portae*, h. e. tantum porrectos usque ad portam, quae Capena vocatur, et successu demum temporis elevatos esse supra istam portam. Caeterum nomen arcus stillantis a nemine alio scriptore servatum inaudivi. 4 Haec quid significent, dicant doctiores.

12. *Amicae.* * Egeriae nymphae dicat [1]. *

1 Lege, *dicit*.

15. *mercedem.* * Pensionem. *

16. *eiectis mendic.* Templa Camenarum Iudaeis locantur [1].

1 Sg. *locabantur.*

17. *Egeriae.* Egeria nympha colebatur in Aricino lacu [1], cum qua Numa et concubium [2] et colloquium se habere simulavit super cultu religionum: quo armorum et pugnae studio flagrantem populum Romanum abstraheret [3].

1 Lege, *luco.* Pith. 2 Sg. *conubium*, quod etsi ibi ex correctione sit scribae, non est tamen respuendum, cum et alii v. c. Livius Egeriam faciant Numae coniugem. 3 Sine praepositione, ne corrigas, etiam Tacit. An. II, 5. dixit, *ut suetis legionibus abstraheret.*

20. *nec ingen. viol.* * Quia non erant naturales, nec [1] manu factae, quanto melius esset, si natura sua essent nymphae, quam marmoribus exornatae et pollutae a flagitiosis hominibus. *

1 Lege, *sed.*

22. *nulla emol. labor.* * Id est, nunc nullus fructus doctis. *

23. *Res hodie min.* * Pauperibus; de ipsa parva iam deminuit aliquid. *

29. *Artor. istic. Et Catulus.* Ignobiles et sordidi [1], ac malis artibus viventes homines, qui ex sordidis rebus divites sunt facti.

1 Sg. *sordidos*, post, *homines*, autem vult intelligi.

30. *qui nigrum in cand. vert.* * Qui falsum faciunt; qui norunt mentiri. *

32. *Siccandam eluv.* Vt publici fani[1] cloacam.

port. ad busta. * Qui locant se, ut mortuos portent. *

1 Fana omnia, quemadmodum templa, publica erant, igitur ea adiectio otiosa; fana autem cloacas habuisse nec verum est, nec credibile, quare satis certi sumus *publicani* scripsisse Interpretem, ad quam scripturam etiam ducit Sg. in quo *publifani* est. Harum autem cloacarum ἀνακάθαρσιν καὶ ἐπισκευὴν, ubi necessitas exigeret, locatam fuisse publice vel e Dion. Halic. *Lib. III. c.* 67. docemur, in quam rem redemtoribus quoque dabantur in publicum opus damnati, ut tamen ea poena non inter graviores numeraretur. Plin. *Ep. X,* 41. Fuisse etiam in eam rem impositum vectigal, quod Cloacarium diceretur, auctoritate iuris tuemur, in *l.* 39. *§.* 1. *D. de Legat.* 1. et *l.* 27. *§.* 2. *D. de Vsufr.* e quibus locis hoc quoque colligitur, vectigal id non in commune, sed ab iis solutum fuisse, per quorum fundos cloacae ductae, aut a dominis aedium, quae cloacis teste Livio, *V, extr.* nonnunquam superstructae, aerario reliquos sumtus subministrante.

33. *domina ven. sub. h.* Qui possunt a fisco vendi, quasi debitores fisci[1].

1 Inepte hoc, ut saepius vet. Schol. RUPERT. *h. l.* — Sit ita, etsi ex prisca rerum forma fortasse defendi possit Interpres. Sed certe non melior est Rupertina explicatio, qui poetae versiculum de redemtoribus vectigalis rerum venalium capit, inter quas et mancipia vendita fuerunt, mox autem *caput* de hominis statu interpretatur et libertatis ac civitatis iure, quae plane ἀσύστατα sunt et merae nugae. Non enim *praebere caput venale* dici potest de redemtore, sed de locatore vel venditore, nec libera capita sua potuerunt voluntate venum ire. Quare nec Turnebi ex-

plicatio stare potest. Existimo igitur de praecone poetam loqui, qui *caput venale* h. e. mancipia reipublicae, bello forte, capta, iubente censore vendenda praebet, dum pretia proclamat, estque *ad merces turbam qui cogit emendas*, ut ait Horat. *Art. Poet. v.* 419. Horum autem praeconum non admodum honorificum fuisse ministerium vel e Cicer. *ad Fam. IV*, 18. apparet. Caeterum ap. Schrevel. *possunt*, legitur quod a glossae sensu non est alienum, sed nec necessarium.

34. *hi cornicin.* Simphoniaci parasitorum.

municip. arenae. Gladiatorum aut venatorum [1], qui in municipiis pugnaverunt, non in urbe.

1 Sg. addit: *comites fuerunt eorum.*

36. *verso pollice.* Mutata fortuna.

37. *Quum libet occid.* Ab his populus occiditur, quos ante populus iubebat, id est imperabat occidi [1]. popular iter, amabilium [2], favente populo.

1 Legendum est: *quos ante pop. ubi lubebat, itidem imp. occidi.* Sch. — Sed eius mutationis ratio non apparet. Imo videtur Interpres pro *Quum libet* apud poetam legisse, *Quum iubet*, quod nisi esset, non addidisset explicationis loco, *id est imperabat*. Et sane sensus bonus est: hae buccae populariter occidunt, quum vulgus iubet verso pollice, etsi ita non scripserit Iuvenalis. 2 Forte, *autem, id est, fav. pop.* Rutg. *l. c. I*, 16. — Possis legere, *favorabiliter.* Sch. — Aliam hic gl. habuit Valla: *loco imperatoris occidit gladiatores, cum paulo ante intra gladiatorum fuisset numerum.*

38. *foricas.* Stercora, hoc est vectigal [1]. Forire est pro deonerare ventrem. Forire est non

foras [2] eiicere. Alii tabernas dicunt foro vicinas [3]. alii [4], vectigal vinarium, quod ex Africa in urbem vehebatur. alii domos publico sumtu aedificatas ad locandum, quarum conductores lucra capiebant.

1 Legendum, *stercorum vectigal.* SALMAS. de Usur. p. 519 — Nihil muto. hoc vult, stercus quidem dixisse poetam, sed intelligendum vectigal stercoris. Nempe confudit foria et foricas quod et fecit Isidorus in *Gloss.* Foricae autem loca sunt publica in eundem usum, quem in privatis fundis latrinae praestant. Foria quid sint docet Nonius his verbis: *Foria, stercora liquidiora:* et post pauca: *Foriolus, qui foria facile emittat, saluti scilicet ventris.* Sic habet novissima Merceri editio, Paris. 1614. sed legendum est *soluti ventris*, quemadmodum habent Mss. quorum collationes penes nos sunt, et Edd. veteres Veneta a. 1476. Aldina a. 1513. Plantiniana, et vero etiam prima Merceri. Sed de foricis mox plura dabimus. 2 Leg. *onus foras.* *Non.* in *Foriolus.* PITH. — Pithoeum, haud nominatum, sequitur Noodt *de foen. et usur.* *III*, 10. Sg. *non fossas.* Valla τὸ *non* plane omisit, quod idem volebat Meurs. *in Crit. Arnob.* VII, 9. et imitati sunt Schrev. et Hennin. 3 *et confines*, addit Valla. 4 Haec explicatio et quae sequitur non recepta est in Sg. habuit autem Cod. Budensis, nam Vall. abit et *quidam vectigal vini* legit. Apparet autem iam a longo inde tempore dubitatum fuisse, qualenam fuerit, illud foricarum vectigal. Et prima eorum fuit sententia, qui de publicarum latrinarum locatione poetam intelligerent, quarum redemptores inde, ex usu singulorum, stipem lucrumque male olens perciperent, nomen derivantes a foriis et verbo forire: cuius non alibi nisi hic ap. glossographum mentio, quemadmodum nec nisi ex hoc loco illius ipsius reditus memoria. Ea igitur opinio, cum nec per se improbabilis sit et commemoratione similium vectigalium, qualia in vita Ves-

pas. apud Suetonium plura habemus, sustineatur, plerorumque recentiorum interpretum consecuta est consensum, nec a vero alienum est, quod Cuiacius *Obs. XXII*, 24. primus edixit, multique postea rescripserunt, huius vectigalis mancipes foricarios appellari apud Paulum IC. in *l.* 27. *§*. 5. *D. de Vsur* ubi sic est: *Fiscus ex suis contractibus usuras non dat, sed ipse accipit* (sc. ex mora) *ut solet a foricariis qui tardius pecuniam inferunt.* Ita Florentiae legitur et habuit in quibusdam libris *Accursius*, nosque habemus in optimae notae Ms. Hafniensi, neque depelli lectio debet de possessione sua, quanquam Bononiensibus architectis magis placuerint fornicarii, quos non inscite Budaeus *annotationib. ad Pand. h. l.* propolas explicat, qui tabernas conduxerint a fisco. Turnebo *Aduers. VIII*, 9. arriserunt *fornacarii*, estque ea ipsa lectio sat antiqua, eamque secutus auctor glossae, quam Accursius retulit. Sed praestat nihil mutare a Pisana et servare foricarios, dummodo non sequamur Salmasium *de Usur. p.* 529, qui sapiens, ex Cornuti loco, nescio quo, quem Cuiacius subministrarat, et obtemperans libidini, perpetuo oblatrandi Cuiacio, quem tamen raro nominat, foricarios esse iubet, qui foricas purgandas suscipiunt. Quod quam sit a mente Pauli alienum, iam ante Salmasium natum docuerat idem ille ICtus sine exemplo maximus, monens Paulum loqui de redemtore pecuniam in fiscum pendente, cum alter ille a fisco accipere debeat, quo ipso etiam argumento postea Salmasium refutavit Burmannus *de Vectig. P. R. cap. XI.* sed illaudato auctore, quasi ignominiosum esset palam dicere a quo profeceris. Id vectigal quo nomine sit appellatum quaeri video, et esse qui foricularium dicant. In quo numero praeter Burmannum *l. c. c.* 3. Muratorius et nuper Forcellinus sunt, qui in eam rem utuntur veteri lapide ap. Gruter. *CXCIX*, 6. et paulum diverse ap. ipsum Murat. *DLXXIII*, 4. cuius haec verba praecipua:

HOS LAPIDES CONSTITUI IUSSERUNT
MAXIME PROPTER CONTROVERSIAS
QUAE INTER MERCATORES ET MANCIPES ORTAE ERANT
VTI FINEM DEMONSTRARENT VECTIGALI
FORICULARII ET ANSARII PROMERCALIUM
SECVNDUM VETEREM LEGEM SEMEL
DVMTAXAT EXIGVNDO.

De cuius marmoris sive probabili lectione, sive interpretatione, quamquam difficile est certum aliquid ac constans definire, etiam post multas multorum inquisitiones, hoc tamen pro explorato tenere debemus, non posse in eum sensum detorqueri ut latrinarum publicarum vectigal demonstret, nisi simul concedamus stercora humana Romanis fuisse in promercalibus, quod sane nimis est deridiculum. Sed tempus monet ut in viam redeamus, amplius de Foricariis dicturi, si Deus vitam dederit, in Supplementis ad Brissonium. Haec igitur prima est poetae interpretatio, ut sub foricis intelligatur latrinarum vectigal, quod imprudentur Hispanus ICtus Ferdin. de Castro. ap. *Meerm. Thes. T. II. p.* 362. *n.* 16. confundit cum Folle et Chrysargyro, quorum longe alia ratio fuit. Altera explicatio eo spectat, ut sub foricis intelligamus conductionem tabernarum foro vicinarum a fisco factarum, quae et ipsa ratione non caret et ad Paulum quoque adplicari potest, si quidem vera sit originatio foricarum a foro, quae huic explicationi inest. Tertia tum sequitur glossa, quae vult digitum intendi ad vectigal vinarium, prae caeteris, nisi fallor, minus probabilis. Sane quidem, vel e Symmacho *Epp. VII*, 96 et *IX*, 131. constat, fuisse inter tributa vini quoque praestationes, quae cellae arcaeque vinariae Principis inferrentur, eique vectigali etiam Africam obnoxiam fuisse, colligere licet e *l. ult.* §. 20. *D. de muner. et honor.* ubi commemorantur *Susceptores vini per provinciam Africam.* Nec alios existimem qui in Rubrica Cod. *De Suariis et susceptoribus vini et caeteris corporatis* occurrunt, quamvis in Basilicis vertatur περὶ χοιρεμπόρων καὶ καπήλων et Divus Cuiacius eos sequu-

tus existimet caupones intelligi qui vina fiscalia populo venderent. Haec, inquam, utut vera sint, hoc tamen pro certo videtur, vectigal istud vini et serioris temporis esse, et nunquam a fisco mancipibus elocatum fuisse. Cui enim bono id factum fuisset et quodnam lucrum redemptoribus cessisset, cum a p o c h a r i, ut est in *L. 2. Cod. Th. Tributa in ipsis species. inferri*, h. e. adaerari et in pretium ac pecunias converti non posset, sed in ipsis speciebus deberet inferri, ut docet iste Codicis titulus non una constitutione. Quodsi dicas, privatos homines qui vina sua venumdarent pro hac licentia vectigal pendere debuisse, verum hoc quidem est, sed tum erit non nisi particula vectigalis rerum venalium, quod u e n a l i t i u m appellatur in *L. 4. C. de prox. sacror. scrin.* et nec ipsum usquam locatum refertur sed potius a fisco directe exactum, ut adeo inde nulla quaestus capiendi occasio fuerit istis arenae municipalis olim comitibus. Quarta denique interpretatio cum secunda fere convenit, ut tamen quaevis aedificia publice locata velit, non tabernas solum, sed et fornices et arcus et si quae sunt his similia, quae et ipsa a *fori* vocabulo descendit. Ne vero quidquam dissimulem, quod ad huius loci illustrationem collatum habeo, scito, esse quoque qui a f o r a n d o deducat foricarum nomen P u f e n d o r f i u m in *Relatt. Goetting de Libris Nov. Vol. I, p.* 493 ut concavatum quodvis, in primis rem aquariam comprehendat, eaque omnia uno verbo complectatur, quae versu 31 et 32. singulatim relata sunt. Debebam fortasse hic ocium facere, sed, ecce remoratur me tamen adhuc Cod. Sg. in quo scriptum reperio: *Forire est, non fossas eicere*, pro quo sine dubio legendum *in fossas eicere*, et quo ipse tamen longe aliud quid indigitatur. Id cuiusmodi sit, velim discas e I o a n n e a I a n u a in *Catholico*, cuius locum, quia facit ad illustrandum Schol. ipse auctor autem est inventu rarus et adiuvari potest a Ms. membranaceo, quem servat bibliotheca Kiliensis, integrum adscribo: *F o r i c a, a forio, foris, dicitur haec forica, cae, id est cloaca ad quam publica civitatis stercora confluunt et proi-*

ciuntur. Nam latrinae dicuntur a latendo, scilicet cloacae privatae quae in domibus latent. Forica etiam dicitur fossa extra portam, ad quam confluunt immundiciae, et dicitur sic, quia foris est. Si vero est intra portam, dicitur lacuna. Item forica dicitur, quidquid immundum foras iacitur, et tunc componitur a foras et iacio, iacis. In cuius traditi veritatem non est huius loci altius inquirere.

58. *Qualec.* ἀνακόλουθον. Dicere ante debuit tales, et si[1] quales.

1 Lege, *et sic.* Sch. — Vere, nec aliter habet Sg.

40. *fortuna iocari.* * Vt de misero faciat divitem. *

42. *motus Astrorum.* Maleficus non sum.

43. *funus promittere.* His, qui sub severo patre agentes, de morte ipsius cogitant.

44. *Ranarum viscera.* Non sum venenarius.

45. *Ferre ad nuptam.* Lenocinium exercere non possum.

46. *Me nemo ministro.* Non possum assessor esse furis iudicis, bene adlusit de consiliaribus[1].

1 Lege, *non possum assertor esse furis iudicis. bene allusit de consularibus*, id est ad viros Consulares. Sic enim saepe stribliginem facit hic glossator. Assertores medio aevo vocabantur advocati, patroni, ut dudum monuit Dufresnius. Ait ergo, Equidem non possum advocatus esse Viri Consularis, qui repetundarum postulatus est. Sch. — Egregie vera prior est emendatio, sed manca, et legendum: *non possum assertor esse furis iudicio.* de altera, ut non necessaria, ambigi potest ut et de eo, an omnino mentem poetae adsecutus sit glossator.

49. *conscius.* * Criminis. *

54. *Tanti tibi non sit.* * Nullae, inquit, divitiae tibi tanti sint, cum mala conscientia habeantur. *

55. *Tagi.* * Flumen Spaniae, in quo aurum invenitur. *

56. *Vt somno careas.* * Vt velis bonum propositum malis moribus immutare. *

ponendaq. praemia. Quae deponere debeas, id est, abiicere, negligere: vel reddenda, ut quae mala arte quaesita sunt. Tristis, quasi moriturus, ut mala conscientia torquearis [1].

1 *ne eum accuses*, add. Sg. et pertinent ad *timearis.*

60. *Quirites.* Exclamatio, Porro Quirites [1]!

1 Lege, *Exclamatio, ut, porro Quirites.* Sch. — Quis nescit illud P. Syri: *Porro Quirites, libertatem perdimus!* quae iusta est multorum temporum cantilena.

61. *Quota portio.* Quamvis pauci sunt, tamen Graecam vitiis urbem fecerunt.

62. *Orontes.* Fluvius in Antiochia civitate, per quem Syros significat, ut Virgil. [1]:

Et pontem indignatus Araxes.

1 *Aen. VIII*, 728.

63. *cordas obliquas.* Rusticos tibicines, qui in obliquum tangent [1].

1 Valla legit, *qui in oblongum tangunt.* Male omnino. *Plagiaulum* enim, seu obliqua intelligitur tibia. Malim tamen, si quid mutandum, *qui in obliquum canunt.* Sch. — De oblongis tibiis nihil apud Vallam, cuius haec sunt verba: *chordas, id est, rusticas, quas tibicines in obliquum tangunt*, quae vera videtur scholii lectio. Sg. habet *quia* pro *qui.*

64. *gentilia.* Suae gentis; orientalia.

65. *et ad circum.* Et hoc a Graecis translatum dicit.

66. *picta.* * Speciosa. *

lupa barbara. Meretrices.

67. *Rusticus ille.* Ecce in quantum Romani rustici didicerunt luxuriam [1], et palaestris uti, et fracteriis [2] ut athletae ad vincendum.

trechedipna. Vestimenta parasitica, ut caligulas Graias currentium ad coenam [3].

1 Sg. *luxoria.* 2 Lege, *et filacteriis*, ita enim olim pro *phylacteriis* scribebant, non *fractoriis*, vel quod alii volunt *frictoriis*, vel *strictoriis*, vel *fnascariis.* Mox enim in scholio ad v. 68 dicit item interpres *et palaestris frui et filacteriis.* Recte enim monuit Pithoeus *Phylacteria* intelligi. Sch. — Schrevel. *philacteriis* exhibuit. dicam ad Vs. 68. 3 In veteribus constanter est *rechedinna*, quod et vetus Interpres tuetur, neque tamen satis explicat. Licet enim Graeci *trechedipnos* appellarint parasitos, vestes tamen aut caligas ita appellatas non memini, neque apud Iuvenalem hoc loco ulla convivii mentio, sed palaestrae ac ceromatis. Ferrar. *de Re Vest. P.* 11. *L. I. c.* 11. — Legendum esse, *ut gallicula*s me monuit P. Scriverius. Rutgers. *Var. VI*, 16 — Rectissime Scholion vetus hoc trahit ad *gallicula*s *Gra-*

ias. Glossae Mss. ap. Car. du Fresne, teste Scriverio: *Gallicula, calciamenta pastorum.* eaedem τρόχαδες in Glossis vulgatis exponuntur. atque adeo indignatur Satyricus etiam rusticos Graio more iam calceari, fastidito patrio. Hennin. — Malim legere, *vestimenta palaestrica aut galliculas.* Turnebum vide *lib. III. c.* 16. *Advers.* qui tamen paulo aliter sensum detorquet, qua argutatione opus non est. Sch. — Sg. aperte *galligulas*, quod etiam defendit Salmas. ad Trebellii *Gallienos c.* 16. de vocis sensu et permixtione cum caligulis praecipiens. Valla mendose: *rechedipna*, Probus inquit, *curantium coenas vestimenta parasitica vel caligulas graecas dicit.*

68. *niceteria.* Vestes peregrinas victis [1] convenientes. vel rechedipna est ipse qui coenam facit [2], ut sit ordo: O Quirine, ille tuus rusticus rechedipna sumit, et fert niceteria collo ceromatico, et est sensus: En tibi o Romule, rustici tui in omnem diffundi luxum iam didicerunt, et palaestris frui et syllateriis [3]. Nam et niceteria syllateria sunt, quae ob victoriam fiebant et de collo pendentia gestabantur.

1 An *victoribus.* et infra *phylacteriis* et *phylacteria.* Pith. — Lege, *vitiis convenientes*, quod tunc Graecanicis vitiis corrupti Quirites essent. Ferrar. *l. c.* — A Sg. universa glossa abest. 2 Dele verba, *vel trechedipna est ipse, qui coenam facit,* quae sane non sunt veteris alicuius interpretis, sed monachisci Graeculi. Inepta enim sunt, et contra genium Graecae linguae, quae τρεχέδειπνος, non τρεχεδείπνης dicit, et si fingamus, quod sic diceret, parasitum intelligeret, non patrem convivii. Sch. — Valla *fert* habet pro *facit,* unde alius plane sensus nascitur. Hennin. ubique *trechedipna* pro

6*

rechedipna. 3 Recte Pithoeus *phylacteriis* emendat, licet inepte Interpres quod niceteria collo gestarentur ideo phylacteria credidit sive amuleta victoriae causa sumpta, quae collo gestabantur, et hodie gestantur. Ferrar. *l. c.* — Apud Vallam *sillacteriis* est; Schrevel. *philacteriis* dedit et Petavius ad *Synes p.* 38. *edit. Paris.* 1640. pro *syllateria* suspicatur εἰσελατήρια. Sed omnino scribendum est ubique *filateria* ex more posterioris temporis, quod multis exemplis demonstrat Cangius. h. v. Nos unum adferimus Ianuensem, qui Scholiasta nostro frequenter usus est post Papiam. Sic autem ille ex membrana, ubi paulo plenior est: *Niceterium, a nice vel nicos, dicitur hoc niceterium, rii, dicuntur niceteria filateria, quae gestabant athletae, facta de summitatibus armorum quae a victis acceperant et ea collo suo suspensa gerebant, quotiens victores extiterant, quasi signa victoriae. et ideo filateria talia in quibus designabantur victoriae, a victoria, niceteria sunt dicta. Iuvenalis: Et ceromatico sunt niceteria collo.* Ita ille. Caeterum binae glossae ex una videntur factae et vera lectio haec: *Rechedipna, vestimenta parasitica, ut* (h. e. velut) *galigulas Graias currentium ad caenam.* Sequitur altera interpretatio: *vestes peregr. victoribus convenientes.* additur tertia: *vel est ipse* (nempe servus, qualis ille infra vs. 250. sqq.) *qui caenam fert, ut sit ordo: o Quirine ille tuus rusticus rechedipna sumit et fert niceteria collo ceromatico. Niceteria fillateria sunt* caet. Eieci verba: *et est sensus* usque ad *num et*, infarta quippe a magistello e glossa ad vs. 67.

70. *Hic Andro, ille Samo.* * Hae omnes urbes sunt et insulae Asiae, quarum amoenitas et coeli temperies dissolutiores efficit viros; quarum accolas in urbem Romam transisse significat. *

71. *a vimine collem.* * Viminalem collem. *

72. *viscera m. domum.* * Interiores amici. *

73. *Isaeo torrentior.* Isaeus Romae orator omnibus eloquentior. De hoc Plinius Secundus ait [1]; *magna Isaeum fama praecesserat: maior inventus est.* [Isaeus rhetor fuit Atheniensis illius temporis cuius et Tranquillus meminit; alter Isocratis, ut ferunt, discipulus praeceptorque Demosthenis, ut quidam sentiunt Atheniensis, ut alii Chalcideus. Sed Isaeum hunc dixisse par est, de quo Plin. in Epist. *Magna Isaeum*, cact.]

1 *Epp.* II, 3. Altera gl. est a Valla e Probo suo relata et in fine multo plura Plinii verba ex epistola subiungit, quam Pithoeana, sed ea valde corrupta.

77. *Schoenobates.* Funambulus. *Aliptes* unctor.

79. *Ad summam.* Ad postremum; ut Virgil. *Haec summa est.* ad ultimum omnem vitam [1] dicam.

1 Lege, *ad ultimum omnium id tantum dicam.* H. Cannegiet. *Obs.* 3. 19. *in f.* — Malim, *ad ultimum omne, ut ita dicam.*

81. *conchylia.* Vestem fucatam et togae erubescendae fucatos habitus: et Romae togae erubescendus in capicium purpuram quasi conchylia signant [1].

1 Conchylia, id est lacernas conchyliatas. Vet. Int. *vestem fucatam.* Mox subiicit, *et togae erubescendae fucatos habitus*, sed fallitur, nulla enim in togis communibus purpura. Quae sequuntur etiam corrupta sunt, *in capitium purpuram, quasi*

conchylia signant. Georg. Valla, qui veterem Int. Probum vocat, et ex eo plurima sumpsit, usus fortasse meliore libro sic legit: *Conchylia, capitia purpurea ita flagrantia, ut conchylia ipsa videri possint,* ubi *capitia,* sunt lacernae cum cucullo sive capitio. Ferrar. *de re Vest. P. II. L. I. c.* 23 — Fortassis melius legimus, *nam Romae togas erubescendas* caet. Sic. Valer. Max. III, 8. *erubescendo statu civitatis.* Almelov. — Legerim, *Vestem fuc. et erubescendos togae fucatae habitus, et Romanae togae, erubescendas in capiciis purpuras, quas conchylia signant.* Vel lege, *togae rubescentis fucatos habitus et Romanas togas rubescentes intra capitium purpura, quasi conchylia sint.* Sch. — Melius legeretur: *nam Romae tog. erubescendas et capit.* Achaintre. — Probent haec, qui volent, ego non. Laborat locus et lectione et distinctione. Valla nihil ad rem, nec is de Probi culina vixit, sed proprio iecore sapuit. Sg. quoque codex nihil habet, quod conducat. videas ibi *avitus* pro *habitus, Romanae* pro *Romas,* et *quasi quas concilia,* quibus nemo valde laetabitur. Illud, *togae erubescendae fucatos habitus,* nescio quid poeticum spirat, ut parum absit quin laciniam vatis cuiusdam existimem. Sed videant acutiores. Fucare, proprium est in ea re verbum. Quoniam autem Interpreti non licet medicinam adferre, vide an Quintiliano *In P. Or. I,* 1, 5. attulerim, qui hac occasione in mentem venit. Apud eum sic in excusis est: *natura tenacissimi sumus eorum, quae rudibus annis percepimus: ut sapor, quo nova imbuas, durat: nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt.* Adscripsi olim orae libri mei *fucatus est,* et eius coniecturae ne nunc quidem valde poenitet.

90. *vocem angustam.* Gracilem.

93. *Creditur.* * Nemo sic effigies imitari potest in agendo Comoedus, ut Graecus adfingere [1] quod vult. *

Thaida. * Nomen comicum. *

1 Lege, *effingere.*

94. *Vxorem comoedus ag.* * An melius aliquis agit comoediam Graeco. Cum aut amicum, aut uxorem, aut ancillam imitatur, nonne ipsas praesentes creditis exhiberi personas. *

Dorida nullo Cult. palliolo. * Nullo habitu, quasi veram mulierem. Dorida, ancilla. *

96. *Non persona loqui.* * Dicas, inquit, in comoedi habitu non fucatam, quin ipsa, qui loquitur, mulier videatur. *

97. *Infra ventriculum.* Sine pene, id est, inguina foeminea.

tenui distant. rima. Naturam muliebrem significat.

98. *Antiochus aut Stratocles.* Illius temporis comoedi.

100. *Natio comoeda est.* * Omnium rerum imitatrix. Quid, inquit, mirum est, si minus imitat [1], quod omnes Graeci possunt. *

1 Scribe, *si mimus imitatur.*

101. *Concutitur. flet.* * Id est, et risum et lacrimas imitatur. *

103. *Accipit.* * Si pallium vestierit [1] et ipse poscit. *

endromidem. Lodicem, qua se cooperiat.

1 Pro, si pallio se vestierit.

107. *minxit amicus.* * Dives, cum quo est Graecus. *

108. *Si trulla.* Si pepederit. alii sic intelligunt, si calix aureus crepitum dederit, cadens e manu divitis.

109. *ab inguine tutum.* * Id est, corrumpunt omnia. *

110 *matrona domi.* * Non domina domus. *

111. *ante pudicus.* * Ante adventum ipsius castus. *

112. *aviam resup. amici.* Si nullus horum sit, qui possit corrumpi: si fuerit anus ad ipsam se convertit.

113. *Scire volunt.* * Conscii esse volunt rei familiaris. *

114. *transi Gymnasia.* * Praetermitte minora eorum vitia, et veni ad maiora. *

115. *facinus mai. abollae.* Proverbium, quasi maioris togae, id est, sceleris potioris. Vel per [1] ironiam dixit, quasi sanctioris philosophi [2]. A b o l l a, species est maioris vestis, quasi pallii maioris.

1 Sg. *ergo abollae per iron.* 2 Lege ex Ms. *philosophiae.* Anon. in *Obs. Misc. Batav.*

116. *Stoicus occidit.* * Detulit Stoicus imperatori discipulum suum Baream, dicens, quasi in eius perneciem cum caeteris coniurasset. Hoc temporibus Neronis factum est. *

117. *ripa nutrit. in illa.* Apud Tarson civitatem Ciliciae, quam praeterfluit [1] amnis Cidnus: cuius urbis conditor Perseus, cui nomen civitati ex facto dedit [2], quia ibi una ex talaribus pinnis ei excidit.

1 Vide num scripserit *perfluit*, id enim non una auctoritas suadet. Dion. Pericg. *vs.* 868.

Κύδνου τε σκολιοῖο μέσην διὰ Τάρσον ἰόντος

quod Avienus vertit:

Cydnus item mediae discérnit moenia Tarsi.

Itinerarium Alexandri non ita pridem a Cl. Maio editum, c. 28. *Cydnum amnem videt urbis eius media pervadere.* Sed nemo est, qui situm nobilissimae et antiquissimae urbis diligentius perscripserit Leone Diacono *Histor. lib. III*, c. 10, quem scriptorem, non minimo Byzantinarum rerum commodo nondum anno praeterlapso demum in lucem protraxit industria Car. Bened. Hasii, viri doctissimi. Qui liber recens ab operis, cum adhuc in paucorum manibus sit, locum integrum adscribere placet: *εἶχε μὲν καὶ τὸν Κύδνον τὸ ἔρυμα, κατὰ μέσον αὐτὸ διατέμνοντα, ὃς ἐξ αὐτῶν τῶν πηγῶν πολυχεύμων τις, ψυχρός τε καὶ διειδὴς περινάων πρόεισιν, ἀσφάλειαν οὐ μικρὰν τῇ Ταρσῷ παρεχόμενος, καὶ γεφύραις τρισὶν ἔνδον τοῦ ἄστεος διαζωννύμενος. ὅτε δὲ πόλεμος αὐτοῖς ἐπιβρίθει, κατὰ τῆς τάφρου αὐτὸν ἀφιᾶσι καὶ ἐν ὥρᾳ μιᾷ πλημμυροῦσαν ταύτην ἐργάζεται.* Praeterea e Nicephori Phocae *de velitatione bellica* c. 20, quem librum itidem debemus diligentiae Hasii, nunc demum discimus, Cydno ab accolis *Hieracis* nomen inditum fuisse, *ὃς Ἱέραξ ἐγχωρίως κέκληται.* 2 Docte quidem Interpres. nam *ταρσὸς* talum significat, sed praeter mentem Iuvenalis, qui de pinna Pegasi, non Persei loquitur. Et vero a Pegasi pinna denominatam Tarsum prodit Dionysius de Situ Orbis. Sed a talaribus Persei ita dictam celebrior ac testatior fama est. Vnde *Persea Tar-*

sos a Lucano dicitur. Vales. ad *Amm. Marc. XIV.* 8. — Nempe triplex refertur *Tarsi* nominis derivatio. A viminibus textis, quibus ad siccandum fructus imponuntur, deducit ap. Stephanum Eratosthenes, idque inter alia significare verbum ταρσος docet Salmas. ad *Solin p.* 868 *sq.* A Pegasi pinna, vel Bellerophontis lapsu, praeter Schol. nostrum, cum Dionysio Avienus; denique a Perseo, praeter Lucanum et Solinum *c.* 38., in primis Ammianus, cuius locum appono, ut, si detur, striblíginem detergeam. *Ciliciam*, ait, *quae Cydno amne exultat, Tarsus nobilitat, urbs perspicabilis. hanc condidisse Perseus memoratur, Iovis filius et Danaes.* Indigna Ammiano vox *perspicabilis.* Scribo, *praestabilis*, aut, si mavis, *perspicue nobilis*, ut Cicero. *perspicue falsa sunt.* — In Schol. Sg. habetur *est qui nomen.* posses et, *ei nomen* legere.

118. *Gorgonei.* * Pegasum dicit, Medusae sive Gorgonae filium. *

pinna cavalli. * Apud Tarson propter Perseum et Pegasum, quod de sanguine Medusae equus natus sit Pegasus. *

120. *Protogenes.* * Nomina Graecorum. *

121. *Qui gentis vitio.* Graeci enim soli volunt maioribus amici esse, hoc est μονοφιλεῖς. [1]

1 Schrevel. μονόφιλοι. Sg. ΜΟΝΟΦΥΛΙC.

122. *stillavit.* * Susurravit. *

123. *de nat. patriaeq. veneno.* * A levitate illorum. *

124. *perierunt temp.* * Quicquid ante obsecutus sum. *

125. *nusquam minor est.* * Nusquam damnum est in cliente perdendo, quoniam propter Graecum excludi [1]. *

1 Lege, *excluditur.*

126. *Quod porro offic.* * Quid faciat pauper, si dives officium sordidum non abutitur [1] aut contemnit. Quid, inquit, pauper facturus est, cum ipse patronus ad aliorum festinet obsequium.

1 Adverte constructionem cum accusandi casu. Sed omnino *abnuit* legendum est.

129. *vigilantib. orbis.* Vt sibi praetor tutorem det, qui eos contemnens festinat.

131. *cludit latus.* Aut, in medium servum mittit, aut, in sinistra ambulat.

132. *alter enim.* * Cogitet, inquit, ingenuus currere cum servis, qui se facultatibus vincunt. Quantum enim Tribuni solent accipere stipendii, tantum servi donant meretricibus. *

133. *donat Calvinae.* Praetoris cuiusdam soror, quae se occidit, tamquam infamis in fratrem [1], temporibus Claudii.

1 Lege, *fratre.* Sed Tacitus Italia - pulsam dicit. Si pulsa tantum, quid ita Commentator scribit eam a se interfectam? Homo errat. LIPS. ad *Tacit. Ann. XII,* 8. — Sed scripsit fortasse Interpres; *qui se occidit, tanquam infamis. is frater tempo- rib. Claudii,* et sic concinit historiae.

136. *deducere sella.* Inde sellariae dicuntur [1]. unam meretricum a sella sua abducere conductam cunctaris, cum alii adulteri [2] emant.

1 Dicit, *inde*, id est a sella, dictas esse *sellarias*, unde adhuc quaeri potest, quem sensum huic verbo subiicere voluerit. Potuit enim *sellariarum* voce intelligere loca illa obscena, quae Tiberius primum excitasse fertur Svetonio in *Tib.* c 43, ubi *sellariam* femineo genere potius legendum esse quam *sellaria*, neutro, existimo, propterea quod eodem genere extulit Plinius *H. N. XXXVI*, c. 15. *S.* 24. §. 5. loco memorabili, e quo colligere licet, nefandum hoc spurcissimi Tiberii inventum in aulam transisse caeterorum quoque Impp. eiusdem commatis, quorum cum veluti praerogativa mansisse, nec ad privatorum aedes propagatus hic mos esse videatur, claret quoque cur tam rara eius verbi fiat mentio, ut ne ab uno quidem e tot antiquae lasciviae scriptoribus usurpatum sit. Sed haec ἐν παρόδῳ. Plerisque enim sedet, sellarias Nostrum appellare ipsas illas meretriculas, quas *prosedas* Plautus vocat, sive a sella gestatoria, qua vehebantur ut conspicuae essent, sive a vulgari sella, in qua ante lupanar considere solebant, nomen sit. Haereo tamen. Quanquam enim ap. Tacit. *Ann. VI*, 1. ab ista Tiberiana sellaria, homines *sellarii*, leguntur, invenioque Ernestium prodicere ad eam formam etiam *sellarias* meretrices apud Veteres occurrere, dubitare tamen licet, donec id certo aliquo teste probetur, quem adhuc desidero. Vtrum vero in ipso Iuvenale *alta* illa *sella*, sit gestatoria, an vulgaris et humi posita, nunc non discepto, ipsius Poetae interpretationem pro instituto procul habens. Velim tamen eos, qui cum novissimo Interprete sellam fertoriam et portatoriam alienam ab hoc loco esse, dictatorie proclamant, non inauditum dimittere Schefferum *de re vehicul. II*, 4. argumentis pugnantem non verbis. 2 Plane legendum, uti editum, *adulteria emant*. Sen. — Sic legendum, *non adulteri*. Henn. — Nemo tamen ita edidit, nec iusta est causa, ita edendi. Illud, si quid notandum, observari potest, *emendi* vocem pro *conducendi* positam esse. Festus: *Venditiones olim dicebantur Censorum locationes*, ubi v. Scalig. et si plura desideras Cuiac. *Obs. IX*, 15.

137. *quam fuit hospes.* Scipio Nasica, quem propter probitatem vitae Senatus elegit, ut [1] simulachrum Matris Deum de Phrygia allatum domi suae haberet, dum ei templum fieret. Hic est Scipio, qui oppressit Tiberium Gracchum, leges agrarias ferre conantem.

1 Sg. ita, *ut hospes esset M. D. id est, ut sim. eius domi suae haberet, et dum ei templ. fieret. quod sim. de Frigia all. est.* Sed errat nam qui Gracchum oppressit Scipio, illius anterioris nepos fuit. Vid Vell. Paterc. II, 3.

158. *vel qui servavit.* L. [1] Metellum dicit pontificem maximum, qui ardente templo Vestae, Palladium ex mediis ignibus rapuit, ibique caecatus est. Iste cum per Latinam viam proficisceretur, augurio corvi in oculos suos involantis, revocatus est [2], et, Palladium cum ex incendio rapuisset, passus est caecitatem.

1 Male Sg. *Lucilium.* 2 Mendosa sunt ista, *augurio corvi in oculos suos involantis, revocatus est,* nec melius pro ultimis verbis, *confirmatus est,* in aliis libris veteribus legitur. Requiritur enim *praemonitus est,* vel simile. Sch. — Nihil muto. Metellus enim ille Numidicus per Latinam non Romam proficiscebatur, sed Roma Tusculanum petebat, atque corvorum incessu augurioque quasi *revocatus* in Vrbem fuit. Testis Valer. Max. *I,* 4, 4. *Cum Metellus pontifex max. Tusculanum peteret, corvi duo in os eius adversum, veluti iter impedientes, advolaverunt, vixque extuderunt, ut domum rediret.*

143. *quantum quisque.* Lucillius:

Aurum atque ambitio specimen virtutis utrique [1] *est,*
Tantum [2] *habeas, tantum ipse sies, tantique habearis.*

1 *Vtrique*, condidato scilicet, nisi forte *utrumque* inibi rescribendum de sententia parentis nostri. Dousa ad *Lucili Reliquias* h. l. — Malim legere *utrumque est*; vel pro *utrique* scribe *ubique*. Sch.
2 Scribo, *Quantum habeas*. Sch. — Atque ita iam tacite emendarat Dousa.

145. *contemnere fulm. pauper cred.* Pauperi, quasi propter egestatem periuranti, Dii non irascuntur.

150. *consuto vulnere.* A sutriballo [1] sutus.

1 De voce hac egit Dufresnius multis. Sch. — Imo paucis, neque enim attulit nisi has gl. παλαιοράφιον, *sutriballum* et παλαιοράφος, *veteramentarius*, *sutrivallus*, ita nempe est in Cod. Sangermanensi, nam in editis legitur, παλαιοράφος, *veteramentarius*, *veterivallus*, *veterarius*. Sed unde ista significatio sit et unde vox descendat non dixit Cangius, nec scio qui dixerit, quod et de altera gl. *veterivallus*, ubi *v* pro *b* est, valet. Proximum quidem est deducere a verbo *ballare*, quod iterum e graeco βαλλίζειν vulgo derivant, de quo plena manu Casaub. et Salmas. ad *Vopisci Aurel.* c. 6. egerunt. Verum *ballare* est saltare, unde et *ballator* et *ballatrix* iam in Tironis notis et frequenter in medii aevi scriptoribus atque etiamnum apud vicinos Gallos vox *balle* et *ballet*, descendit; quae tamen res parum habet cognationis cum sutoribus. In hanc igitur suspicionem veni, *sutribaiulus* verum nomen esse, unde usu et contractione demum factus sit *sutribalus* et *sutriballus*. Etenim etsi *baiulare* proprie sit portare, tamen non respuit generalem verbi *operari* significationem, si Festum audimus. *Baiulos*, inquit, *dicebant antiqui, quos nunc dicimus operarios*. Fuerint igitur *Sutriballi* quasi ministri sutoris, qui, cum nondum essent artis suae magistri, reficiendis antiquis calceamentis in primis occuparentur, nostris, Schuflicker, unde et *Veteriballi* vocabantur, quod exactissime respondet nostratium: *ein Altflicker*. Et dum haec scribo,

video in eandem etymologiam intendere Ianuensem his verbis: *Ballo.* 1. *huc et illuc inclinare, et ponitur quandoque absolute, scilicet pro vacillare, et dicitur a baiulo.* Ita enim e Ms. legendum est.

154. *et de pulvino.* * Non sedeat, inquit, in ordine vel in numero aequitum pauper. *

155. *legi non sufficit,* Othonis qua iussit eos, qui quadringentorum sestertiorum haberent reditus [1], in numero equitum esse.

1 Haud credendum Commentatori. non enim reditus tantos, sed patrimonium habere debebant. D'Arnaud *Var. Conj. II,* 13.

157. *nitidi praeconis filius.* * Divitis degener [1] gladiatoris. *

1 Lege, *de genere.*

158. *Pinnirapi.* * A pinna. * Pinnis pavonum ornari solent gladiatores, si quando ad pompam descendunt. Pinnirapes [1] autem dicit lanistas, ex habitu gladiatorum; quia post mortem retiarii pinnam, id est, manicam [2] rapit, ut ostendat populo se vicisse. Aut ideo Pinnirapes, quia pinnas in galeis habebant, ut Lucillius,

Cum septem incolumis pinnis redit ac recipit se.

1 Ita quoque Sg. habet. sed Schrev. et Henn. hic *pinnirapos* dederunt, nec tamen, quod debebant, etiam infra. 2 Malim legere, *pinnam is ex manica rapit.* Sch. — Lucilii versum frustra quaero in Dousae collectione Reliquiarum Lucilii. In Sg. *pinnis* excidit.

159. *distinxit.* * Discrevit et proiecit, de numero eorum qui habent quadringenta sestertia. *

160. *Quis gener.* * Quando gener placet pauperior. *

161. *sarcinulis.* Nunc doti [1]. * Colligit autem quasi incommoda paupertatis, ut non maritus uxori sit pauperior. *

1 Malim, *non doti.* PITH. — Male. Sermo enim est de paupere genero, cuius facultates doti virginis non respondent, ut adeo potius *cunctae doti* scribendum sit. Tamen ego nihil mutaverim, et putaverim excidisse alia, quibus notavit Interpres alibi, Sat. VI, 146. *sarcinulas* de vili supellectile sumi. SCH. Sg. *nc.* Lego, *minor doti*, quod respondet Poetae, *sarcinulis impar.* Vitium ortum e siglarum perversa explicatione, quod patebit si conferre lubet doctissimum stupendique laboris opus, Cl. V. Koppii *Tachygraph. Veterum. Vol. I. §.* 120. 288. figuras enim dare typographiae arctior annona vetat.

162. *Quando in consilio.* * In curia non suscipitur pauper. *

agmine facto. * Collecta, inquit, multitudine, debuerant pauperes migrare ex urbe. nunc, quasi non pauperes, sed quasi Romae mediocres, gravius transient. *

166. *conatus.* * Conversatio. *

167. *hospit. miserabile.* * Care manetur pensioni. *

Servor. ventres. Cibaria servorum, * care emuntur. *

frugi coenula. * Id est, mediocris cenula caro comparatur. *

168. *Fictilib. coenare pudet.* *In Vrbe in fictilibus vasis manducare turpe videbatur, quodsi apud Marsos aut Sabinos videris [1], negabis esse turpe.*

quod turpe negavit. [Scipionem dicit.]

1 Lege, *vixeris*, et paulo ante *videbitur*.

169. *Sabellam.* *Diminutive. Sabinam.*

170. *veneto duroq. cucullo.* Aut crasso habitu, aut quales cucullos habent Perusini. vel a colore aut provincia, venetos.

172. *Nemo togam sumit.* Vt ei supra lectum mittant, dum mortuus effertur.

173. *colitur si quando.* *Quum post longum tempus celebrantur ludi.*

174. *notum Exodium.* *Devotio. non novum aut exquisitum.*

175. *Exodium.* Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret: ut quicquid lacrimarum atque tristitiae coegissent ex tragicis affectibus, huius spectaculi risus detergeret. Huius et Lucillius meminit:

Principio exitus dignus, exodiumque sequetur [1].

1 Versus Lucilii sic legendus est:

— *principio dignum exodiumque sequetur*

nam *exitus dignus* in versum illum irrepsit ex glossa. *exodium* enim exitum significat . . . Exodiarii olim proprie, Atellani; postea vero pro mimis vel mimicis scurris. Vir incomparabilis in notis ad Manilium e x o d i a dici putat dicteria, quae in fine fa-

bilia dicerentur, ut εἰσόδια, quae in principio, et ἐμβόλια quae in media fabula interponerentur. horum nihil verum esse potest. nam exodia Atellanarum alia ratione dicta, nec in fine fabularum introducebantur, et res erat prorsus a fabula separata. et fallitur ille vetus Scholiastes, qui exodiarios in fine ludorum intrasse scripsit. cum illa scriberet, respiciebat ad nominis rationem. nam exodium est finis vel exitus. SALMAS. ad *Vopisc. in Aurel.* c. 42. — Rescribe, *Dignus principio exitus, exodiumque sequetur.* FR. DOUSA in *Lucil. Reliqu.* — Dousam sequuntur tacite Henn. et Schurzfl.

177. *Aequales habit. illic.* *Actores mimorum similes spectatoribus videas; ex vestis habitu pares.*

178. *Orchestram.* Orchestra [1] spatium in quo saltat pantomimus. vel qui in orchestra procedit aut spectatur.

1 *Orchestra* περιφραστικῶς designat nobiles spectatores. in gl. ergo legerim, *spatium in quo saltator pantomimus senatui, qui in Orchestra praesidet, spectatur.* Haec sane sententia est eius, qui primus has glossas compilavit. SCH. — Quid si scripserit: *ubi spectetur*, hoc sensu, Orchestram aut locum significare, aut, qui in eo ludit, histrionem.

180. *habitus nitor.* *Potest esse genitivus, huius habitus nitor, possunt et singula pronuntiari nominativo casu.*

184. *Cum pretio.* *Tunc, tempore suo vilem [1] et superbum.*

18 Malim, *divitem.* Pertinet ad v. *Cossum.*

185. *respiciat clauso lab.* *Vt salutatus, tamen vel [1] respicere dignetur.*

1 Lege, *vix.*

186. *mitit barbam.* *Id est, tondet.*

188. *Fermentum.* Dulcium malum [1], quod stomachum indigestum praestat.

praestare tributa. *Sic fit ut damno quatiaris, si fueris [2] salutatum.*

1 Legerim, *dulcium mellitum.* Salvianus lib. V. *quid iuvat stomachum abstinentia, si statim dulcia subsequantur.* Sch. — *Dulcium*, scil. crustulorum, aliorumque id genus, quae nos vocamus, *pâtisseries*, quaeque *fermentum* creant in stomacho, atque ideo indigestum praestant. Achaintre. — Interpunge: *dulcium, malum quod* caet. Gallus interpres *dulcium* pro genitivo casu habuit, cum sit nominativus. Noster infra ad *Sat. VI*, 631. Dulcia, *placenta veneno plena*; unde patet, cur hic absolute *malum* vocaverit. Apulei. *Metam. II. p. m.* 118. *dulce* dixit. 2 Emenda, *si iveris.*

189. *cultis.* Bene vestitis. quippe, festo die suo servis donare cogimur, ut admittamur ad salutationem dominorum.

190. *gelida Praeneste.* *Aut ab aquarum abundantia dicit gelida, quia omnia, quae in Vrbem, inde veniunt [1]; aut frigorosa.*

1 Huic gl. alia videtur lectio ansam dedisse, nulla enim gelu inter et abundantiam affinitas.

191. *nemorosa.* *Silvestria.*

192. *Simplicibus.* Non ornatis.

proni Tiburis arce. In praecipiti posita, ut Horatius:

— *clivumque supinum.*

7*

193. *tenui tibicine.* Tibicinatam, tanquam tibicina [1], id est, materia gracili.

1 Lege, *tibicine.* SCH. — *Materia,* trabe. Fronto: *materies animi est, materia, arboris,* in Sg. abest *tibicinatam.*

196. *dormire ruina.* Erepturas [1] parietum calce modica perfundunt et inquilinos iubent manere, tanquam si restaurassent ruinam.

1 Puto, *erapturas.* RUTGERS *l. c. VI,* 18. — Sg. *crepturas,* quod non protinus damnaverim, nam cum medio aevo pro fissuris *crepidines* dixerint, et *crepitudines,* cur non et *crepturas*? Schr. et Henn. *rupturas* excuderunt.

198. *frivola.* *Supellectilem pauperis dicit.*

199. *Vcalegon.* Ex Virgilio [1]:

— *iam proximus ardet*
Vcalegon. —

tabulata tertia. Superiora tecta et tristega [2].

1 *Aen. II,* 311 *seq.* in Sg est utrobique *Vcaleon.*
2 De *tristegis* consule Dufresnium, qui de iis accurate egit. SCH. — Adde et Ianuensem, qui per loca concamurata explicat. Gangio aedificia sunt, tribus tabulatis constructa. Interpres ipsa tertia tabulata hoc nomine vocat, et hoc verius videtur.

200. *gradibus ab imis.* A prima scala. *ut si a prima scala coeperit ardere, hic novissime sentit, (sic) qui sub tecto manet.*

202. *a pluvia.* [Quia parietes texti rari et ruinosi perfiant [1].]

columbae. Quia super tecta columbaria fiunt.

1 Lege, *perfluunt.* Servavit eam Gloss. Valla.

203. *Codro.* * Pauper poeta, cuius et supra meminit. *

204. *Ornamentum abaci.* Quod nos Delficam [1] dicimus.

1 Vet. gloss. *Abaci, delphicae,* μινιστήριον ὡς Ἰουβενάλιος. Pith. — De delphicis alii hic multa, sed rem lippis nunc notam non libet prosequi post Cuiac. *Obs. X,* 13. qui glossam a Pithoeo prolatam paullo rectius ita scribit: *Abaci, delficae ministerium; ut Iuvenalis,* quae pessime nunc apud Stephanum et Labbaeum ita editur: *Abaci delfica.* μινιστήριον, ὡς Ἰουβενάλιος, cum, nisi fallimur ita primitus scripta fuerit: *Ornamentum abaci,* delficae μινιστήριον. ὡς Ἰουβενάλιος. nempe *ministerium* est explicatio verbi *ornamentum,* et continet quaevis vasa in delphicis apponi solita. Egregie Paulus *Rec. Sent. III,* 6, 86: *Vasis argenteis legatis, ea omnia continentur, quae capacitati alicui parata sunt: et ideo tam potoria, quam escaria, item ministeria omnia debebuntur: veluti urceoli, paterae, lances, piperatoria; cochlearia quoque, itemque trullae, calices, scyphi, et his similia,* ubi ad satietatem dixit Cuiacius Belgarum, Ant. Schultingius, nec monuissem, nisi viderem rudibus imponi a Ruperto, qui *abacos, delphica, ministerium* et *repositorium* promiscua vocabula venditat. Nam et de *repositoriis* fallitur, quod discere poterat a ICtis. Scaevola *l.* 19. *§.* 10. *D. de aur. arg. leg. Cui vasa sint legata; non solum ea continentur, quae aliquid in se recipiant edendi bibendique causa paratum, sed et quae aliquid sustineant, et ideo scutellas, vel promulsidiaria contineri. Repositoria quoque continebuntur.* Fere igitur fuerunt, quae muliercults nostris a diverso usu, ein Theebrett, vocantur. Plura si desideras adi Bayfium ap. *Polen. Thes T. III. p.* 688. et Salmas, *Obs. ad ius Att. p.* 451.

205. *Cantharus et recub.* Quemadmodum solent e marmoribus facere sigilla diversa [1]; recu-

haps enim a posteriore parte recumbens Hippocentaurus fingitur.

1 *Sigilla diversa*, ἀνδϱιαντάϱια cape, quale quid statuae fuit ille Chiron seu Hippocentaurus, qui pocular. mensam sustinuisse dicitur Iuvenali. Glossae Philoxeni, *Sigillum*, ἀνδϱιαντάϱιον, ζώδιον. Arnobius, *Quia imo Deos ipsa esse sigillaria censetis*. SCH. — In Sg. *fingitur* abest.

206. *cista libellos*. * In arcula libros inutiles [1] vel imperitos. *

1 Fortasse, *mutilos* propter versum sequentem.

207. *Et divina opici*. Opizein [1] Graeci dicunt de iis, qui imperite loquuntur. Alii, Opicos dicunt eos, qui foedam vocem habent.

1 Eaedem glossae, *Opicus*, ὀπικιστής, ὡς Ἰουβενάλιος. et, *Opicus*, ἀῤῥητοποιός. PITH. — De verbo ὀπίζειν vide quae Dufresnius ex Vgutione observaverit. SCH. — Sg. *opizin*. Caeterum quae Cangius ex Vgutione in *Opizare* habet, leguntur quoque apud Ianuensem in *Opicare*, in cuius edit. Moguntina a. 1460 ita exhibetur versus Iuvenalis: *Et divina Opici redolebant carmina mures*. Sed in MS. nostro Ianuensi est *rodebant*, nec aliter legisse eum, ipse contextus docet. Illud etiam annotare libet, quia silentio praetermissum video, Vossium *Epici* pro *opici* maluisse, ap. Burman. ad *Anthol. Lat. T. I. p.* 317. ut Homerus intelligatur. Sed neque de Homero, neque de Ennio, quod alii faciunt, hic somniare licet.

210. *frustra rogantem*. Aut sine causa, [et est barbarismus in metro [1],] aut panem petentem [2].

1 Recepi e Valla et est bona glossa, litem de lectionis varietate facile dirimens. 2 Lego, aut *frustra*,

id est, panem. Pith. — Recepit Henn. in textum.

211. *iuvabit.* * Suscepit [1].*

1 Igitur Interpr. ap. Poetam *iuravit,* legit.

212. *Asturici.* * Nobilis senatoris. *

horrida mater. * Id est, divitis mater. a parte totum, id est matronae. Item horrida mater, mater familias. *

213. *Pullati proceres.* Cum nigris vestibus lugentes.

vadimonia. * Lites, sive iudicia. *

214. *tunc odim. ignem.* Non incendium laris nostri [1]. aut prae tristitia aut propter casum, nec focum in domo nostra fieri patimur; quod et lugentes observare solent.

1 Lego, *Non ob inc. laris n. at prae trist. propter casum* caet. Rutgers *l. c. I,* 16. — Scribe, *Non ob inc. laris Asturici, sed prae tristitia, eum propter casum.* Sch. — Malebam, *Nimirum incend. laris n.* ut vitium sit e compendio scribendi. Sed ad veram, ni fallor, scripturam nos ducit Cod. Sg. *Non incandiunt lares nostri, aut prae trist.* caet. modo scribas, *non incandiuntur.* Glossae Labbaei: *Candeo, λευκαίνομαι; Candio, λευκαίνω.* Sensus: non mundantur aedes nostrae, qui mos respondet pullato colori in vestitu, nec improbabilis per se est, sed, quantum memini, nulla mentione alius scriptoris veteris firmatus. 'Altera gl. quae sequitur, de igne in foco, tristitiae causa extincto,' egregia est observatio et genuinam Vatis mentem eleganter demonstrat, quam qui deserunt, et *odimus* per *execramur* explicant, nae illi digni sunt, quos in vicem execremur. Faciunt tamen plerique. Huius luctus apertum vestigium prostat ap. Apuleium *Metam. II. p. m.* 125. Ibi: *Abi*

fatue, qui in domo funesta coenas et partes requiris, in qua tot iugis iam diebus ne fumus quidem visus est ullus. Ita habet iste locus in Edit. Elmenhorstii. nescio quam bene, et valde displicet illud *partes.* An fuit, *paropsides?* Sed haec nunc non inquiro, et in more illo consisto, ad quem prudenter nuper Tibulli locum, *I,* 1, 6: *Dum meus assiduo luceat igne focus,* retulit doctissime defensa lectione *assiduo,* Huschkius V. Cl.

216. *candida signa.* Statuas marmoreas.

217. *Euphran. aut Polycl.* Atheniensium caelatorum [1].

1 Sg. *Athenienses caelatores fuerunt.* In membrana una Hafniensi est gl. *propria nomina carpentariorum.*

218. *Haec Asianorum* [1]. Superstitiose gentem nominavit.

1 *Haec Asianorum* etiam Sg. in suo habuit.

219. *et forulos.* Armariam [1] sive bibliothecam.

1 Malim legere *armarium,* sed pro vulgata lectione facit etiam noster codex qui totidem litteris hanc gl. habet. Sch. — Nec aliter in Sg. est.

221. *Persicus.* Persicum, quasi divites posuit, eo quod Persae [1] divites. Sic Horatius:

Persicos odi puer apparatus.

Terentius:

dinumeret nunc ille Babylonias.

1 Sg. *eo quasi per se divites,* nec praefracte negarim ita scripsisse. magna enim fuit vet. grammaticorum licentia in huiusmodi κατὰ προσονομασίαν definitionibus. Vid. Alciat. *Parerg. IX,* 21. et Maranum *Opp. p.* 55. ne nominem, quos ubique offendas. Locus Horat. est *I, Od.* 38. et Terentii *Adelph.*

V, 7, 17. sed vitiose relatus, ubi nunc: *Dinumeret illi Babylo viginti minas.*

222. *ipse incenderit.* * Ideo suspicati sunt ultro ipsum succendisse domui suae, quo meliora et ampliora ei collata sunt. *

224. *Aut Fabrateriae.* Civitatum nomina Campaniae.

227. *defunditur haustu.* * In fluentem aquam. *

228. *Villicus horti.* * Terram colens. *

229. *Phytagoreis* [1]. * Secta phylosophorum, qui ab animalibus abstinent et de terra tantum manducant. *

1 Sic Sg.

231. *fecisse lacertae.* Notandum, quia feminino genere dixit lacertae, cum Virgilius masculino dixit lacertos [1], et aut ad animal retulit, quia sunt in agro quam plurimi, aut lacertam pro horto posuit, per quem discurrere et latitare consuevit.

1 Quae sequuntur desunt in Sg.

233. *languor peperit.* * Indigestus vigiliis. *

234. *meritoria.* Tabernae, ab eo qui [1] mercedes praestat.

1 Valla, *quia merc.* Pith. — Lege, *ab eo, quod ibi mercede prostant.* Sch. — Sg. *quae merc.*

235. *magnis opib. dormitur.* Magna potentia silentium imponitur viciniis [1] tabernariis, ut magno pretio somnus constat.

1 *Sg. vicinis,* quod et Schrev. dedit. — mox, *aut*

magno lege. duplex enim est gl. quarum una *opes* pro potentia, altera pro numis capit. Heun. *constet* dedit, grammatica postulante.

237. *convicia.* ° Molestia. *

mandrae. Locus in quo porci includuntur [1]. [*mandra* est hostium vici, vel flexum, vel arctum; aut breve et vile aedificium, quod angustet latitudinem vici; vel ingens vehiculum, quo trabes portantur.]

1 *Mandra* est carrus rusticus, plaustrum. Ergo ibi non bene gl. apponitur et de porcis pronunciatur, quod plerique de ovibus dicunt. Glossae, *Caulae*, περίβολαι, μάνδραι. Sch. — Imo non male Interpres, etsi non ad rem. *Mandra*, prima sui significatione videtur esse locus clausus ad pecus cogendum aptus. Eo ducunt antiqui Grammatici. Hesychius: Μάνδραι· ἔρκη, φραγμοί, ὗλαι, σηκοὶ βοῶν καὶ ἵππων. Gl. Philoxeni et Cyrilli: Μάνδρα, *hic septus*, *spelunca*; et alia, Μάνδραι θρεμμάτων, *caulae*. alia rursus: Μάνδραι αἰγῶν, *caprile*. denique: *caulae*, περίβολαι, μάνδραι. Inde non mirum ad alia loca circumscripta translatum esse vocabulum, veluti ap. Martial. *Epigr. VII*, 72. ad certum in tabula locum clausum, vel apud ecclesiasticos scriptores ad coenobia, quorum inquilini inde *Mandritae* horumque antistites vocati sunt *Archimandritae*, veluti ap. Iustinianum Novell. 123. c. 51. non ideo quia *Ovile* μυστικῶς pro Dei ecclesia dicitur, adeoque cucullati illi quasi per excellentiam *oves Dei* sunt, quod vel magnus Vossius putabat; quid enim? nos caeteri animulae vagulae, blandulae, an lupi erimus Diaboli? sed quia monachi primum speluncis, deinde monasteriis continebantur, ut dudum recte pervidit Alciatus ad *L. ult. C. de Sum. Trin. et fide cath.* Hoc autem verbi ambitu semel constituto, nil obstit poetis ulterius progredi et quod in centum aliis verbis factum est, ex metonymia, ipsa inclusa animalia, adeoque greges *mandras* appellare. Eo sensu Martial. Ep. V, 23. usurpa-

vit, nec aliter Iuvenalis *stantis convicia mandrae* dixit, h. e. convicia eiaculata in mandras stantes, ut bene iam ostendit Calderinus *h. l.* Quod enim Schurzfl. vir caeteroqui doctus, mandras pro plaustris capit, vereor, ut ulla auctoritate probari possit, nisi scholii, quod ex Vallae Probo subiunxi, quod quidem plane mira loquitur.

258. *Druso.* * Drusus, qui multum dormiebat. *

vitulisque mar. * Quia vituli marini multum dormiunt. *

259. *Si vocat offic.* Si officium faciendum sit Consuli a Praetore, disponit qui viam faciant [1].

1 Vise Is. Casaub. ad Plin. *Epp. I,* 5. Scн.

240. *Liburno.* A lectica magna liburnatos, et gerulos liburnos [1]. Ipse,

tarde venisse Liburno,

in secundo libro.

1 Lubinus lecticam dictam *liburnam* putat, et verba Schol. *a lecticà magna* ita intellexit ac si τὸ *Liburno* explicarent. At haec mens non fuit Schol. quasi a lectica magna dicerentur liburnati seu liburni, verum contra liburnatos et liburnos esse dixit a lectica. Ubi *a lectica liburni* sunt, qui eam gestant, quomodo frequentissime habemus *a custodia armorum, a Corinthiis, a fibulis* et id genus ap. veteres, pro ministris servisque qui haec talia curant. Sed qui *Getuli Liburni,* quos hic ipse Schol. memorat? Equidem sunt noti satis Getuli, sunt et Liburni, at *Liburnos Getulos* non puto quemquem observasse. Quare mihi non est dubium quin legi *gerulos* debeat; geruli Liburni sunt, qui lecticas gerunt. Ipse Schol. libro secundo, quem laudat, id est Sat. VI. 477. *Liburnus, nuncius, aut certe lecticarius, aut gerulus lecticae, quae liburnata est.* Vocat *liburnatam lecticam,*

non, quod esset e Liburnia, sed quod servis Liburnis gestaretur. SCHEFFER *de re Vehic. II*, 5. — Legendum: *Liburno*, *Liburno a lectica*. *Magno*, *Magna liburna navis et gerulus liburnus* caet. sed cogitandum de emendatione huius loci amplius est. SCH. — Rem pervidit Schefferus, qui *Getulos* mendose reperit alicubi. Ipsa verba sic corrigo: *a lectica magnos* (id ad *ingenti* respicit) *liburnatos* (scil. dicit) *id est, gerulos liburnos*.

243. *Ante tamen veniet.* *Quod festinat, ante nos venit, cum ab omnibus illi locus transeundi detur.*

244. *Vnda prior.* Populi multitudo stantis ad officium.

245. *Assere duro.* Amite lecticae [1] lecticarios significat.

1 Vet. gloss. *Asseres*, δοκίδες, ὡς Ἰουβεναλιος. PITH. — Distinguo: *Amite lecticae; lectic. significat*, et asteriscum tollo. SCHEFEER *de re vehic. II*, 5. — Pro *amite* Vir Doctus correxit *a more*. ANON. *in Misc. Bat.* — In ora libri Fabriciani scriptum inveni: *Lege*, *ab eminente vel tale quippiam. imo scribe a munere*. Imo apage has sordes. proba est lectio, nec difficilis.

246. *metretam.* Vas, quod amphoram capit.

247. *Pinguia crura.* *Currenti; ut festinanti fierent crura lutosa.*

249. *quanto celebr. sport. fumo.* *Quanta inundatio fiet sportulam accipientium.*

fumo. Apparatione.

250. *Centum convivae.* Perinde [1] convivium, quia sibi faciunt in commune.

sequitur sua quemq. cul. **Pulmentaria portans [2] secum, comparata ex sportula.**

1 Malim legere, *Perinde quasi conv. faciant in comm.* Sch. — Non opus. *perinde* est pro *proinde*, quae saepe miscentur. Vid. Ruhnken. ad *Rutil. Lup.* *p.* 31. 2 Lege, *portant secum, cum paratu.* Sch.

251. *Corbulo.* Alii dicunt athletam illius temporis fortem Corbulonem fuisse, alii genus navis [1].

1 Qui de *navis genere* gl. scripsit aliam oportet ap. Iuven. habuisse lectionem, hanc nempe: *Vix corbita feret*, a Gesnero quoque tentatam in *Hamburg. Verm. Bibl. T. I. p.* 171.

253. *ventilat ignem.* * Cursu enim ventilatus ignis ardet. *

254. *Scinduntur tunicae.* * Cuius libet pauperis. *

coruscat. * Apparet. *

255. *atque altera.* * Vehicula; nam materias portantia euntibus impediunt. *

256. *nutant altae.* * In latus [1] se extollunt. *

1 Lege, *in altum.*

257. *Ligustica.* Nomen insulae.

258. *agmina montem.* * Saxo [1] immane. *

1 Repone, *saxum.*

260. *obtritum.* * Minutatum, concisum. *

261. *More animae.* Sicut animae non videntur, ita cadavera minutatim concisa obteruntur.

263. *lintea gutto.* Et apparatur ad balnea ferre [1], si venerit, quem nescit peremptum. gut-

tor[4] autem dicitur, quia guttam mittit: quos habent capsarii. Strigula [3] autem est, quod xystram dicunt, unde oleum deteritur.

1 Senec. Epist. 79. Pith. — Scribe, *ea properat ad balnea ferre.* Sch. — Sg. *apparatura.* Corrige, *Et apparatum ad bal. fert,* vel tantum, *forte si,* ut volebat Fabricius hic. 2 Eaedem illae glossae, Guttum, λεκύθιον Ἰουβιναλίῳ. Pith. — Pro, *ab eo* Sg. *ideo* habet. 3 Ita hunc locum legimus, *Strigil est, quem Xystra dicunt, quo oleum deteritur.* Wouw. ad *Petron.* c. 91. — Veteres *strigil* et *strigilis* dicebant, non *strigila* veluti hic videmus. verum litera *a*, qua *autem* veteres designabant, literae *l* adiuncta est, unde ille error. Almel. — Lege, *quod* χύτρον vel, *chytrum dicunt,* quia sudor ex strigili, ceu rivulo labebatur, ut de ea loquitur Apuleius: *Florid.* 2. deterebatur etiam illa oleum post unctionem, et hoc vult scholion. Henn. — Lege, *Strigil autem est, quod* ξύστραν *dicunt.* A ξύω, scalpo, ξύστρα instrumentum quodcunque quod radit. Hesychio ξύστρα, ψηκτρὶς, ψήκτρια, strigil nempe. Henninii χύτρον contra mentem auctoris est, et nunquam χύτρος strigilem notavit. Sch. — Schrev. et Henn. *strigla* dederunt. Non autem video qui negari possit media aetate *strigulam* dixisse homines, cum vel *strigliam* dixerint. deinde Sg. et Schrev. *xistram* scribunt. Apud Vallam sic est: *Guttus in quo oleum mittitur, dictus quia guttam mittit. Striges dicuntur, quas habent capsari, vel candelae tridentem dicit.* habuit igitur is auctor in textu, *strigibus et pleno.* sed, puto, neque hoc, neque semet ipsum intellexit.

265. *Iam sedet in ripa.* * Id est, qui defunctus est, mox ad inferos pervenit, ut Virgilius [1]:

Inter quas Foenissa recens ab Venere Dido. *

1 *Aen. VI.* 450. sed legendum *recens a volnere.*

266. *Porthmea.* Carinam [1] Porthmeum dicit, non angustum traiectum.

coenosi gurg. alnum. *Id est, Acherontem.*

1 Lege, *Charontem*, et quod addit, *non angustum traiectum*, id est, non πόρθμον. PITH. — Lege, *Caronem*. Vetustissimor. scriptor. fuit sine adspiratione scribere. MUNCKER ad *Hygin. Fabb.* p. 48. — Sed et reliqua verba non sine mendo sunt, quae sic emendanda: *Porthmeum dicit, non Porthmum, angustum traiectum*. BURMANN ad *Anthol. Lat.* T. II. p. 41.

267. *Quem porrig. ore trientem.* Nummum, stipem. Et nunc apud Athenienses mortuis solent in ore nummum immittere, ut apud inferos non tamquam inopes errent: unde naulum Charon accipere solebat, ut Virgilius [1]:

Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est.

1 *Aen.* VI, 325.

269. *unde cerebrum.* Id est, quanto in excelso sunt insulae [1], vel quemadmodum coniuncta.

1 Lego, *quantae in excelso sunt insidiae*. RUTGERS. l. c. VI, 18. — Non opus est explicatio τῶ *tectis sublimibus*.

274. *Intestatus eas.* *Putas periculum sustinere, si non feceris testamentum, et sic ieris ad coenam.*

tot fata. *Tot mortes.*

275. *te praetereunte.* *Quasi per omnes fenestras iactare soleant et praetereuntes occidere.*

279. *Vt sint contentae.* * Hoc tibi, inquit, opta, * ut stercore perfundaris potius, quam alio gravi pondere feriaris.

pelves. Conchas, in quibus pedes lavant, ut vasa fictilia, ποδόνιπτρα [1].

1 Sg. sic, ΠtoΛÑIΠTRa.

278. *petulans.* * Luxuriosus. *

280. *noctem patitur.* * Quomodo Achilles moestus fuit pro patruele, quando occisus est, sic patitur si neminem ceciderit, id est, non potest dormire sine lite. *

amicum Pelidae. Achillis, qui morte Patrocli moestus fuit.

282. *quibusd. Somnum r. facit.* Iuvenes libidinosi et luxuriosi libentius dormiunt, si ceciderint aliquem.

283. *Coccina laena.* Purpura qua divites olim utebantur. Virgilius:

— *varioque ardebat murice laena.*

aut antiqui amphimallum laenam appellabant. Quod Graeci coccum, Latini teres birrum vocarunt [1].

1 *Latini posteriores*, legebat Is. Vossius in libri sui margine, at melius *Lat. veteres* corrigit Meursius in *Crit. Arnob. V.* 18. *p.* 39. vel *Graeci coccineum, Lat. veteres bir. voc.* ut legit Munckek. ad *Hyg. fab. LXIX.* Sed totus ille locus sic constituendus est: *Coccina laena. Purpurea* (male *Purpura* editur) *qua divites olim utebantur. Virgilius: varioque* (leg. *Tyrioque* ex *Aen. IV,* 262.) *ardebat murice laena. at antiqui amphiballum laenam appellabant. et quod Graeci coccinum, La-*

tini veteres burrum *vocarunt*. male enim editur *amphimallum*. quid sit *amphiballum* exposuit Meursius in Glossar. p. 25. Isidorus in Gloss. *Amfibalum*, *birrum villosum*, pro quo male in ed. Vulcanii p. 667. *Amfibulum birrum*, *villosum*. In Glossario inedito Vossiano: *Amfibalus*, *birrus*, *villosus*. Glossae MSS. Leidenses, Festo adnexae: *Amphibulus*, *villosa birrus*. Glossarium eiusd. Bibl. in SS. Biblia: *Amphibalus*, *capa villosa*. Vide B. Vulcanii Castig. ad Isidori Gl. p. 92. de *burro* multa dabunt Nic. Loensis Miscell. Epiph. c. 5. et Rosweydus in Onom. ad vitas Patr. p. 1017 sq. Burmann ad *Anthol. Lat.* *T. II. p* 408. — Hac bene longa animadversione otium factum est referendi quae hic congerunt Ferrar. *de re Vest. II*, 13. Barth. *Advers.* 24, 11, et 26, 26. qui non ita bene, *Latini recentes birrum*, et Schurzfl. qui, *Latini sericum birrum*, coniectat. Anonym. in *Misc. Bat.* legebat *aut amphim. quod antiqui laenam appellabant*, *Graeci coccum*. De *birro* multa contulit Salmas. ad *Tertull. de Pallio*. In *Sg.* recte *Purpurea* est, sed extrema clausula, *Quod Graeci* caet. desideratur.

284. *vitari iubet.* * Fuit [1] multitudinem servorum. *

1 Lege, *fugit*.

286. *lumen candelae.* * Lampas. *

luna solet. * Aut in obscuro, aut ad lumen lunae. *

287. *cuius dispenso.* Cuius candelae papirum temporibus [1] partior, ut duret. dispenso, dispono, tempero, ne aut citius ardeat, aut extinguatur.

1 Lege, *tempero id est partior*. Sch.

289 *ubi tu pulsas.* Caedis, ut Terentius:

Ego vapulando, ille verberando, usque ambo defecti[1] *sumus.*

1 Terent. *Adelph.* II, 2. habet *defessi.* quamvis τὸ *defecti* atrocitatem iniuriae magis exaggeret. Rutg. *l. c. V*, 2.

291. *Nam quid agas.* * Quid sis facturus, si a fortiori et furioso cogaris. *

293. *Cuius conche.* Cuius faba inflatus es.

sectile porrum. Folia porri [1], sive condimentaria.

1 Vir doctus malebat, *Fila porri.* Anon. in *Misc. Bat.*

296. *Proseucha.* Quidam nomen loci dicunt ad convivium constitutum, ex gaudio dictum. alii, locum ad quem convenire solebant mendici ad stipem petendam. alii tabernam, in qua pauperes vivant. προσεύχεσθαι enim Graece orare dicitur, et Proseucha locus Iudaeorum ubi orant.

298. *Tantundem est.* * Sive loquaris, sive taceas, uniter cedit [1]. *

vadimonia deinde. Postea accusant.

1 Lego, *iugiter caedit*, nisi sit pro eodem redit.

300. *adorat.* * Hoc est paupertatis miseria, ut post caedem in se collatam, etiam et causas dicat [1]. *

1 Id est, ut post verbera, vel actione impetitus, se coram praetore defendere necesse habeat. Explicatio nisi vera, certe docta; est enim ea antiquissima verbi Adorare significatio. vid. Festum in *adorare.*

304. *Fixa catenatae.* Quia catenas grandes ferreas per singulos axes [1] inducunt.

1 Pro *axes* Viro Docto legendum videbatur *asseres.* Anon. in *Misc. Bat.* — Imo *axes* sunt ipsi asseres et postes. Vid. Gesner. *Lex. h. v.*

305. *Interdum et ferro.* * Aliquotiens occidunt. *

grassator, Miles [1].

1 Mirum hoc, grassatores explicari per milites. Ratio forsan quod Int. non erat incognitum, *latrones* honesta significatione pro militibus poetis venire. Vid. Servium ad *Aen. XII*, 7. sed et potest gl. esse ad v. *custode.*

306. *Armato.* Quoties latrones, praesidiis conlocatis, a solitis locis depelluntur ac deiiciuntur, Romani [1] quasi ad certas praedationes et ad paratos pastus confugiunt.

1 Lege, *Romam,* ipso Iuvenale monstrante. Rutgers. *l. c. V*, 10. — Recepit Schrev. estque in Sg. in quo gl. sic audit: *Quotiens armato praesidio muniuntur ad depellendos latrones. Quotiens latrones praesidiis collocatis a solitis locis deiciuntur, Romam quasi ad certas praedationes refugiunt; tanquam ad vivaria currunt, id est ad paratos pastos.* (sic.)

307. *Et Pomptina.* Loca sunt abundantia latronibus [1] in Campania.

1 *Lacubus* est ap. Hennin. credo, typothetae negligentia.

308. *inde huc omnes.* * Vbi plures inveniant, quos occidant. *

310. *Maximus in vinclis.* * Id est, omnes fabri vincula operantur. *

311. *vomer, marrae et sarc.* Ferramenta quibus terra colitur.

313. *atque tribunis.* Qui post reges consulari potestate Rempublicam [1] administrarunt.

1 Sg. *consulariam potestatem in Republica.*

314. *Viderunt uno.* Tulliano scilicet, cuius aeque et Sallustius meminit.

315. *His alias.* Vmbrici verba.

plures subnectere. * Poteram et alia incommoda urbis dicere, nisi animalia me vocarent iam dudum. *

316. *iumenta vocant.* * Hoc est honerastas [1] expectant. *

sol inclinat. * Sero fit. *

1 Sic Sg. an: *onustata* voluit? onustare enim medii auctores pro onerare ponunt, an: *Onera sua expectant?*

319. *reddet Aquino.* Civitati Campaniae, unde fuit Iuvenalis [1].

1 Sg. ita: *Inde enim fuit Iuvenalis, de Aquino civitate Campaniae.*

320. *ad Helvinam Cererem.* Namque apud Aquinum [1] colunt numina earum dearum, quae colunt in Galliis.

1 Videtur Interpres legisse, *vestramque.* Et Umbricius igitur Gallus. Pith. — Mirabar olim hanc Pithoei notam, neque enim in scriptis editisque Iuvenalis aliud quid habebam, quam *vestramque*

Dianam. Nunc postquam usuram utriusque Pithoeanae accepi, video illum in textu Poetae dedisse *Vestamque Dianam;* et magis iam miror socordiam editorum qui eam lectionem, quasi coniurati, silentio premunt, novissimos in primis, qui tamen Pithoeanae accuratam collationem spondent, et vel hoc uno mucrone iugulantur. Et vero, utinam non plures paratos in se haberent! Sane Parisiensis nollet, quae de negligentia in conferendo Cod. Thuaneo nuperrime a V. Cel. Boissonade ad *Herodiani Partitt.* non uno loco prodita accepimus, aut quae iam decem annos ante de ingenio eius critico doctrinaeque apparatu non ita magno edixit collega quondam noster doctissimus Heinrichius, quo Bonna nunc gloriatur, programmate, quo *de nupera Iuvenalis edit. Parisiensi iudicium literarium* proponitur. Ceterum post *quae*, intellige e superioribus, numina.

AD SATIRAM IV.

DE PISCIS MAGNITUDINE, VEL, DE CONVIVIO DOMITIANI.

1. *Ecce iterum* [1]. De quo superius. Crispinum dicit, qui sua terra Aegypto egentissimus fuit, et postea factus est magister equitum Neronis.

mihi saepe vocandus. A me, qui saepe vitiis ipsius excitor, ut crimina ipsius dicam.

1 Priorum trium schol. verba tam confuse in Cod. Sg. scripta, et quasi casu quodam inter semet mixta sunt, ut vix exiguus sensus inde possit elici, quare singula referre operae pretium non duximus.

2. *Ad partes.* Quasi convivii et copulationis mensae. Ita et Sesenus [1] lib. II. ait, *Non dignus in quem debeam Saturam calente vi adingerere.* aut, ad partes operis mei [2]. metaphoram facit a Comoedia, quia scenici ad partes suas solent vocari.

1 An Serenus poeta, an Sisenna historicus? nescio. Achaint. — C. Barth. *Advers. XI*, 2. autumat Cassium Severum. alii Sisennam malunt, cuius inter reliquias etiam haec verba leguntur in Auson. Popmae *Collect. fragmentor. vett. Histor.* aliquoties in calce Sallustii expressa. Re-

tulit autem ibi hoc ἀνεπιτασμάτων Popma e Servii Comment. ad Virg. Aen. Lib. I. sed frustra in eo quaerendo horulam impendi. nec iuvit Index auctorum in Servii Comment. citatorum, quem exhibet Edit. Masvici et Burmanni, quo nescio, an vitiosior unquam sit editus. quod ne calumnia dixisse rearis, vide mihi vel unum articulum Sallustius, et deprehendes amplius triginta numerorum errores, ne quid dicam de decem et ultra locis plane omissis. 2 Pro *mei* scribe *ciere*. Sch. — Ita iam exhibuit C. Barth. *Advers. XI*, 2. et verba, *aut ad partes operis ciere* ipsi Seneno, sive quisquis auctor est, adtribuit, non Scholiastae.

3. *aeg. solaque lib. for.* Figura. Quid est Crispinus? *Aegrae solaque libidine fortes Deliciae.* — *fortes*, ut quem nullus potest etiam a consuetis vitiis deterrere.

4. *spernatur adulter.* In minore debilis scelere.

5. *Quid refert.* * Quid prodest, quod dives est, cum sit moribus criminosus. *

6. *nemor. vect. in umbra.* Viridiaria [1], ubi solent gestari.

1 Schrev. et Henn. *viridaria*, nec sequor. Etsi enim in vulgaribus veterum scriptorum Codd. modo *viridiaria*, modo *viridaria* scribi sciam, quod et notavit Oudendorp. ad *Sveton. Tib.* c. 60. illud tamen praeferendum videtur, quidquid contra dicat Schefferus ad *Phaedr. Fabb. II*, 5. Neque enim analogia repugnat, nam e *viridis* factum est *viridium* et dehinc *viridiarium*, et remotissimae aetatis libri MSS. defendunt. Ita in vetustissimo Cod Vatic. Vlpiani in *Fragm. Tit. VI.* §. 17. *viridiaria* leguntur, nec aliter exhibent Florentinae Pandectae in *L.* 26. *de instr. vel instr. leg.* Eodem redit scriptura *virdiaria* ibidem in *L.* 8. §. 1. *Eod.* et in *L.* 13. §. 4. *et* 7. *de Usufr.* ubi *viridaria*

temere Gebauerus, non valde felix Criticus. Quare nec audiendus est Forcellinus, qui falso *viridaria* Florentino Cod. vindicat, quasi ex edit. Taurelli, qua ipse non usus est, sed proletaria, nescio qua, ut non uno articulo probare possem, si id nunc ageretur. Neque eidem accesserim in differentia, quam ponit *viridia* inter et *viridiaria*, quam recte explodit Oudendorp. *l. c.* neque etiam alteri Italo Dandino in *de Servitut. praedior. Interprett. Epist. XI.* in ea, quam is e iuris voluminibus confinxit, ingeniose magis, quam vere. Sane enim Dandinius ille, nimium hodie neglectus, meo iudicio post Averanium inter Italos ICtos superioris saeculi caeteris palmam eripit ingenio, doctrina et stili elegantia.

7. *Iugera.* Hortos, aut spatia dicit in suburbio.

8. *Nemo mal. felix.* * Id est, qui malus est plerumque felix est, ut sic omnis malus, qui felix est, corruptor necesse sit. *

9. *cum quo nuper.* Vltimum Flaviae gentis Domitianum dicit. hoc enim ordine regnaverunt, Nero, Vespasianus, Titus, Domitianus [1].

1 Male omnino inter Flavios numeratur Nero. Sed vereor Schol. reliquisse, *regnav. Titus, Domitianus, qui mox Nero*, vel *Calvus Nero*, ut infra v. 38. Sch. — Imo est pars gl. ad vs. 38. male huc tracta, et illic *Nero* abest. Prior vitio laborat.

10. *Sanguine adhuc vivo.* Haec virginibus Vestae poena fuit decreta. si vitiatae fuissent, vivae in parietibus struebantur [1], aut sub terra obruebantur.

1 Quod unico verbo ἐγκατοικοδομεῖν exprimunt Graeci, Latini *parietibus struere* dixerunt, ut hic Int. et Capitolinus: *vivos homines parietibus inclusit et*

struxit. SALMAS. ad *Capitol. in Macrino c.* 42. — Cf. etiam Vales. ad Harpocr. p. 106. ANON. in *Misc. Obs.* — Sine igitur causa Hennin. *statuebantur* exhibuit.

12. *sub iudice morum.* Damnaretur a Censore.

13. *Nam quod turpe bonis.* Irrisive laudat, comparatione Crispini *bonos* dicens, non ea obiiciens quae in eum turpissima sunt [1].

1 Posterius membrum ad vs. 11. retrahendum est, hoc modo: *Sed nunc de fact. leviorib. Non ea obiiciemus quae in eum* (ita loquitur pro, *in eo*) *turpissima sunt.* RUPERTI. *l. c. I,* 16. — Idem in sua transferunt Anon. et Achaintre.

15. *persona est.* Non homo, sed persona.

16. *Aequantem.* Sex librarum, qui tantum potuit habere in pondere, quantum in pretio.

17. *qui de magnis.* Divites, gluttones.

18. *si munere tanto.* * Hoc argumento utebatur ad celibes, ut muneribus eos levissimis corrumpens, hereditatem illorum captaret. *

19. *Praecip. in tab. ceram.* Primam, in qua heredes primi scribuntur.

20. *Est ratio ulterior.* * Est et alia ratio, quae eum cogeret gravidem [1] piscem emere, ut per eum matronam corrumpat. *

1 Emenda, *grandem*, vel *gravidum*.

21. *antro.* Lecticam mulieris, aut sellam clausam dicit [1].

1 Aliam hic glossam e Cod. Vossiano producit Burman. ad *Anthol. Lat. T. I p* 625. et ipse Vossius in *Etymol. v. Basterna.* quae ea ipsa esse videtur,

qua utitur Cuiac. *Obs. XIII*, 30. quaeque sellas has per *basternas* exponit, quod idem facit MS. Iuven. Hafniensis in gl. interlineari. Add. Ramos ap. *Meerm. Thes. T. V. p.* 357. Caeterum post *dicit* Schrev. proprio motu subiecit, Gr. κατάστατον.

22. *Nil tale exspectes.* * Non potest dici luxuriosus et heredipeta ventris suae [1] cultor. *

1. Sic pro *sui* manifeste exaratum est.

23. *Apicius.* Auctor praecipiendarum cenarum, qui scripsit de iuscellis, fuit enim exemplum gulae.

hoc tu. * Ad comparationem Crispini. *

24. *Succinctus patria.* Biblo Nilotica. Fuit nam Aegyptius Alexandrinus, in qua papyrum nascitur in Nilo. Sic, ut vult Iuvenalis, Crispinus cartapola fuit [1].

1 Scholium hoc noster codex multo auctius habet: *Biblo Nilotica. Fuit Crispinus iste Aegyptius ex Alexandria, ea praepositura, quam papyri pendi- tores habitabant, in qua papyrus nascitur in Nilo.* Lege tamen, *venditores.* Ideo subiungit, *sic, ut vult Iuvenalis, Crispinus Cartapola fuit,* ubi lege *Cartopola.* Glossae, χαρτοπώλης, *chartarius. Praeposituram,* νόμην expone. In νομοὺς enim Aegyptus dividebatur antiquitus. Scn. — Qui hic *chartopola*, idem in Rubr. Cod. Lib. XI. Tit. XVII. *chartoprata* dicitur, et male eum pro emtore papyri accepit ex Azonis disciplina Accursius. Quem errorem cum dudum aperuerint Alciatus et Budaeus, mireris in eo luto tamen haerere adhuc Perezium, cuius Commentarios in Cod. nihilominus plerisque a doctrina valde commendari videas. Sed aliud est eruditum, aliud accurate doctum esse. Quod autem Schurzfl. in gl. sua, quantivis sane pretii, *praeposi-*

turam existimat νόμην indicare, non facile persuadeor. Quis enim putabit chartopolas Aegypti in unam aliquam eius νόμην coactos fuisse! Imo et olim fuit hic mos et adhuc per omnem Orientem servatur, ut cuiuscunque rei mercatores non vage in urbibus, quemadmodum apud nos solent, dispersimque habitent, sed ut omnes gregatim uno eodemque vico, quem vulgato per Asiam omnem Africamque nomine *Bazaar* appellant, tabernas exerceant. Haec igitur mens glossographi videtur esse, Crispinum ortum fuisse ex illa Alexandriae regione, in qua papyri propolae negotiarentur. Fuisse autem eam urbem in regiones divisam Philo testatur ad *Flaccum* his verbis: πέντε μοῖραι τῆς πόλεως εἰσίν, easque *praepositurae* vocat Interpres, quod quaeque magistro subesset. Res vero ipsa probabilitate non caret. Certe Constantinopoli in quarta regione fuisse chartopolarum tabernas, ideoque eum locum χαρτοπρατεῖον dictum fuisse dudum animadvertit ad Codicem d. l. Cuiacius, ideoque apud Zonaram et Cedrenum, qui ibidem χαλκοπρατεῖον fuisse commemorant, potius χαρτοπρατεῖον legendum esse suspicatus est. Veruntamen nihil prohibet, quin utriusque generis tabernae ibidem fuerint, quod adeo de suo adhuc tempore testatur Leunclavius in *Pandect. Hist. Turc.* c. 248. in calce Cedreni adiectis, et utraque vocabula etiamtum apud Graecos incolas in usu fuisse. Quod autem Cuiacius praeterea addit, Romae quoque fuisse eiusmodi locum, qui *chartariae* nomine venerit, id bona magis fide et veneratione fidelissimi auctoris accipio, quam certa persuasione, et rei et nominis ex antiquitate testem praestolans. Sane scio *chartarios*, chartae venditores non solum in gl. Gr. Lat. esse, sed et ap. Diomedem inter Putschii Grammaticos *p.* 315. et in lapide ap. Reines. *Cl.* XX. n 409. Vid. Oderici *Dissert. p.* 170 *sq.*, et *Chartarium* pro archivo et loco ubi diplomata adservantur; unde et fieri potuit, ut, quo vendebantur locus latine *Chartaria* dici consueverit. In Sg. verba, *Biblo Nilotica* desiderantur.

25. *Hoc pretio squamae.* Piscis [1], a parte totum.

1 Sg. *piscem*, et habuit fortasse in textu *squamam* scil. emit, quod non aspernabile foret.

26. *Provincia tanti.* Anthypophora, quasi Crispinus hoc responderit: Quid mihi invides? Apulia curios [1] agros vendit, ut maiores pisces vendit, quos tu provincialibus gratis abstulisti. et Ironia, *maiores Apulia vendit.*

1 Lego, *carius*. huc pertinet illud Senecae *Ep. CCI.* (?) *Suburbani agri tantum possidet, quantum invidiose in desertis Apuliae possideret.* Pith. — In Sg. ita: *qui mihi invides Apulio Curius*, et ultimum quidem e correctione, cum *curios* a prima manu fuisset.

27. *sed maiores* [1]. Amphibologia, utrum agros, an mulos: vel [2] per anastrophen postpositum sit, *Sed*, hoc pacto: *Sed agros maiores Apulia vendit*, vel certe, Provincia tanti vendit agros, quanti tu mulos emisti [3].

1 Sg. universo hoc scholio caret. 2 Valla recte, *ut pen.* in sqq. Hennin. pessime sic distinxit: *postpositum sit. Sed, hoc pacto.* 3 Scholia vetera ad hunc et praeced. vs. inepta. Quis enim unquam in Apulia mullos precio et magnitudine praestantes provenire tradidit. Hennin. — In scholiis h. l. omnia turbata sunt, ut verisimile videatur, in primo exemplari et archetypo, unde reliqua, quae nunc habentur, descripta sunt, huius loci scripturam prae codicis vetustate librarios minus adsequi potuisse. Ea, etsi misere lacera sint, possis tamen sic legere: *Anthypophora, quasi Crispinus hoc responderet: Quid mihi invides?* Post haec verba desunt quaedam, quae hoc modo suppleo: *Provincia tanti vendit. Respondet poeta.* Tum lege porro: *At Apulia carius agros vendit, aut maioris pisces vendit, quos tu a provincialibus tot sestertiis tulisti. Est ironia maiores Appulia vendit, et amphibo-*

lia maiores, utrum agros, an mullos? ut per anastrophen postpositum sit, SED, hoc pacto, sed agros maiores Appulia vendit. Vel certe Anacoluthon est, Provincia tanti Vendit agros quanti tu mullos emisti. Legit Scholiasta . . . *provincia tanti Vendit. Agros sed maioris terra Appula vendit* vel etiam, *maiores Appulia,* de ultimo enim nunc quidem non pugnabo cum quoquam. Sch. — Nec ego cum Auctore de huiusmodi emendatione, certus, si ita grassari liceat, facilius catechismum Lutheri in Heidelbergensem transformari posse, quam, qua id fieri iam videmus, tacita ratione.

28. *Quales tunc ep.* * Quantas, inquit, epulas piscis ipse consumpsit, cum extremae mensae epularum pars tanto constaret. et figuratos sextertia partem exigit [1]. *

1 Lego, *et figurate tot sestertia, partem exiguam* scil. dixit.

29. *Induperatorem.* Neronem dicit gluttonem, ut Domitianus sub Neronis nomine lateret.

31. *Purpureus.* A vestis colore. Crispini satelles est idem Domitianus [1].

1 Hoc loco *scurra* exponitur ab interprete *satelles*. Legendum enim, *Crispinus satelles est, Dominus Domitianus.* Sch. — Repono, *id est* pro *idem,* quae verba centies commutantur in MSS. et facio gl. ad v. *Induperatorem.* Caetera recte Schurzfl.

32. *Iam princeps.* Magister equitum Ro. factus est scilicet [1].

1 Scholiast. minus commode per Magistrum Equitum interpretatur. neque enim eo sensu capiendus, sed simpliciter, inter *Principes Iuventutis,* seu *equestrem ordinem* cooptatus. Vid. si lubet multis hoc asserentem Spanhem. *de Us. et Pr. Num. Diss. VII. p.* 664 *sqq.* Hennin. — Non Magister eq. neque

Princeps iuventutis h. e. Caesar, sed qui inter Equites praecipuum obtinuit locum, vel inter *equites illustres*, de quib. vide Int. ad Tac. Ann. II, 59. et XI, 4. RUPERTI.

33. *facta de merce sil.* Id est fracto vase [1] sardarum eiusdem municipii, unde ipse, Aegyptius. *Siluri* nam pisces sunt Alexandriae, unde fuit Crispinus, nullius pretii, quos inopes in Aegypto venditant.

1 *Fracto* est, aperto. Vel lege *fracto fasce*, cum videlicet salsamenta id genus non tam in vasis, quam fascibus, quod hodieque fit, convoluta et vendita esse videantur. SCH. — Emat haec qui volet. Quod *vasis* voce dubiam oppido in Iuv. lectionem exposuit Int. probabile facit, deperditam dudum esse veram illam, quam poeta posuit, lectionem, de qua, etsi frequenti eruditorum senatu iam actum sit, tamen nondum peractum esse videtur et altius deliberandum. Illud nunc tantum moneo, coniecturam *Pharia*, quam novissimi Edd. Salmasio adscribunt, Mureto deberi, quod ni esset, qui potuisset Pithoeus commemorare? Pro *vase* in Sg. *baso* legitur.

34. *licet et considere.* [1] Aut summisse dicere, aut proprie, res tenues dicere [1].

1 Scholiasta *considere* retinet, et exponit, quasi illud τῷ *incipe* opponatur: *Incipe Musa, licebit tamen etiam silere, quia veritas, quae narranda est, odium parit.* SCH. — Si *considere* habuit Schol, velim exponat aliquis, qui dicere potuerit, illud *proprie* esse, *res tenues dicere*. Igitur aliud quid legisse eum oportet. An *concidere?* tum enim potuit argutari; *caedere sermones* pro confabulari dici, igitur *concidere* esse garrire et nugas dicere.

36. *prosit mihi Vos.* Virgilius [1]:

Prosit nostris in montibus ortas.

id est, ad laudem vestram sufficiat vos puellas nominatas.

1 Aen. *IX*, 92.

57. *Flavius.* *Ut quidam dicunt, delator fuit.*

38. *Vltimus, et calvo.* Hoc convicium [1] in Fl. Domitianum, Titi fratrem, Vespasiani filium iactat, qui calvus fuit, ut Svetonius refert. propter quod Iuvenalis sub specie honoris relegatus est ad cohortis curam in Aegypto, Hoasa, ubi mortuus est [2]. *Vltimum* autem dicit, quia in illo Caesarum [3] origo defecit: et cum Vespasianus, et Titus, et Domitianus, Flavia ex gente fuerint, Domitianus ultimus illorum, et dissimillimus imperavit. Meminit hoc Valerius Martialis in epigrammate, his vero sibi finit [4],

Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit heres
Paene fuit tanti non habuisse duos.

1 Auson. de eodem Domitiano: *Quem calvum dixit sua Roma Neronem.* Serv. *IV. Aen.* Pith.
2 Quae hic dicuntur ea partim explicata sunt a Casaubono ad Sueton. et Savarone ad Sidon. p. 564. partim iisdem fere verbis extant in vita Iuven. a veteri autore, et fortasse ipso hoc antiquo interprete, cuius stilum plane refert, conscripta. Sed tamen relegatio non dicitur facta ob hos versus, sed ob alios e Sat. VII, 90—93. ubi scholia etiam, *propter hunc versum missus est in exilium a Calvo Nerone.* ita enim legendum, non *Claudio Nerone.* Sch. — In Sg. haec ita leguntur, confuse satis et inemendate, . . . *quia calvus fuit. propterea quod Iuvenalis sub specie honoris religatus est ad cohortis curam in aegypto hoasa ubi mortuus est. ultimum autem neronem dixit quia in illo caesarum*

origo defecit. Nam et Suetonius refert quia calvus fuit. Ultimum vero ideo dicit quia cum vespasianus et titus et domicianus caet. de qua varietate prolixe nuper dixit Franckius *Exam. crit. vitae Iuven. p.* 50. quae vel ideo non adscribo, praeterea etiam ut lectori suus sit sensus inturbatus. 3 Pro *Caesarum* vir doctus malebat *Flaviorum.* Anon. *l. c.* 4 An, *his versibus.* Pith. — Forte, *Val. Martial. III. Epigramma vero sic finit.* ex hoc epigrammate constat, Martialem non pervenisse ad nos integrum. P. Scriver. *ad Mart. p.* 29. — Corrupta verba non satis feliciter sanavit Scriverius. Idem paulo aliter in MSS. ad marginem Scholiastae: *Martialis in Epigrammate his verbis sub finem.* Propius inhaeret Pithoeus. possis etiam, *quod his versibus finit.* Heinsius, *his versibus ibi finit* caet. Burmann. ad *Anthol. Lat. I, p.* 237. — Plura ibi de auctore, nam ab aliis Sulpiciae adscribitur. Adde Miscell. Observ. *Vol. VII. p.* 335. et Wernsdorf. ad *Poet. Lat. Min. P. III. p.* 95. Hennin. edidit, *his versibus finiens.*

39. *rhombi.* Piscis formae magnitudo.

40. *Ante domum.* * Ante templum, id est, Veneris. *

quam Dor. sust. Ancon. Ancona Dorica, id est, Graeca civitas, quam Graeci in Italia condiderunt.

41. *Implevitq. sinus.* Id est, retia. Virgil. [1]

implevitque sinus sanguis.

1 Aen. X, 819.

42. *Quos operit.* Quia qui in Ponto et Maeotia [1] palude capiuntur pisces, immanes et pingues ex ipsa tarditate; quoniam [2] quando gelat, in glacie haerent. Sallustius [3]: *Itaque tempestate piscium vis Ponto erupit.*

1 Lege, *Maeotica*. Sch. 2 Lege, *et quoniam*. Sch. — Imo non, explicat enim causam tarditatis. 3 Refertur et hoc Sallustii fragmentum a Servio in *IV. Aen.* Expressit, ut et alia plura eius scriptoris Tacitus *XII*, 63. cui ex hoc loco remedium petendum est. Pith. — Hic incipit nova gl. ad v. *Ruptaque*. deinde leg. *finitaque*, non *itaque*. Sch. — Non invenio h. l. neque inter Fragm. Sallustii ab Editt. huius scriptoris collecta, neque in Servii Commentariis.

43. *Solibus*. Id est, soluta a sole glacie.

torrentis. Perfluentis [1], currentis. illic nam reuma quoddam trahit mare.

1 Vide num scripserit, *profluentis*. Sic *aqua profluens* absolute Ciceroni et ICtis. Sed haec parvi sunt, illud autem fere monstrosum, hanc *torrentis* pro *torpentis* lectionem, quam vetus Interpres in suo invenit, a recentioribus turpi silentio plane oppressam esse. *Rheuma*, sic enim recte scripsit Henn. cum sit Gr. ῥεῦμα, est maris fluxus. Sg. male *quaedam* pro *quoddam*.

44. *Desidia*. * Quia sunt nullo exercitio. pinguiores propter hiemem. *

46. *Pontifici summo*. Ironia [1].

1 Sg. mira loquitur: *heronia Domiciano ex h^{ta} vroma a summo*, quae aliis explicanda libens relinquo.

47. *cum plena et lit*. Non solum fora [1].

1 Sg. pleniorem habet hanc gl. *Et per littora, et per omne mare delatores fuerunt, non solum per foros*.

48. *protinus algae*. * Id est, in alga, cum a piscatoribus inquirebant. *

50. *Non dubitaturi*. * Hoc dicerent, inquit, calumniatores vel delatores, hic talis piscis de vi-

vario Caesaris elapsus est, et quia ibi pastus est, eodem debet reverti. *

53. *Si quid Palfurio.* Palfurius Consularis filius [1], in agone cum virgine Lacedaemonia sub Nerone luctatus est. Post inde [2] a Vespasiano Senatu motus, transivit ad Stoicam sectam, in qua cum praevaleret et eloquentia et artis poeticae gloria, abusus familiaritate Domitiani, acerbissime partes delationis exercuit [3]. quo [4] interfecto, Senatu accusante, damnatus est: cum fuissent inter delatores potentes apud Domitianum et [5] hi, Armillatus, Demostenes, et Latinus archimimus, sicut Marius Maximus scripsit.

1 Repone ex vet. *Palfurius Sura consularis viri filius.* Pith. — Sic et in nostro libro est et in suo Britannicus offendit. Sch. — Accedit Valla, et in voce *Sura* quoque Cod. Sg. in quo mox desunt verba, *in ag. cum virg. Laced.* ap. Hennin. autem *filius.* 2 Lege, *deinde.* Pricaeus ad *Evang. Iohan.* XVIII, 7. — nil opus. 3 An legendum, *acerbissima patres delatione exercuit?* potest tamen retineri vulgata. Sch. 4 Intellige, Domitiano. Sch. — Valla, *Sed interfecto Domitiano.* Mox Sg. *fuisset.* 5 *et* omisit Sg. et maius spatium reliquit, quam ista vocula postulavit.

56. *Ne pereat.* Fisco, quod iam distrahi non potest [1].

cedente pruinis. * Hieme. corrumpi ab extu [2] non poterat, quia Autumno decedente hiems venit. Virgil

at cum tristis hiems. *

1 Integrior Sg. *Fisco donabitur ne pereat, quod i. d.*

n. potest. 2 Lego, *ab aestu.* Locus Virgil. est *Ge. IV*, 135.

57. *Autumno.* * Per autumnum nam vigilant morbi. *

59. *auster.* Ventus calidus, quo pisces corrumpuntur.

60. *Vtque lacus.* Id est, cum prope lacus Albanenses iam venisset piscator.

61. *Ignem Troianum.* Romani Tullo Hostilio rege cum deseruissent [1] Albam, sacra sublata Romam transtulerunt, et Deos penates: quorum penetrale tam venerabile deprehensum est, ut lapidatio de coelo caderet supra memorati ponderis [2], propter quod prodigium, ex libris Sibyllinis, iussi Pontifices ex SC. Albae sacra renovare. Tanta enim repente, cum ea vellent transferre, grando cecidit, ut intelligerent, suis locis sacra non esse movenda. Inde ibi, perseveranti Deo. et Vestam *minorem* dixit ad compositionem.

1 Forte, *diruissent.* Rup. 2 Emendo, *ut lap. de c. cad. super eo memorati pond.* dixit *memorati* pro ingentis. Int. vetus ad illud Horatii Labeone insanior, *Martius Antist. Labeo Irsperitus memoratae libertatis.* In fine Glossae pro *Inde ibi* legendum *inibi*, et pro *Testam*, *Vestam.* Rutgers *l. c. I*, 16. — Omnia clara sunt ex Rutgers. emendatione. Ultima verba *ad compositionem*, expone, *ad comparationem*, maioris scil. Minervae, quae Romae erat. Eadem historia a Livio Lib. I. narratur. Sch. — In fine Schrev. et Henn. dederunt, *Inde ibi perseverant. ideo et Vestam* caet. Vbi *Testam* Rutgers. reperierit nescio. *supra* retineri.

potest, relato ad *penetrale.* pro *Deo* malim *Dea:* de Vesta enim sermo.

63. *Vt curit.* * Ianuae Palati praebuerunt itum pisci. *

65. *Picens.* Piscator de provincia, ubi piscis captus fuerat.

67. *laxare saginis.* Alii *sagittis* [1], ut sit sensus, acutis curis, ut exercitatione sagittarum digestioni, inquit, et harenis, quibus vectari illum debere dicit ob cibum futurum. Legitur et *saginis*, id est, escis futuris stomachi indigestum praeparare.

1 Scribe: *Sagittam.* *Alii Sagittis, ut sit sensus, acutis curis, ut exercitatione sagittarum, digestionem invita. Legitur et Sagenis, quibus vectari illum debere dicit, ob cibum futurum.* Sagenae navigia erant. Papias, *Sagenula pro navi ponitur.* Porro corrige, *Legitur et Saginis laxare, id est escis futuris stomachum digestioni praeparare.* Sch. — Quasi de suo agello, eadem dedit Rupertus. ego nec meliora, nisi propius ad scripturam malis: *digestionem inquire. aut sagenis*, et in fine, *stomachum in digestum praep.* i. e. ad digestionem. Quid Valla habuerit, eius potius, quam meis verbis disce: „In quibusdam est, *iactare sagittis;* id est hac lectione: hunc locum Probus exponit, ut sit *sagittis,* id est curis, vel certe exercitationibus sagittarum stomachi tibi compara decoctionem: ut in Albano sagittis lusitantem imperatorem piscator videatur invenisse, nam sagittandi peritia clarus a Tranquillo etiam scribitur." e quibus, nisi aliud, non commemoratam ab aliis in Poetae verbis lectionem deprehendes.

69. *Et tamen illi.* Adsentatione ac laude intumescebat Imperator, quamvis falsa.

71. *Diis aequa potestas.* Regnum scilicet.

73. *quos oderat ille.* Hoc [1] ad mores infert regis, non ad illorum merita.

1 Sg. *Tiberius*, *Nero et Domicianus, et hoc ad mor.* caet.

75. *Pallor amicitiae.* Simulatae. Cicero [1], *Nulla est occultior res insidiis, quae latent in simulatione officii.*

clamante Liburno. Qui admissionibus praeerat [2].

1 Lege ex optimis edd. *Nullae sunt occultiores insidiae quam hae, quae latent in simulatione officii.* Gruter. *quam eae,* Action. in Verr. II, 15. Almelov. — Sg. *quaeque.* 2 Hoc ex aevi posterioris disciplina petitum est, allusione facta ad Magistrum Admissionum, de quo est Vopiscus in *Aurel.* c. 12. et Ammian, *XV,* 5 et 8; cuiusofficium olim in domibus magnatum ab Ostiaris observatum, quibus adeo Decurionem praefuisse discimus e lapide ap. Sponium in *Misc. erud. antiq. Sect. VI.* Sed nihil haec ad Liburnum Poetae.

77. *Pegasus.* Trierarchi filius, ex quibus Liburnae parasia nomen accepit, iuris studio gloriam memoriae meruit, ut *liber* vulgo, non homo diceretur. Hic functus omni honore, cum provinciis plurimis praefuisset, urbis curam administravit. Hinc est Pegasianum, scilicet ius, quod Iurisperitus fuerat [1].

villicus urbis. Eleganter sub Nerone urbis praefecturam iacuisse dicit, quasi scilicet urbs ipsa iam tum esset villa principis, et de villico urbano Sat. III. [2]

1 Lego, *Ex cuius liburnae parasia*, et *parasiam* intelligo quod παράσημον B. Lucas appellat *Act. ult.* et a tutelae navis paterno signo *Pegasum* dictum. Quod sequitur (*scilicet ius*) non abs re quis putaverit scriptum pro *SC.*, quanquam et *ius Pegasianum* ferri potest, ut *Papyrianum*: et de Orfitiano SC. Symmachus, *Quique dedit leges Orfitus Aeneadis*. Pith. — Corrigendum, *ex cuius lib. parasemo*. Scriptum *parasimon* erat. Salmas. ad *Solin. c.* 34. — Scholium bene constituit Pithoeus; scriptum primitus *parasimo*, inde superius addito circello *parasio*, et *parasia* demum, quod vocis sane non tanti erat, ut in glossarium suum referret Dufresnius. Sch. Docuit Pith. docuerunt et alii pro *scilicet* substituendum *SC*. Sed quo ore Schol. SC. Pegaso Cos. factum *ius Pegasianum* dixit? Ius fuisse scio, sed non a Pegaso factum, verum a Senatu. Sed anne et haec inepta ratio, *quod Iurisperitus fuerat?* num ob id *Pegasianum* dictum quod Pegasus iurisperitus fuit? inane hoc, vanum et falsum. Deinde quae haec vis et qui error librarii probabilis verba haec *scilicet ius* reponentis pro *senatusconsultum?* Quare verecundius agendum puto et mitius excusanda imperiti hominis culpa, hoc modo: scriptum fuit *hinc* h. e. ab hoc Pegaso, *Pegasianum SC. et ius, quod Iurisperitus fecerat*. Schol. autem hac scriptura et quae verissima est, ostendit, sua aetate duo nobilia ferri, profecta ab hoc Pegaso, quorum alterum est SC. Pegas. et *ius*, quod is ICtus, vel tanquam IC. fecerat. Continuit illud ius consilia, responsa, sententias et opiniones et generaliter omnia scripta Pegasi de iure. *Iura* autem fuisse appellata illa ICtor. scripta, qui ius respondendi a Principe acceperant, intelligimus ex §. 8. *I. de iur. N. G. et C.* quare et Iustinianus *responsa prudentum* sextam iur. civ. speciem constituit. H. Canneg. *Observ. Iur. Rom. III*, 7. — Vir doctus hoc schol. ita constituendum censebat: *Pegasus, hinc est Pegasianum SC. Interpres legum quod iurisperitus fuerat.* Anon. in *Misc. Bat. l. c.* — Scio plerosque, Menagium, Heineccium, Bachium, alios in ea opinione esse, ita di-

ctum esse *ius Pegasianum* quemadmodum *Papirianum*, *Flavianum*, *Aelianum* dicitur; mihi vero vel ideo hoc improbabile videtur, quod, etsi saepe in Pandectis laudetur ipse Pegasus ut iuris auctor, nusquam tamen illud *ius Pegasianum*. neque in ea re §. 8. *l. d. l.* quidquam efficit. quare sic potius, conflata Pithoei et Canneg. emendatione, legendum putavi: *Hinc est Pegas. SConsultum; ius, quod iurisperitus fecerat*, i. e. ius, cuius auctor fuit isto ICtus. re tamen accuratius pensitata malo Anonymo accedere, et verba, *iuris*, (sic enim lego) *quod iurisperitus fuerat* retinere et pro interpretamento accipere τῶν *Interpres Legum*, quod et suadet, quae mox sequitur gl. Cod. Sg. etsi mendosa. Quod autem *provinciis* plurimis praefuisse dicitur Pegasus, id potissimum de urbanis magistratibus cape. pro *praefuisset* Sg. exhibet *profuisset*, in ipso autem initio Schrev. et Hennin. Salmasii correctionem in textum admiserunt. A Valla nihil praesidii est, neque is a Probo suo quidquam ad h. l. accepisse videtur, nisi vitiosa haec: *fuit et paegasus triarchi filius cuius* (id confirmat Pith. emend.) *navis paegasae monumentum accepit*. 2 Restitui hanc gl., cuius non nisi primam partem Cod. Sg. habet, suo loco, omissam olim a Pithoeo in textu et insertam in notis eiusdem.

79. *Interpres legum*. * Iurisperitus fuit, ut psecutus [1] unde ius Pegasianum. *

1 Fateor me haec non intelligere, nec, quomodo sananda sint, scire.

80. *inermi Iustitia*. Quanquam optimus, tum pro tempore omnia iniuste [1] agenda credebat.

1 Olim editum *iniuste*, non *mitius*. etiam legendum, *tamen omnia pro temp*. Sch. — Nempe *mitius* edidit Hennin. sed ea emendatio non convenit verbis, *quanquam optimus*, cui par est mitem esse. erravit glossographus ut saepe.

81. *Crispi iucunda sen.* Lucanus (VIII, 476.)
— *fractisque modestior annis.*

Crispus municeps Viselliensis [1], tirocinio suo in Senatu, ita coepit, *Patres conscripti, et tu Caesar.* [2] propter quod simul oratione [3] plenissime a Tiberio conlaudatus, plurimas sponte causas apud C. V. [4] egit. pro qua re in basilica Iulia eius statua posita est. Consulatus [5] duos gessit. uxores habuit duas, primam Domitiam, deinde Agrippinam, illam amitam, hanc matrem Neronis Caesaris. Possedit bis mille sestertia. [6] omnium principum gratiam adpetivit, sed praecipue Caesaris [7], quem iter facientem secutus est pedibus. Hic nullo audiente a Nerone [8] interrogatus, haberetne, sicut ipse, cum sorore germana consuetudinem? Nondum, inquit: quantumvis decenter et caute, ne aut negantem eum argueret, aut adsentientem sibimet mendacio dehonestaret. Periit per fraudem Agrippinae [10], quam heredem reliquerat, et funere publico elatus est.

1 *Versellensis*, Tacit. Dial. *de Orat.* 8. M. Fab. Quintil Crispi iucunditatem commendat *XII*, 11. et huius illud in tyrannum, *Ne musca quidem.* PITH. — Scita narratiuncula, quam tamen ego ad Crispum Passienum traho, auctore eius valde invito. Nam ille (dormiit, an stertuit?) refert ad Crispum, qui sub Domitiano. Atqui Vibius ille nomine fuit: nec quadrant in eum re aut aevo, quae hic dicta. Mira μετεωρία Scholiastae, alias docti. Sed et noster amicus cur rescribit *municeps Vercellensis?* Εὐλόγως ad Vibium illum, fateor, at non ad Passienum. Quanquam Viselliae municipium etiam mihi igno-

tum. An *Vitelliensis*, an *Vicelliensis?* quae loca Italiae reperies. LIPSIUS *Exc. ad Tac. Ann. XII*, 6. — Recte cum Lipsio, quae hic narrantur ad Crispum Passienum refert quoque Ryckius ad *d. l. Taciti*, non ad alterum illum Vibium Crispum, de quo Iuvenalis. Passienus bis Cos. sub Claudio decessit. Error tamen Schol. verosimile facit, etiam hunc Passienum e gente Vibia fuisse. Caeterum pro *Visselliensis* habet Sg. *Visellens e.* Valla autem sic refert: *Vibius Crispus Placentinus, ut inquit Probus.* 2 Laus in eo, quod Caesarem post Patres appellabat. 3 Forte *simulatione.* PITH. — Malim *orationem*, ut duplex caussa laudis fuerit et Libertas et Eloquentia. LIPS. *l. c.* 4 Id est, Centumviros. De *Basilica Iulia*, cf. si placet, Scalig. ad *Euseb. Chron.* p. 157. 5 Hennin. errore, *Consultatus.* 6 Lego, *bis millies sestertium.* PITH. — Ita scribendum quia homo praedives, et Sueton. ait Neronem hereditate eius ditatum. LIPS. *l. c.* — Schrev. et Henn. *bis* ∞ *H. S.* 7 Valla addit *Tiberii* nomen, nescio quam bene. PITH. — Excidit nota praenominis *C.* id est *Caii*, nam hunc intelligit. LIPS. — 8 A Nerone? imo vero a *Caio*, in quem scelus hoc incesti competit. nisi mavis, *hic illo audiente a Ner. inter.* ea mente, ut Caio praesente, a quopiam Nerone, qui adularetur foedo Principi et simul huic insidiaretur, sit rogatus. LIPS. 9 An, *ne aut negans eum arg. aut adsentiens semet mend. dehon.* PITH. — Corrigo, *ne aut negando eum arg. aut adsentiendo semet m. d.* LIPS. — Ita et SCH. voluit. *Ryckius* Pithoeum sequitur. In Sg. verba *aut ads. m. dehon. desunt.* 10 Ergo sub Nerone. et extat de Crispi morte carmen, quod Annaeo Senecae tribuitur. Non idem igitur sub Domitiano. PITH.

87. *Cum quo de pluviis.* De rebus frivolis et usualibus [1] * loquentes, vehementer timebant. *

1 *Vsuales* res sunt viles et promiscui omnium usus, nec video cur mutatum sit. SCH. — Nimirum Hennin. contra Codd. *vulgaribus* substituit.

89. *brachia contra.* * Id est, nunquam voluntati bonae Neronis obstitit. *

90. *nec civis erat.* Aut ipse Crispus, aut quicumque [1].

1 Atqui sine dubio Iuven. Crispum tantum intellexit. Monachiscus in Cod. suo invenit, *Civis, Crispus.* Sed putavit melius legi *quivis*, quod tamen contra metrum erat, et addidit *aut quicunque.* Sch. — Haec nimis quaesita. Imo cum Glossator sciret *civis* vocem esse generalem, putavit hunc esse posse Poetae sensum, neminem omninó tunc temporis fuisse, qui libera verba proferre auderet.

91. *et vitam imp. vero.* Vt Virgil. (*Ge. IV*, 238.)

— *animasque in vulnera ponunt.*

92. *Sic multas hiemes.* * Sic in vita diu multumque duravit, dum praeceptis Caesaris paret. *

94. *eiusd. prop. Acilius aevi.* Virgil. (*Aen. II*, 561.)

— *ut regem aequevum.*

Acilius. Consul sub Domitiano fuit, indignus pati quae passus est; huius cum filium iuvenem Nero occideret [1], ipsum Acilium servavit, qui poenas sentiret orbitatis.

1 Lego, *cuius filius fuit indignus pati, quae passus est.* Sch. — Haec nimia vis est. sufficit in fine *quo* pro *qui* scribere. Sg. pro *cum fil. iuv.* habet *cum iuventem.*

97. *Prodigio similis.* ° Quasi prodigio similis est nobilibus senectus. difficile nam nobilibus continget senescere. plerumque nam immatura morte occiduntur, praetêrea [1] sub Domitiano. *

1 Lege, *praesertim.*

98. *fraterculus esse Gig.* Ut omnes me oderint, aut timeant, aut contemnant. id est, *ignobiles* pro *gigantibus* [1].

1 Scribendum, *Id est, ignobilis, prout gigantes, ut omnes ne metuam, aut omnes me oderint et contemnant.* Sch.

100. *ursos Figebat Numid.* In lusorio [1] Caesaris iuvenis iste ursos saepe, quasi venator, occidit.

1 *Lusoria* quid fuerint, varie tractatum est a viris doctis, nec mirum, cum ea vox vix sexies in omni antiquitate commemoretur. Lipsius *Saturn. I,* 14. ludos fuisse putat, in quib. gladiatores instituerentur; Casaubonus ad *Lamprid. Heliog. c.* 25, ludorum sedes; Salmasius *ibid.* ipsa Amphitheatra; alii cum Dufresnio in *Glossar.* theatra fuisse maluerunt, atque in harum sententiar. unam plerique omnes discedunt, nisi quod Pancirolus in *Tr. de XIV. Regg. Vrb. Cpol. p.* 29. putat loci nomen fuisse Constantinopoli, ubi naves lusoriae fabricarentur, quae opinio vel specie caret, quia *lusoriae* in solis fluminibus habebantur, non aptae Ponto, aut Bosphoro aut Propontidi. Vid. Iac. Gothofr. ad *L. un. C. Th. de Lusoriis Danubii.* Sed nec caeteri collineant, unde non videbimur operam ludere, vim vocis diligentius excutientes. Et primum quidem dubitationem non admittit *Lusorium* fuisse locum ferarum venationi atque editioni earumque cum noxiis quandoque commissioni destinatum. Constat id et Interpretis nostri auctoritate et Lampridii l. c. qui de Elagabalo, *stravit,* inquit, *sibi triclinium in summo lusorio, et dum pranderet noxios et venationes sibi exhibuit.* firmat quoque Lactantius *de mortib. persecutor. c.* 11. ubi de Maximiano Imp. sic: *Quid,* ait, *lusorium vel delitias eius referam? Habebat ursos ferociae ac magnitudinis suae simillimos . . . His homines non plane comedendi,*

sed obsorbendi obiectabantur: quorum artus e. dissiparentur, ridebat suavissime, (an, *saevissime?* nihil enim in ea bellua suave) *nec unquam sine humano cruore coenabat.* Unde apparet Lusoria nihil commune habere neque cum gladiatorum ludo, neque cum theatris, proxime autem et re ipsa accedere ad Amphitheatra, quibuscum etiam in eo convenerunt, ut non sola area constarent, sed aedificio ornata essent, neque enim aliter Elagabalus de struendo triclinio in summitate Lusorii cogitare quivisset. Ne tamen cum Salmasio lusoria et Amphitheatra συνωνύμως accipiamus, prohibet locus Salviani *de gubern. dei lib. VI. p.* 199. *ed. Rittersh.* qui utraque distungit his verbis: *longum est nunc dicere de omnibus,* (illecebris,) *amphitheatris scilicet, odeis, lusoriis, pompis, athletis, petaminariis, pantomimis.* prohibet magis etiam Vetus Descript. Vrbis Cpol. quae praefixa est Notitiae Dignit. Imp. ibi enim Regione XIV. legitur: *Continet in se Ecclesiam, Palatium, Nymphaeum, Thermas, Theatrum, Lusorium, Pontem sublicium,* sic enim ibi scribendum, non *Theatrum lusorium,* ut male habet edit. Frobeniana et Panciroli. Firmat quae subsequitur Collectio Civitatis, quae, *habet,* inquit, *Vrbs Cpolitana Theatra II. Lusoria II.* ubi Theatra eadem sunt, quae in Descript. Vrb. Romae, Amphitheatra dicuntur. Quodsi superiore loco lecto, alterum Cpoli Lusorium requiras in Edd. omissum, scito id fuisse in prima Regione inter Palatium Magnum et Placidianum, idque discas e fragm. Descript. MS. quod Dufresnius in *Cpoli Christiana L. I. c.* 2. retulit, primus suspicatus interesse aliquid debere Amphitheatra inter et Lusoria. Et quanquam in eandem opinionem postea Columbus venit, ad *Lactant l. c.* neuter tamen qua in re distiterint ausus est definire. nec tamen id admodum obscurum. Quemadmodum enim Amphitheatra communi omnium civium voluptati, ita Lusoria in solius privatam Principis luxuriem destinata fuerunt. Cum enim nulla re magis delectarentur Romani, quod et de Augusto nominatim relatum

legitur, quam venationibus et ferarum commissionibus, non nostro more in silvis agrisque, sed clusis locis: iam per se probabile est, luxuriosos principes in eam cogitationem venisse, ut privata Amphitheatra sibi exstruerent, quo frequentius ac secretius cum amicis cupedini suae satisfacerent. Atque id reapse ita esse, satis, ni fallor, testantur loca e Lampridio et Lactantio allata, ut adeo Interpr. noster non fortuito sermone, sed de consilio *Caesaris lusorium* dixisse videatur. Hinc etiam videtur esse, ut in qua regione urbis Cpol. *Lusoria* fuerint, in eadem *Palatia* quoque extitisse perhibeantur. Quibus omnibus in summam collectis, iam eo devenimus, ut intelligamus *Amphitheatra* Populi lusoria fuisse, *Lusoria* autem Principum amphitheatra. Quae res, ni vani sumus, egregie facit ad lucem affundendam loco Svetonii *Domit.* c. 19. intacto ad hunc diem. Refert ibi de Domitiano sic: *Centenas varii generis feras, saepe in Albano* SECESSU *conficientem spectavere plerique.* Quis, inquam, ille *secessus?* Profecto non arena Amphitheatri, nullum enim in Albano fuit; sed nec silva aliqua ubi ferae; quae enim in tanta propinquitate Vrbis eiusmodi silva. Ut enim Dionysius Lib. IV. c. 13. narrat, *οὕτω συνύφανται τῷ ἄστει ἡ χώρα, καὶ εἰς ἄπειρον ἐκμηκυνομένης πόλεως ὑπόληψιν τῆς θεωμένοις παρέχεται.* Fuerit igitur *secessus* ille lusorium Caesaris constructum in villa Albana Domitiani, de qua est ap. Plin. *Epist. IV,* 11. Videndum tamen ne hactenus expositis obstet nondum commemoratus locus Passionis SS. Seraphiae et Sabinae ap. Baluzium *Miscellan. II. p.* 107. ibi: *Praeses vero post tertium diem paravit lusorium trans pontem* (in urbe Antiochena id accidit) *super arcum Albini, ubi solebat fieri themela, et iussit officio ut adduceretur Seraphia.* Sed nihil haec ad nos. *lusorium* ibi pro festivitate est, quam parabat populo praestare Praeses eo ipso looo; quo consuetum fuit facere thymelam, (sic enim leg. non *themela,*) h. e. ludos scenicos et, ut est in *Novella CV. cap.* 1. *τὰς ἐπὶ τῆς σκηνῆς τε καὶ θυμέλης ἡδυπαθείας.* Non igitur ibi *τεχνικῶς* loquitur auctor Pas-

sionis illius, sed ex ἐτύμῳ vocabuli, quemadmodum et Ianuensis fecit, qui *Lusorium* generaliter definivit, locum ubi luditur. Scilicet scriptor extremae aetatis pro indole sui temporis locutus est. Imo apud Surium in *Vitis SS. 3. Mens. Sept.* ubi eadem Passio extat, sed mutatis verbis, nulla lusorii mentio fit, nulla thymelae. *Post triduum*, sic ibi, *Praeses trans pontem iubet apparari tribunal supra arcum Albini, ubi solebant iudicia exerceri, praecipitque officio, ut Seraphia adducatur.* Sed nolo tempus perdere, inquirendo uter eorum fucum fecerit. Faciant id, si volent, qui nunc Legendas Vitasque Sanctorum pervolitant, ut escam inde parent saginandis puellulis atque aniculis. Adeo scilicet iam exaruit multorum nunc scribentium ingenii agellus, ut nisi ista sentina pateret, de mercenaria sua litteratura actum foret. Caeterum in Sg. pro *lusorio* legitur *clusorio*, quod qui defendere vellet, eundem quem Cuiacius erraret errorem, quem scimus *Observ. III*, 24. pro *lusoriis* navibus frustra commendasse *clusorias*.

101. *artes.* Fraudes.

103. *barbata.* Tarquinio Superbo. propexam enim barbam habuit, cum socer eius Servilius [1] adtonsam haberet, quem ipse occidit. Dicit ergo cinaedum non facile posse falli, et facilius eludi posse fortem, quam infamem. Stoliditatem finxerat Brutus, ne a Tarquinio occideretur. *Barbato* et rustico intelligitur.

1 *Servius*, ut et *Sat. VI.* PITH. — Lege, aut *Servius*, aut *Servius Tullius.* ALMELOV. — In fine lege, *Rusticus intelligitur.* videlicet incultus. Persius: *barbatum hoc crede magistrum dicere.* SCH. — In Sg. haec gl. in plures non male scinditur, sic: *Miratur. hoc ideo, quia stolidit. finx. Brutus, ne a Tarq. occideretur. barbato. ac rustico intelligitur. facile. facilius poterit, inquit, for-*

tem illudere, quam inf. regi. Tarq. Sup. propexam enim barbam habuit, c. socer eius Servilius adtonsam haberet, quum (sic) *ipse occidit. dicit ergo cinedum non facile posse falli.*

105. *Rubrius.* Rubrius iste aliquando Tibiam [1] in pueritia corruperat, et verebatur ne pro hac mercede poenas ab ipso reposceret.

1 Forte, *Liviam.* Pith. — Scholia scripta habent: *Rubrius iste aliquando filiam, nunc Domitiani uxorem, in pueritia corruperat, et verebatur, ne pro mercede poenas ab ipso reposceret.* Lege vel *Iuliam,* vel *Titi filiam,* quam occiso Lamia, Domitianus sibi rapuerat. Sch. — Rupertus, ut solet, haec tanquam legatum ex alieno testamento sibi adscripsit, ignarus scil. quid vetet SC. Libonianum.

106. *improbior.* Qui in aliis sua vitia reprehendebat.

107. *Montani quoq. venter.* Montanus pinguis et ventrosus erat: et acerbe, *ventrem* potius, quam ipsum venire dixit.

108. *matutino sud. Crisp. amomo.* Orientali [1] unguento mane sumpto.

1 Notabile est quod *matutinum* exponat *orientale,* seu *eoum* glossator, quod tamen reiiciendum non est, ut a *matuta* videlicet derivetur, prout Baldricus, episcopus Dolanus, Palaest. Hist. lib. II. c. 1. *matutinatum luciferum,* dixit, *Eoo cardine procedentem.* Sch. — *Orientale* dixit, quod ex India veniret, cuius rei testis Plinius et Virgil. *Ecl. IV,* 25. *Assyrium vulgo nascetur amomum,* ubi Servius. Sg non male *a mane.* peius Hennin. *aut mane.*

110. *tenui iug. ap. susurro.* Levi susurro alios deferens, neci tradere [1]: aut per leves suspiciones solitus homines iugulare.

1 Sg. *Qui levi sus. poterat alios deferens ad necem tradere.*

112. *Fuscus.* Fuscus sub Domitiano exercitui praepositus, in Dacia periit. Notat autem eum, quia, cum luxuria difflueret [1], inter delitias, bellorum actus exercebat.

praemia villa. * In sua villa. qualis ille bellator, qui in hac luxuria bellorum fortia meditabatur! *

1 Sg. *luxurians flueret.*

113. *cum mortifero.* Delatore.

prudens. Utrum ad nocendum, an ad sapientiae rigidiorem [1], an adulandi peritus et temporum.

Veiento Catullo. * *Veiento,* nominatibus. Hos quoque vult studio crudelitatis Neroni fuisse familiares [2]. *

1 Malim, *rigorem.* Pith. — Noster codex habet, *Verum ad nocendum, an sapientiae rigidior.* Aliud a Scholiasta expectabatur, quum seqq. versib. nihil in Veientone laudetur, omnia vituperentur. Sch. — Schrev. et Henn. receperunt *rigorem.* 2 Valla quoque hoc Schol. habuit, et in usus suos convertit. *nominatibus,* pro *nominativus.*

114. *Qui nunquam visae.* * Qui eas amat, quas nunquam viderat. * Caecus enim amator fuit Catullus.

116. *dirusq. a ponte sat.* De numero mendicorum.

117. *Dignus Aricin.* Qui ad portam Arici-

nam [1], sive ad clivum mendicaret inter Iudaeos, qui ad Ariciam transierant, ex urbe missi [2].

1 Senec. de vita beat. Pith. — Pro *ad clivum* Valla *ad lucum* habuisse videtur, sic enim habet: *dignus, inter Iudaeos, qui erant illo ex Vrbe transmissi. fuit enim Aricinus lucus, in quo Iudaei mendicabant, ab Aricia dictus, quae non longe ab Vrbe distabat.* 2 Legendum est, ut olim ad Domalam de patria Propertii in itinere meo Italico annotavi, *qui ad Ariciam transierant exire urbe iussi.* Sch. — Nulla necessitas mutandi et sensus eodem redit.

118. *devexae iact. basia.* Qui caecus rhedae ferenti mulieres, inclinatae et per clivum descendenti, oscula iactaret [1].

1 Melius Sg. distinguit: *devexae. inclinatae, per clivum descendenti. iactaret bas. Qui redae, ferenti mulieres, oscula iaceret, ut coecus.*

119. *Nemo magis.* Quam Catullus caecus adulator. Nam in sequenti dixit, *non cedit Veiento*, utique Catullo.

120. *dextra iacebat.* * Tantae adulationis erat iste Catullus caecus, ut cum ei piscis ad dextram iaceret, ad sinistram respiciens, laudaret et miraretur. *

121. *laudabat.* * Sic omnia, quae non videbat, referebat. *

122. *ad velaria.* Ad alta theatri velamina.

raptos. * Pergat ad Romam, aut de pegmate excussus [1]. *

1 Videant alii quid in recessu habeat haec gl. ego nihil intelligo.

123. *Non cedit Vei.* *Laudationibus Catulli non cedit Veiento, sed tanquam stimulatus furore [1].*

1 Supple, *divinat.* Ad Poetae autem illustrationem, neque enim video adhuc adhibitum, facit marmor Gruter. CCCXIII, 1. Q. CAECILIO. APOLLINARI. FANATICO. DE. AEDE. BELLONAE. caet.

126. *de tem. Britanno Excidet.* Ad pedes de regno. Falcatis nam curribus Britannorum rex Arbila [1].

1 Lege, *rex Arviragus utebatur,* vel certe, *rex bellabat.* Sch. — Lego, *falc. nam curribus* (utebatur) *rex Arviragus.* arbila pro *arvira* per compend. et corrupt. Achaintre. — Duplex glossa in unam coaluit. Sg. commodius et plenius sic: *de temone. de isto vehiculo ad pedes supplex. Britanno. regimine, de regno. falcatis nam curr. Brit. rex Arbila.*

129. *Fabricio.* Veientoni, nam ipse est Fabricius.

130. *Quidnam igitur.* Nero dicit.

131. *Testa alta.* Patella in qua possit integer coqui.

133. *Debetur magn. patinae.* Figuram hic dicitur posuisse propter Magnum Pompeium: quoniam Patina dictus est, qui sustulit caput eius [1].

Prometheus. Satyrice, figulus.

1 Interpres nimium intelligendo, fecit ut nihil intelligat. Neque enim *Patina,* qui M. Pompeio caput abstulit, quicquam ad h. l. facit. Vide tamen quae dicat Salmas. p. 138. Comment. ad H. A. scriptores. Sch. — Henn. *ipsius* pro *eius.* Eunucho, qui

Pompeii caedem perpetravit, non *Patinae* nomen fuit, sed *Pothini*. Constat e Caes. *de B. C. III,* 108 Lucan. *VIII,* 484 seqq. Dion. *XLII,* 36, 39, et ingens est, Monachi cuiusdam non vet. Int. hallucinatio, et maior absurditas miscendi istius sicarii fatum cum γαστριμαργίᾳ Domitiani.

135. *tua castra sequ.* * Montanus dicit. *

136. *Vicit.* * Neronem Montanus. *

137. *Luxuriam.* * Qua corrumpebatur Nero. *

138. *aliamque famem.* Libidinis oris pervernum [1]. hoc ideo, quia aviditas cibi sequitur nimiam perpotationem.

1 Commode possis legere, *libidinosioris per merum.* Sch. — Verissimum hoc de libidine oris, i. e. de gula, non de fellatione. Achaintre. — Lege, *libidinem oris perversam.* etiam Hennin. *perversum* dedit, et mox, *aut ideo.*

139. *Nulli.* Quam Caesari Domitiano, aut certe Montano.

141. *Lucrin. ad saxum.* Locus [1] Brutiorum.

Rutupinove. Locus in Britannia, sive civitas.

1 Malim legere, *lacus Bruttior.* et mox, *Littus in Britan.* Sch. — in Sg. *Brittiorum.*

147. *Tanquam de Catthis.* Gentes Germanorum, sive Francorum [1].

1 Ait *gentes Germanorum,* quod firmat quorundam Codd. apud Poetam lectionem: *de Cattis,* eamque satis esse antiquam. In plerisque tamen est *Getis,* quod quamvis per sit absurdum, tamen eo ducit, ut quae in uno extat *Dacis* lectio, pro vera sit habenda. Geti accolae fuerunt Dacorum, illi his notiores, nihil autem adeo librariis in usu, quam inso-

litis supponere notissima quaeque. Id factum aliquoties Iuvenalis expertus est, in nominibus praesertim, et erit curae his, qui post novissimos eum edituri sunt. Pro *Dacis* autem non solum facit a multis hic laudatus Sueton. in *Domit.* c. 6. sed ipse quoque Poeta VI, 205. *Dacicus et scripto radiat Germanicus auro.* Quem locum ficulneo baculo incedentes ad Traianum traxere Cataneus et Arntzenius ad *Plin. Paneg.* c. 9. unde rursus furtim in horrea sua invexit nuperus Ed. Gallus. Certe quam illi rationem sequuntur, ea movere non potuit magnum Scaliger. ad *Euseb. Chron. p.* 204. e quo tacite eam transscripserunt. Sed haec curam maiorem postulant et ad Poetae emaculationem pertinent, a qua manum hic abstinemus, etsi multiplex sit materies ex erroribus recentiorum Commentatorum, ad quorum solum furta interdum digitum intendere, prope compellimur necessitate temporis.

149. *epistula pinna.* Antea [1] si quid nunciabant Consules in urbe, per epistolas nunciabant. Si victoriae nunciabantur, laurus in epistola fiebatur [2]: si autem aliquid adversi pinna fiebatur.

1 Scribendum *Anxia,* ut sit prima vox versus quem illustrat, non *antea,* quod sensu caret. Idem Servius tradit ad *Aen. IX,* 475. Gronov. *Diatr. in Stat.* c. 47. — Non tango. *Antea* i. e. olim, dixit, quia suo tempore hic mos non amplius vigebat, etiam Servius *d. l.* tanquam de praeterita re loquitur. Rectius idem Gronovius *in Vrbem* exhibuit. 2 An *ferebatur.* Pith. — Dempsterus legit *figebatur.* ego libentius legerem *fingebatur,* nisi malis *pingebatur.* nam cum semper ad manum non esset laurus, quo litteras tum coronare, tum claudere vel signare, ut cum Statio loquar, veteres solebant, eas pinxisse in litteris verosimile est. de hoc ritu multa tum docta, tum elegantia apud Valerian. in *Hierogl* ac Dempster. in *Paralip. ad Rosin. X,* 29. Admelov. — Scholium post Casaubonum ad *Suet. Aug.* c. 27. certatim explicarunt Th. Marcilius ad *Persium p.* 143. Sal-

mas. ad *Lampr. Alex. Sev.* c. 58. et *Epp. I,* 97. Casp. Genartius ad *Statium p.* 226. alii. Sch. — Rectum Pithoeus crevisse videtur. Schrevel. et Hennin. *figebatur* e Salmasio dederunt, quem Lipsius praecessit, *Epistol. Cent. IV,* 1, ubi et *in Vrbem* correxit. Rupertus Almeloveni somnia sua fecit.

150. *dedisset Tempora.* * Ut solum nugis rebus vacasset. *

153. *cerdonibus.* Ignobilibus, *Cerdo* est proprie turpis lucri cupidus.

154. *hoc nocuit Lamiarum.* Hoc nocuit, ut occisis nobilibus, et a cerdonibus timeretur. Ut iam non essent nobiles, qui timerent, omni nobilitate extincta. In Lamiis indignatur Satyricus. Tunc periit, cum eum populus timere coepisset, extincto iam Senatu [1].

1 Glossas ad vers. 153 et 154. ita reformandas duco: *Sed periit.* *Tunc periit cum eum populus timere coepisset, extincto iam senatu, ut non essent nobiles, qui timerent, omni nobilitate extincta. Hoc nocuit. Caedem Lamiae indignatur Satyricus. Hoc nocuit, ut occisis nobilibus scilicet a cerdonibus timeretur.* Sch. — Sane hoc est *reformare!* Interim fortasse scripsit Schol. *omnem nobilitatem, extinctam in Lamiis, indignatur Satyricus,* quo innueret Lamias positos esse pro omni grege nobilium.

SATIRA V.

IN PARASITOS, DE CENIS CONTUMELIOSIS.

1. *Si te propos.* * De iuvene contumelioso in parasitos dicit. *

3. *quae non Sarmentus.* Sarmentus natione Tuscus, e domo Marci Faboni [1], incertum libertus, an servus [2], plurimis forma et urbanitate promeritis eo fiduciae venit, ut per [3] equitem Romanum ageret: decuriam [4] quoque quaestoriam compararet. Quare per ludos qui ibi primus [5] XIIII. ordinibus sedit, haec a populo in eum dicta sunt,

Aliud scriptum habet Sarmentus, aliud populus voluerat [6].
Digna dignis. sic Sarmentus habeat crassas compedes.
Rustici ne nihil agitis [7], *aliquis Sarmentum alliget.*

Dum ut [8] caussam usurpatae dignitatis hic pro civibus et gratia summoto accusatore dimissus est, cum apud iudices nihil aliud docere tentaret,

quod concessa sibi libertate [9] a Maecenate, ad quem rectio bonorum favor pertinuerat. Iam aut ut [10] senex in maximis necessitatibus, ad quas libidine luxurieque deciderat, coactus auctionare [11], cum interrogaret conscriptum [12] quoque censorium [13] venderet, non infacete, bonae se memoriae esse perdita [14].

1 Scribe *Favonii*, hoc enim τὸ *Faboni* valet, solenni librarior. more. Rutgers. *Venusin. Lectt. c.* 17. — Suscepit Henn. Est autem M. Favonius, aemulus ille Catonis, de quo Sveton. *Aug. c.* 13. et Dion. *XXXVIII*, 7. et *XLVII*, *ult.* quib. locis non bene diversa scribendi nominis ratio, Φαυώνιος et Φαβώνιος retenta est. Adde Casaub. ad Svet. *d. l.* 2 Is scrupulus eximendus est. Horat. *Serm. I*, 5. *servum* et quidem *fugitivum* ait, eiusque *dominam* extare. Id Acro accipit, quasi eum manumissum innuat, quod confirmatur etiam Ciceri ioco, qui quaerebat, num eam *catenam*, qua vinctus fuerat, *larib. suspendisset*, quod fieri non poterat, nisi libertate donatus esset. Sed omnem dubitationem ipse Sarmentus tollit, qui se a Mecaenate libertatem esse consecutum dicebat. Quod additur hic, *plurim. form. et verb. prom.* eo Plutarchi verba pertinent in Antonio: ὁ δὲ Σάρμεντος ἦν τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδαρίων, ἃ δηλικίας Ῥωμαῖοι καλοῦσι. Nam quod Laev. Torrentius, vir alioqui summus, Sarmentum tam deformem fuisse dicit, ut *fibula ferrea* diceretur, memoria lapsus est. Non enim Sarmentus ita dictus fuit, sed Sarmentus Iunium quendam talem esse dixerat. Fabius *VI*, 6. *Sarmentus, seu P. Blessus Iunium, hominem nigrum, et macrum, et pandum, Fibulam ferream dixit*, non, ut Torrentius citat, *Sarmentum Iunium*. Rutgers. l. c. — Bene Rutgers. locum Quintiliani dedit, qui extat *VI*, 3. quem pessimo litterar. charactere nuper expressit Edit. Spaldingiana, omnem dicterii acrimoniam quasi aqua diluens. 3 Forte, *pro equite Rom.* Pith. — Lege, *ut liber equitem Rom.*

Rutgers. *l. c.* — Retinere possis, *ut per equ. R. ag.* id est, ut actorem negotior. suor. haberet equitem Rom. quod in homine libertino satis erat arrogantiae. Sch. — Schurzfleischii expositionem minus probo. Heinsius corrigit, *ut per tempus e. R. a.* Burman. ad *Anthol. Lat. I,* 306. — Illud *per* omittit Salmas. *de prim. Papae c.* 2. ipse autem olim suspicabar scripsisse Int. *ut peregrinus e. R. ag.* habebamque eius coniecturae paratam defensionem. sed nihil suadet a Pithoeo abscedere, cum *per* et *pro* millies in Codd. permutentur, unde et in Sang. mox *permeritis* eadem confusione exaratum habeo. Manifesto autem et ridiculo errore apud Henn. *algeret* pro *ageret* visitur. 4 Lego *et decuriam,* repetita praecedentis verbi ultima syllaba. Inest autem ὑστερολογία. primum enim decuriam quaestor. comparavit, et ex eo postea equitem se gessit. nam qui altum spectabant libertini, ut decuriae scribar. accenserentur ante omnia studebant, ex quo deinde ad equestrem dignitatem aditus pateret, quod docte ostendit Salmas. *l. c.* et *Epist. ad Sarrav.* 82, frustra furti in se commissi insimulatus a Valesio ad Amm. Marc. *XXVIII,* 6. ut conferentibus patebit. 5 Forte, *quibus primis.* Pith. — Lege, *quibus primum.* Rutgers. *l. c.* — Lego, *quib. primitus,* id est, cum primum pro equite ausus est inter equites sedere. Ruben. *Elect. II,* 28. — Romae per ludos, in quatuordecim ordinib. si quis eques splendidior, vel aetate, vel dignitate praestans ceteris, primus sedebat. inde *quib. primus* dixit. Non tamen dissimulem, videri melius esse legere, *per eos ludos quib. primum.* Salmas. de *prim. Pap. l. c.* — Lege, *quia libertinus XIIII ord. sed.* Sch. 6 Primus versus ludit in *scripti* nomine, nam, ut eques esset, censorium scriptum emerat Sarmentus. Ita in vita Horatii prisca legitur, eum *quaestorium scriptum* comparasse. Et Cicero in *Verr. III.* clare ostendit, cuivis e libertinis *numulis corrogatis decuriam scribarum emere* licuisse. Habet igitur, inquiunt, *censorium scriptum,* at populus voluerat, ut in fronte scriptus et stigmatias ergastulor. more esset. Ruben. *l. c.*

7 Aut interrogationis nota addenda, aut potius legendum *agatis*. Pith. — Est iocus ab ambiguo, quia Sarmentum scurram ad axem semissalem alligari, et sarmentum circumdari iubet, ut Sarmentus concremetur. Scaliger. ad *Euseb. Chron. p.* 197. ed. Amstel. — Idem fere habet Vossius in *Etym. v. Sarmenta.* Uterque et Pithoei emendationi cum plerisque adquiescunt, quam in textum adeo receperunt Schrev. et Henn. Ipsi autem versus sunt trochaici, quos in huiusmodi dicteriis adhiberi solitos docet Salmas. ad *Vopisc. Aurel. c.* 6. 8 Valde hoc corruptum est. haec tamen remedia pro tempore occurrunt: *Dum autem caussam usurpatae dign. agit precibus et gr. s. a. dim. est.* Pith. — Scribe, *dum caussam, ut usurp. dign. dicit*, aut, si mavis, *dum autem c. u. d. dicit.* Quaenam dignitas ista? Equestris scil. quam ab eo usurpatam, cum manumissus esset, supra dixerat. Quod sequitur, recte Pith. *precib. et gratia.* Rutgers. *l. c.* — Legendum, *Dicturus caussam. us. dignitatis, Mecaenatis prece vivus, et gratia* caet. Sch. — Henn. *Dum autem . . . agit,* recepit. et sane Pithoei ratio simplicissima. 9 Corrige, *quam concessam sibi libertatem a Mec. ad quem sectio bonor. Favonii pertin.* Pith. — Recte Pith. haec emendavit, nisi quod *rectio* servanda sit. Rutgers. *l. c.* — Henn. Pithoeum sequitur, sed parum refert utrum sequare. Favonii, ut inter proscriptos occisi, bona et ipsa proscripta atque in aerarium redacta, administrata primum eo consilio a Mecaenate, inde *rectio;* postea sub hasta vendita fuerunt, unde *sectionis* verbum defendi potest. Sed quod Mecaenas e proscripti bonis servum potius manumiserit, quam vendiderit, id non iuri sed licentiae adscribendum est. 10 Lege, *Iam autem senex.* Pith. — Id omnes sequuntur, nisi quod Schrev. incommode, *Iam autem ut.* Idem mox *luxuriisque* exhibuit. 11 Aperte leg. *auctionari*, nisi activam formam imputare velis barbariei Int. quae caeteroquin hic nulla, nisi ex lapsu librariorum. Mox scribe *interrogaretur*, ut et Henn. dedit. 12 Lege, *cur scriptum.* Pith. — Recepit Henn.

13 Lege, *Quaestorium*, quippe supra eum *decuriam Quaest.* comparasse dixerat. Est autem nihil aliud, quam Quaestoris scribam fieri, ut *scriptum facere, scriptu se abdicare,* tum apud alios, tum in elegantissimo Pisonis fragmento, quod citat Gellius VI, 9. RUTGERS. *l. c.* et SALMAS. de *Prim. Pap. l. c.* qui tamen in Epist. ad Sarrav. *censorium* plane eliminat. — *Conscriptum Censorium*, i. e. tabulas, quib. in numerum civium a Censorib. essent adscripti. ORLEANS. — Si *Censorium* retines, intellige catalogum et indicem census sui, quo amplius venditis bonis non utebatur. Sed ab inexspectato respondit Sarmentus, se eo non indigere, bonae enim sese esse memoriae. SCH. — Unde *Censorium* irrepserit difficile est dicere et nimis doctum mendum; mendum tamen est. neque enim placere possunt vindiciae, quas Aurelius et Schurzfl. ei dixerunt. 14 Scribe *praeditum*. Est autem iocus plane ab inexspectato. Quaerebat ille, quisquis fuit, quid ita Sarmentus scribae munus vendidisset? Respondet scurra, se eo non indigere. neque enim quicquam scribere sibi opus esse, cum memoria valeat, quae fideliter retineret, quicquid ei committeretur. RUTGERS. *l. c.* — Scribo, *praedicavit*. Sarmenti hic iocus: rogabatur cur Decuriam quoque, id est, scriptum venderet? Bonae memoriae sum, inquit, quasi diceret, scripto non egeo, omnia commemini sine scripto. RUBEN. *Elect. II*, 28. — Legendum *prodidit*. SALMAS. *de prim. Pap. p.* 22. — Scribe, *respondit*. Lusit in ambiguo, cum dixit bonae esse memoriae, ideoque Scriptum vendere. quia qui memoria non valent, de scripto recitant, quod dicunt. IDEM ad *Sarrav. l. c.* — Videtur deesse vocula *re*, vel similis. *Se b. m. esse perdita re.* Iocus fortasse inde sumtus fuit, quia iam profligatis bonis tabulas accepti et expensi conficere non necesse erat, sed memoria omnium bonor. rationem comprehendebat, et ideo se aptissimum ad scribae partes agendas iudicabat. Perdiderat ergo Sarmentus rem, sed memoriam servaverat. BURMAN. ad *Petron. Sat. c.* 66. — Neque Salmasio, neque Rutgersio adsentior. Itaque ut re-

sponsum non inficetius sit, emendo, *bonae se mem. esse, re perdita, respondit*, et puto in ambiguitate scurrilis responsi maiorem vim esse, ut *bonam memoriam* tam de ea facultate, qua nihil oblivisceretur, intelligamus, quam de fama nominis, quod post rem perditam quasi bonae memoriae esset, ut *bonae et felicis memoriae* dicuntur, qui celebrem nominis famam ad posteritatem propagant. BURMAN. SEC. ad *Anthol. Lat. I, p.* 306. — Habes satis unde optionem facias, ut meo iudicio facile carere possis.

4. *Gabba.* Parasiti Caesaris fuerunt. Apicius Gabba [1] sub Tiberio scurra nobilis fuit.

1 Puto rectius *Galba*, si modo idem ille est, quem Martialis ob sales et iocos laudat. PITH. — Apud Vall. *Galba* est. Cod. Sg. cui secunda gl. abest, in Poetae contextu *Gappa* habuit. *Gabba* ex suo defendit h. l. Schurzfl. cuius argumento addi potest, quod et ap. Plutarch. in Ἐρωτικῷ in Ed. Reisk. IX, 45. nonnulli Κάββας loco Κάλβας praeferunt.

5. *Quamvis iurato.* * Hoc quasi parasitus iureiurando confirmet. *

8. *Nulla crepido.* Crepido est ora terrae, quam aqua alluit: ex hoc appellata, quod ibi aqua allidens concrepitet [1].

Et tegetis pars. Pinnatae sportae [2], aut tegetis de sirpe factae.

1 Malunt alii a κρήπιδος vocis κρηπὶς esse, unde et Gellius XIII, 21. *crepidam* innuit deduci, neque omnino insolens est Romanis, vocabula ab obliquo potius, quam recto casu derivari, et brevem syllabam fieri, quae Graecis longa est. Nusquam tamen, puto, *crepido* simpliciter margo aquae dicitur, quin semper habeat adiectam ideam eminentiae aut prominentiae. Bene Servius ad *Aen. X*, 653. quem non attingunt lexicographi: *Crepido est abrupti saxi*

altitudo. Crepidines etiam templorum dici ipsos suggestus, in quib. aedes sunt conlocatae: et crepidines viarum, id est, ipsae eminentiae dextrae sinistraeque. Addo Iauuensem ipsum hunc Poetae locum tangentem: *Crepido, riparum abruptio; saxi vel crepi vel montis extremitas, altitudo, summitas. Ponitur tamen quandoque pro caverna, ubi viae conveniunt, in qua solent pauperes latitare vel mendicare. Unde Iuven. Nulla crepido vacat, et ponitur hic pro summitate riparum* caet. ubi parum commoda videtur vox *caverna*, pro qua in MS. nostro *taverna* habetur. *Festus: Crepidines, Saxa prominentia.* Scholion totum desideratur in Sg. 2 Ita Valla e Probo suo hanc gl. dedit, unde forsan arripuit Pithoeus. *pinnatas* autem intellige, propter prominentes iuncos, e quib. texebantur sportae, unde et de *sirpe*, i. e. viminib. factas dicit Interpres. In Sg. aliter haec gl. legitur: *Mattae pars, ut tegum corpori factae,* ubi suspicor scripsisse, *ut tegumen fornici factum,* ex altera nimirum gl. quae infra VI, 117. occurrit. neque enim probabile est vel a pauperrimis tegetes corpori vestiendo adhiberi solitas fuisse. Ex altera haec gl. etiam fluxisse videtur, quam Pithoeanae hic substituunt Schrev. et Henninius: *Mattae, sportae.* Sic enim discingenda sunt verba, quae illi male coniunxerunt. Idem Schrev. mox sine causa *tegetes* scripsit.

10. *illic.* in crepidine.

11. *farris mord. canini.* Cantabri [1]. Panis sordidus canum est.

1 Cantabrum panis caninus ap. Coelium Aurelianum aliquoties. plura suppeditabit Dufresnius. Reliqua verba, *Panis sordidus canum est,* glossa glossae est, profecta a monacho, qui non intelligens illud *Cantabri,* Papiae verba adscripsit. Sch. — Nisi Papias potius, ut solet, e glossa sapuit. Vox *Cantabr.* in Sg. non extat. A canum pane, *canicae* sunt, de quib. Nonius et Festus.

13. *Primo fige loco.* * In prima pone iniuria, quasi iusserit, ut recubans [1] putat se in hoc totum solvisse, quicquid unquam obsequiis meruisti. *

1 Lego, *quod, si iusserit ut recumbas,* caet.

14. *Fructus amicitiae.* * Ita reddunt in clientibus merita. *

Imputat hunc rex. Quid aliud non imputet, ubi et hoc, quod vile est [1] imputat?

1 Schol. videtur *macrum* pro *rarum*, vel simile, legisse; exponit enim, *ubi et hoc, quod Vile est, imputat.* Sch. — Aliter refert Valla: *Quid aliud dabit, c. quod vile est imputet.*

17. *Tertia ne vacuo.* Apud veteres accubitorum [1] usus non erat, sed in lectulis discumbentes manducabant. Tres autem lectuli erant in quibus discumbebant: unde hodie *triclinia* appellantur.

1 *Accubita* intellige στρωμνὰς εἰς ὕψος ἠρμένας, sedes ad mensam ad quam accumbitur. De iis vide Dufresnium. Dicit Schol. *Accubita* veteres non habuisse, sed discubuisse ad mensas, quod ipsum aevum huius Interpr. sequius indicaverit, quo iam usus increbuit ad mensas considendi. Id enim indicant verba, *unde hod. tricl. app.* *Triclinia* enim in glossis biblicis ap. Dufresn. ad mentem huius Int. exponitur, *tres ordines sedium* Sch. — De *accubitis,* quae et *accubitationes* Spartiano in *Ael. Ver.* c. 5. vocantur, loca veterum congessit Meursius *Lex. Graeco-barb.* v. ἀκκούβιτα. cui adde Interprett. ad Lampr. in *Heliog.* c. 19. ubi et de hoc loco. Caeterum in Sg. *hodieque* extat, quod placet; hoc enim vult, quae suo aevo in usu fuerint accubita et stibadia, ea etiamnum suo aevo *triclinia* ap-

pellari, quod ea olim, uti nunc accubita, coenationibus inservierint.

18. *quid ultra.* * Haec sunt apud te. *

19. *Trebius.* Nomen parasiti.

20. *et ligulas.* Calciarii [1] cum festinant, et ansas caligarum praetereunt nonnullas. dictae autem *ligulae*, a ligando.

1 Lege, *Calciari.* De more aevi sui caligas pro calceis ponit. Trebius enim in calceis, nempe cum toga, in officio salutationis. FERRAR. *Anal. de re vest.* c. 34. — Legerim, *Calceari nam festinantes ansas caligarum praetereunt confibulare.* Voculam *nam* saepissime solet hic Int. postponere. *Calciarii* tamen retinet Dufresn. in *Glossar.* et ex h. l. exponit sutorem, quod, quam verum sit, ipse viderit . . . SCH. — Bene Ferrarius, *calceari.* caetera sana sunt. non enim Schol. omnes corrigias neglectas esse a festinante cliente vult, sed quasdam. Dufresnii error auctorem habet Vossium in *Etym. v. Ligula,* quem ille secutus est imprudens. Hic autem errorem errori addit, dum ait Schol. docere, ligulas esse ansas calceorum, quod nec voluit noster, et per se falsum est. Habebant calcei non *ligulas* solum, sed et *ansas* per quas illae transmitterentur firmandi calcei causa. Quod autem praeterea *ligulas* Schol. a ligando derivat, suo periculo facit et contra Festum, a lingua deducentem, unde et *lingulam* scribi nemo nescit. In Sg. *cum festinatione* et mox *praetereant* male exaratum est. In Hfn. Cod. hoc Schol. est: *Est mos parasitorum; prae nimia festinatione ad cibum veniunt non ligatis calceis et caligis.* in textu autem Poetae *demittere* pro *dimittere.*

21. *peregerit orbem.* Compleverit numerum cathedrarum [1].

1 Quid sibi velit hoc schol. non exputo, nec credo tanti esse, ut tempus eo exponendo perdamus, cum et

recentius videatur, et sensum Iuvenalis non tangat. Sch. — Forsan, praeter mentem Poetae, hoc voluit, sollicitum esse, ne iam expletus sit numerus lecticarum salutantium qui admitterentur ad officium beatuli patroni. Sed et potuit esse, ut *cathedras* pro accubitis sumpserit, quod aeque falsum.

23. *serraca bootae.* Plaustra Septemtrionis, id est, media nocte. Ursae duae vocantur Elice et Cynosura: Bootes autem Arcturus. [1] quorum siderum Lucanus quoque sic meminit:

— *sub nocte sopora*
Parrasis obliquos Elice cum verteret axes.

1 Sang. *qui et Arct.* et mox in loco Lucani II, 236. *sunt nocte.* male etiam *Parrasis* pro *Parrhasis,* quod restituit Henn.

25. *de conv. Corybanta.* Sic enim vinum [1] malum mentem turbat, quomodo lana tincta mutatur.

1 Paulo plenius Sg. *hoc est* (post) *gustum vini mali. Sic nam vinum mal.* caet.

27. *rubra.* Cruentata.

28. *Inter vos.* *Id est, convivas et servorum multitudinem. *

29. *Pugna Saguntina.* Civitas Hispaniae, in cuius territorio malum vinum nascitur.

31. *bellis socialibus.* * Id est, bellis civilibus natum vinum bibit, hoc est vetus et bonum. *

32. *Cardiaco.* Cordolenti [1].

Cyathum. Mensuram modicam [2].

1 Plenius Sg. *Vnde nunquam amico cordolenti modicum dabit.* 2 Sg. *mensura. modica potio.*

34. *Setinis.* Vinum de montibus Albanis ita vetus, ut non possit ex superscriptione [1], antiquitate deleta, cognosci quanti sit temporis.

1 Vitiose ap. Henn. *et sup.* bene autem Sg. *nec ex superscript.*

36. *Thrasea Elvidiusque.* Elvidius Priscus [1], post damnationem soceri Paeti Thraseae, interdicta sibi Italia, Apolloniam concessit. Sed post interfectum Neronem restitutus a Galba, non aliter quam libero civitatis statu egit. Hic tam industrius fuit, ut cum sub Nerone Achaiam Quaestor administraret, civitates quaedam, quas non adierat, inclamarent: AI. HMEIN. ΠΡΕΠΟΝ. [2] Hic postea Vespasianum ita studio libertatis offendit, ut putaret, id optante avunculo Claudio, pristinum libertatis statum posse revocari: quo nomine reus, ac praeter spem absolutus est [3]. Sed Thrasea, Nerone in Senatu de nece matris agente, cum quasi parricidium damnans e Curia se proripuisset, etiam ex Urbe discessisset, accusatus crimine maiestatis, defendi se noluit, secandasque venas praebuit; conversusque ad Demetrium Cynicum: *Nonne tibi libare videor Iovi liberatori?* atque singulis amicis oscula offerens, exanimatus est [4].

1 Haec ex Probo Vallae, ac dubito ne ipsius potius sint, quam Probi. Pith. — Non sane est Vallae, quod Pithoeo videbatur, sed veteris interpretis, et possunt de ea consuli quae Lipsius ad Tacit. p. 516. (*Hist. IV*, 5.) commentatus est. In nostro etiam Cod. eius sunt vestigia. Sch. — Recte, etsi

in Sg. quoque desit haec narratio, quantivis sane pretii, cum nonnulla habeat, quae frustra ap. alios scriptores quaesieris, quo magis a Valla patratae fraudis infamia abesse debet. Eo pertinet exilii locus *Apollonia;* eo, quod Quaestor sub Nerone Achaiam administravit; eo, inclamatio civitatium quarundam, quaeque de avunculo Claudio et post accusationem absoluto Helvidio perhibentur, quae omnia huiusmodi sunt, ut frustra nunc fingerentur, nihil autem impediant, quin vetus Schol. acceperit e scriptore aliquo antiquo historico, qui aevum non tulerit. Quinquaginta enim fere olim extitisse qui Caesarum res gestas perscripserint, fama constitit, e quibus vix decem tempestatum naufragia evaserunt. 2 Lege, *quas non adierat* (codex noster *adiuverat*) *inclamarent*, Καὶ ἡμῖν πρέπον * * * Tota enim apodosis deest. Quae sequuntur e Tacito fere sunt petita ad verbum. Sch. — Graeca verba corrupta esse, in aprico est. Consultus a me Twestenius noster, respondit, legendum sibi videri, καὶ ἡμῖν πρέπον προσιέναι, *nos etiam decet te adire,* putasse enim civitates, quo promptior esset Priscus, eo iustius esse, nec se ab aditu eius excludi, ignavia autem Graecarum litterar. ignari librarii, ob praecedentis verbi scripturam ac sonitum, facile absorberi potuisse verbum προσιέναι. Quo de loco cum etiam inter colloquendum cum Wachsmuthio V. Cl. cuius accessione nuper beatiores res nostrae factae sunt, mentionem iniecissem, is brevi sumto deliberandi spatio, in haec verba rescripsit: Si voces has singulas habere licet integras, universae mutilatam exhibent sententiam, nempe voti cuiusdam, quod facili quidem negotio divinare possis, exordium At haec languida sunt, moribusque Graecorum id temporis magis congrua est cogitatio, si excisum κ primae vocis reducimus, ut sint verba: καὶ ἡμῖν κρέπον. *Etiam nobis decus*, (minime illis tantum urbibus, quas adiisti,) cuius Graecor. iactantiae exempla, si quaeris, inspicias Tacit. *Ann. IV*, 55 sqq. Haec Ille. Tu elige, sis. neque enim soleo me doctis immiscere, nisi meliora, aut aeque

bona in penu mea esse existimem. 3 In his non unum est, quo offendare. Quaeras, quis fuerit, qui putaret pristinum statum posse revocari? Vespasianus, an Helvidius? deinde, cuias sit ille *avunculus Claudius*, cuius nemo alius mentionem fecit? denique, qui absolutus dici potuerit Helvidius, quem tamen constat a Vespasiano neci traditum? Et quod ad primum attinet, magis est, ut ad Imperatorem referamus illud *putaret*, et pro *revocari* legamus *revocare*. nec ratione res caret. Quanquam enim Helvidius dictis factisque palam Vespasiani contemptum prae se ferebat, tantum tamen abfuit, ut ipsi propterea offensus esset, ut etiam, vel post condemnationem, *magni aestimaverit, nec antea succensuerit, quam altercationibus insolentissimis paene in ordinem redegisset Imp.*, h. e. imperatoria maiestate spoliare tentasset, quae verba sunt Suetonii in *Vesp.* c. 15. Accedit Dionis *Lib. LXVI, cap.* 12. testimonium, qui expresse offensionis principalis causam, non Prisci probra fuisse narrat, sed quia ταραχώδης τε ἦν, καὶ τῷ ὄχλῳ προσέκειτο, βασιλείας τε ἀεὶ κατηγόρει, καὶ δημοκρατίαν ἐπῄνει. Erat nimirum excelsi animi homo Helvidius, et, ut philosophiae stoicae, ita libertatis studiosissimus, ea autem tum tempora, ut, non Impp. tantum, sed et quicunque principatui unius faverent, sibi persuaderent, esse φιλοσοφίας ἔργον, τό τε τοὺς κρατοῦντας προπηλακίζειν, καὶ τὸ τὰ πλήθη ταράττειν, τότε τὰ καθεστηκότα συγχεῖν, καὶ τὸ νεώτερα αὐτοῖς πράγματα ἐπεισάγειν, ut idem ait Dio. neque id mirum, cum et nostra tempora viderint novarum rerum studium, cuius augendae invidiae etiam novum vocabulum *der Umtriebe* inventum didicimus, inprimis imputari philosophiae studiosis, hos carceri mancipari, hos a scribendi libertate quasi censoria lege arceri, tantique probri argumenta peti non tam ab eorum libris vulgo patentibus, quam ex prolatis ore intra cancella paene domestica. quid? argumenta peti vel a scholarum triviis et lascivia puerorum, qui nondum ferulae manum subduxerint, aut aere laventur; imo? quod paene ridiculum est, ab ipso quorundam iuvenum vestitu et Saliorum morem repe-

tentium motu. Significat porro Schol. hanc Vespasiani metum, hancve Helvidii fiduciam pondus aliquod accepisse, *id*, vel si mavis, *idem optante avunculo Claudio*, quod sane, nisi de Helvidii avunculo accipi non potest, de quo tamen alibi nec vola, nec vestigium. Quid igitur dicemus? Audi, sodes, fabulam, in re obscura fortean non fabulam. Ipsum adeo *Helvidii* nomen umbra tegitur. Fuisse ipsi patrem *Cluvium* e Tacito *Hist. IV*, 5. accepimus. Qui igitur filius *Helvidius* dici potuit, nisi per adoptionem nomen illius gentis ipsi quaesitum? De matre nemo retulit, et nihil impedit fuisse eam e gente Helvidia fratremque habuisse Helvidium quendam Priscum, auctoritate tum temporis valentem ac Vespasiano suspectum, qui avunculus Nostrum ultro adoptaverit. Quae si non improbabilia, hoc modo emendandus fuerit Interpres: *Vespas. ita studio libertatis offendit, ut putaret, adoptante avunculo Helvidio, pristinum lib. stat. posse revocare* (eum). Occurrit autem huiusmodi nominis Legatus, sub Claudio Imp. in Armeniam cum legione missus, apud Tacit. *Ann. XII*, 49. quem aetate provectiorem nostro fuisse oportet. Rem indicavit Lipsius ad Tac. *Hist. IV*, 5, sed obscurius. Superest ultima difficultas, in eo, quod Priscum reum Interpres affirmat praeter spem absolutum esse, quem tamen eundem primo relegatum, deinde et interfici iussum narrat Sueton. *Vesp.* c. 15. ut alios, qui idem tradiderint, praeteream. Verum ex hoc quoque vado facile enabimus, si Helvidium bis propter imprudens libertatis studium vitae periculum adiisse sumamus, ac priore accusatione prospere defunctum fuisse. Cuius rei vestigia reperio ap. Dion. *l. c.* ubi narrat *καί ποτε οἱ δήμαρχοι συλλαβόντες αὐτὸν, τοῖς ὑπηρέταις παρέδοσαν*, unde prompta esse debuit, pro temporis ratione, eius in senatu accusatio, diserte autem idem auctor postea demum Helvidium poenas dedisse memoriae prodit.

4 Haec quae de Thrasea narrantur, ea sunt quae a Tacito *Lib. XVI. extr.* accepta innuit Schurzfl. Nihil tamen Tacitus de osculo amicis impertito, nisi

in nunc deperditis dixerit. Masculam quoque illam ap. eundem Thraseae vocem: *Libemus Iovi liberatori*, brevitate etiam verborum conspicuam, Noster aut ille ex quo sumpsit, inanium circuitu quasi aqua respersit. Ceterum in fine *atque* e Valla rescripsi pro *atqui*, quod mendose ap. Pith. est, et propter quod Henn. *ac sic* expressit. Post *discessisset*, maius interpunctum maluissem. nec illud praeterierim in Valla quaedam tacite emendata a Pith. esse. Posuit enim *Hic tam*, pro *Hic tamen*, et *parricidium* pro *patricidam*. illud recte, hoc secus, cum *parricidam* suffecisset emendare.

37. *Brutor. et Cassi.* Qui Caesarem in Senatu occiderunt.

38. *Heliadum crustas.* Beliadum, ut Virg. [1]

Implevitque mero pateram, quam Belus et omnes
A Belo soliti.

et inaequales Beryllos. Phialas ex gemmis factas.

1 Male Schol. *Beliadum* legit, c. de *succino* Poeta loquatur et Heliadum crustis. SCH. — Locus Virg. extat *Aen. I*, 729 *sq.* in Sg. autem haec gl. non legitur. In ea quae sequitur, ut et inferius *fiolas* per F. scribit Sg., plane ut in Pandectis Florentinis *L.* 19. §. 13. *de aur. arg. mund. leg.* etsi recte postea ibid. in *L.* 36. *eod. tit.* phialae. Sic in iisdem Florentinis pro phormiones leguntur formiones in L. 12. §. 18. de instr. vel instr. leg. et ibid. sifones pro siphones.

41. *Qui num. gemmas.* *Si tibi data fuerit fiola, ponitur qui te et custodiat, ne ex ipsa aut gemmam rapias, aut de unguibus aurum radas [1].

1 Transpone: *aut unguibus aurum deradas*, aut tolle praepositionem. sic et simpliciter *radere numos* dixit ICtus in *l.* 8. *D. de L. Corn. de fals.* et Iuv. *Sat. XIII*, 15 *radere femur.* Caetera sermo est, de

servo *ab auro gemmato.* Quemadmodum enim inter officia Domus Augustae *liberti*, ita inter ministeria privatarum domuum *servi* erant, quibus commissa fuit vasculorum cura et custodia, neque generatim tantum, sed specialiter quoque aureorum, aut argenteorum aut gemmatorum vasorum, et rursum modo escariorum, modo potoriorum, nec difficile est horum peculiarem indicem e marmoribus conficere. Ita occurrit PRAEPOS. AVRI. ESCARI. ap. Gruter. *p.* 582. *n.* 8. AB. AVRO. ESCARIO. PRAEPOS. *ibid. n.* 9. et PRAEPOSITVS. AVRI. POTORI. *ibid. MCXI,* 13. item, PRAEPOS. ARGENTI. POTORI. *ibid.* p. 582. *n.* 6. AD. ARGENTVM. POT. *ibid. n.* 6. et AB ARGENTO POTORIO, ap. Gudium *p.* 188. *n.* 1. quin etiam SERva AB. ARGENTO. POTORIO ap. Gruter. *p.* 578. *n.* 5. et qui omnium proxime ad Poetam nostrum facit, PRAEPOS. AB. AVRO. GEMATO ap. *Eund. p.* 582. *n.* 5. Huiusmodi autem servos in mente habuisse videtur peritissimus caeteroquin antiquitatis artifex Ant. Augustinus, quando is in *L.* 28. §. 1. *ff. de Cond. et Dem.* ubi est: *Attia uxor mea optato Philargyrum puerum*, corrigeret *Phylargyrum*, non solum contra necessitatem omnem, verum etiam contra linguae Graecae genium, cum, si esset nomen παρὰ τὸ φυλάττειν, *argyrophylax*, non autem *Phylargyrus* fuisset scribendum. Vid. Menag. *Amoen. iur. civ. cap.* 31. In marmorib. quoque *Philargyri* plures, *phylargyrus* nemo.

42. *Da veniam.* Id est, venia danda est, si custodiaris cum acceperis phialam, quoniam gemmae pretiosae in poculo sunt, et calices gemmati [1].

Hiaspis. * Genus gemmae pretiosae. *

1 Verba, *et calices gem.* in Sg. non sunt.

43. *ad pocula transfert.* * Id est, de anulis

tollit gemmas et in fiolas mittit. calices gemmatos facit. *

45. *zelotypo i. p. Iarbae.* Figura diasyrtica, ut Virgil. [1] * Id est, tales gemmas mittit in calicibus, quales solebat Aeneas in vaginis gladii habere, qui antepositus est Iarbae a Didone. *

1 Malim inverso ordine legi, *ut Virgil. Figura diasyrtica.* Sch. — Locus Virg. quem innuit est *Aen. IV*, 261 *sq.*

46. *Benevent. sutoris.* Quidam sutor fuit Benevento [1], qui grandem nasum habuit.

1 In Cod. nostro optime legitur, *Vatinius sutor fuit Benev.* Sch. — Gl. ex ipso textu concinnata est, ut saepe fit in glossis Poetarum.

47. *nasorum quatuor.* * Id est, in talem calicem bibis, qui quattuor in longitudine nasos habeat. *

48. *Quassatum et rupto.* Vt solent in urbe [1] calices fractos, sive calvariolas [2] componere.

sulfura. Quia hoc solent vitrum solidare, id est, maltare [3].

1 Manifeste leg. esse, *sulfure* pro *in urbe* ex ipsius Poetae verbis, iam alii viderunt. In Iuven. Cod. Hfn. haec gl. est: *vas vitreum, quod refectum est sulphure et cera.* 2 *Caldariolos* recte emendatum est. *Caldaria* est quodvis vas, sive aeneum, sive ligneum, sive denique vitreum, ut Dufresnius iam docuit, qui tamen non vidit hoc loco ita legendum, minimeque Calvariola vocem inter Latinobarbara sine ulla interpretatione ex hoc solo loco referendam esse. Sch. — Nempe *caldariolas* in textu dedit Schrev. et Henn. 3 Abit glossa utraque a mente Iuvenalis. neque enim ille vult *vi-*

tra rupta solidari seu maltkari, ut infima aetas loquebatur, seu indurari *sulfure.* sed verum sensum dicet Grangaeus. Hennin. — Nihil mutavit Dufresnius, et ut verum fatear *maltare* etiam legit noster codex. Nec *malleari* reponere, sulfuri conveniet. Retinenda igitur vox illa, et de illa videndi Salmas. ad *Solin. p.* 1069. (in ed. Traiectina p. 771. et iterum p. 868.) et Barth. ad *Statii Sylv. I,* 7, 74. In libro nostro deest, *solidare id est,* quod, ut alia etiam talia supra observavimus, glossematis glossa est. Sch. — In Sg. deest haec gl.

49. *Si stomachus.* * Id est, si ex indigestione invalidus fuerit, frigissima (*sic*) illi aqua adfertur. *

53. *aut nigri.* * Tam niger, ut eum possis timere in obscuro. *

56. *Flos Asiae.* Pulcher puer Asianus, caro pretio comparatus.

57. *Tulli census.* * Regum priorum patrimonium. *

59. *Getulum Gan.* Maurum pincernam.

60. *tot milib. emtus.* * Tanto precio comparatus. *

62. *Digna supercilio.* Quia pulcher et iuvenis, ideo superbit.

64. *veteri par. clienti.* Iam antiquo, olim noto, amico domini sui.

66. *servis est pl. sup.* Aegre hoc semper servi habent, quod illis stantibus, amici domini sui discumbunt.

68. *Vix fractum.* * Id est, ita durum, ut dentes possit frangere. *

71. *dextram cohib.* * Noli mittere manu. * [1]

1 Scribe, *noli immittere manum.* Glossa autem vs. sequentis in Sg. non extat.

72. *artoptae.* Pistoris, vel vasis, in quo panis coquitur.

75. *panisque tui.* Qualem mereris manducare.

79. *et multo stil.* Propterea semper manicasti [1] per pluviam.

1 Delenda mendi nota (*quam posuerat Pith. in textu*). Est enim hoc posterioris saeculi verbum. *Manicare* est ὀρθρίζειν. Luc. *XXI*, 38. quod memini notasse me ap. Augustin. in *lib. Iud. Quaest.* 46. et in Epistola quadam quae nunc properanti non succurrit. PITH. — Male emendarunt *madidus ivisti* qui illud verbi non intelligebant. Pithoeus olim defendit et post eum multis in glossario Dufresnius, quo lectorem remittimus. SCH. — Illud *madidus ivisti* ab Henn. proterva emendatione est.

81. *squilla.* Genus piscis aut cammari [1].

1 Errat Schol. *squillam genus cammari esse* scribens, quamquam locus corruptus esse possit. In vetustissimo Cod. MS. de eo pisce haec nota legitur: *Gamarus parvus est pisciculus mali saporis, qui ita putrescit ut pars parti non haereat, nisi ovo consolidata.* In alio Cod. reperio: *Gamarus inter locustas vilis saporis.* Dixit Iuvenalis, *dimidio ovo*, nam dimidiatis ovis et salsamento quidam pisces condiebantur in coena pauperis. Prior commentatio verior videtur. Errare dixi Schol. Pithoeanum, sed nescio an non eadem etiam veterum opinio alior. fuerit. Cammari enim in Gloss. Philoxeni καρίδες exponuntur, at aliud Glossarium per titulos conceptum Scillas seu Squillas καρίδες exponit. Quamquam Carides Latini Galbaleos dixerint, ut auctor Cyrilli nomine glossularius, qui et ipse scillam καρίδα exponit. C. BARTH *Adv. XLIV*, 27. — Cum squilla, ut pretiosior,

aperte satis a Poeta opponatur cammaro, tanquam sequiori, non est probabile, Interpretem pro iisdem venditasse; nec dubito scripsisse: *Genus piscis, ut cammari.* Ad vocem *gammarus*, (sic enim est in Cod. Hfn.) glossam habeo eiusdem MS.: *genus piscis putidi et foedissimi.*

83. *ministri.* Infertoris [1].

1 In scholio libri nostri veteris *infertor* vocatur *dapifer.* Glossae, *Infertor*, παραθέτης. Reliqua dabit Dufresnius. Sch. — Adde Eccardum ad *Pact. Leg. Sal. XI*, 6. ubi etiamnunc male *infestorem* legitur.

84. *Sed tibi dimidio.* * Minores cammari. *

85. *feralis.* * Mortalis. *

86. *Venafrano.* Oleo bono civitatis Africae [1].

1 Error aut glossographi aut librarii. Lege, *Campaniae.* Plin. *H. N. III*, 5. *Intus coloniae, Capua a campo dicta, Aquinum, Suessa, Venafrum.*

87. *Pallidus.* * Male coctus. *

88. *alveolis.* Vasis, in quibus manducatis [1].

1 Lege, *in quibus fuerit manducaria*, id est, comestio, cibus. Sch. — Ἄπερ. neque enim in eo quaestus est si striblíginem alia striblígine commutes. Schrev. exsculpsit *Vasa.*

89. *Canna Micipsar.* Genus navis, quae Gandeia [1] dicitur, ut sit Gandeia Micipsarum, id est, Afrorum. Gandeiam enim soli Afri, id est, Zamaei, vel, ut alii, Byzaceni, ut alii, Barcae invenerunt. Significat oleum Tripolitanum.

1 Emendandum fortassis, *quae chelandia dicitur, ut sit chelandia Mic.* Meurs. in *Gloss. Graecobarb.* v. χελάνδιον. — Perperam hic rescribi *chelandrium* oportere, doctiss. Meursius arbitrabatur. siquidem chelandria sive *chelandia* Afro-

rum (l. *Graecor.*) erant. Possit aliquis suspicari rectius reponi *galeia.* Sed obstat, quod galeias sit navis longa, cuius figuram Latinum nomen indicat: et *gandeia*, navis oneraria, qualis rotunda. Vossius *de Vitiis Serm. II*, 8. et rursus *ib. III*, 4. — E Scylacis Periplo videtur emendari debere *gauleia.* Iac. Gronov. ad *Geograph. antiqua L. B.* 1700. *p.* 127 *sq.* — Nota si recte suspicor, valde distorta est, quam hoc modo in ordinem redigimus. *Canna Micipsar. Barca, vel ut alii, gen. n.* caet. *Gandeiam enim soli Afri habent et Zabaei, vel ut alii Byzaceni, ut alii Barcaei invenerunt.* Barca medio aevo navis mercator. dicebatur, qualis illa Iuvenalis. Glossae Aelfrici Saxonicae ap. Dufresn. *Barca Flòt. scip.* Male Dufr. subiicit *i. e. fluctus maris.* Scilicet non fluctus, quos nos *fluthen* vocamus, ab Aelfrico intelliguntur, sed *Flotta*, navis maior, unde nos hodieque *Schiffs-Flottas* dicimus, quae ab Aelfrico inverso ordine *Flotscip* vocantur. *Gandeia* legit itidem Ducangius, et nihil mutandum esse, tum noster cod. vetus, tum alius Iani Dousae filii, quem ad lib. III. Propertii laudat, declarant. *Zabaei* sunt famosi illi medio aevo *Zabii*, vel sunt certe *Sabaei.* De Byzacenis vid. Stephan. v. Βυζάντες. De *Barcaeis* v. Cosmographos, neque enim nunc geographiam scribere, in animo habemus. Sch. — *Gandeiae* nusquam alibi occurrunt, unde praeplacet Vossii *galeia.* Frequens sequiore aetate, *galea*, *galaia* et Graecis scriptorib. γαλαῖα et γάλεα. de quib. Scheffer *de Milit. Nav. II*, 2. et *III*, 1. Addo Ianuensem in *Galea: Invenitur etiam haec Galea, ae, genus navigii, et tunc producit penultimam. unde versus, Armo caput galea, pelagus percurro galea.* Nec dubitare debebat magnus philologus de invento suo, quod non tam infirmatur, quam tutelam accipit a Iuvenale, in verbis *prora subvexit acuta*, quae prora est propria navium ad rem piraticam factarum, quales fere Afrorum fuerunt, et etiamnum sunt, in opprobrium gentium Europaearum. De *Barcaeis*, qui et Βαρκῖται, facile assentio Schurzfl. quem Schrev. praecessit.

non item in caeteris. Verba autem *Signif. ol. Tripolitanum*, ab alio interprete profecta videntur. Caeternm Lubinus (male Hennin. in *Not. Select.* etiam Mancincllum nominat) refert, Probum censere, *cannam* esse doliolum factum ex canna. In quo veri nihil est. Neque enim Probum nisi e Valla novit Lubinus, et quae Vallae ipsius commenta sunt, improbe Probo subiecit. In Sg. haec gl. desideratur.

90. *cum Boccare.* * Quidam illo tempore, qui pudenti oleo se unguebat in balneis. *

92. *Corsica.* Insula in Tyrrheno [1] mari posita.

1 Ridicule Sg. *terreno.*

93. *Tauromenit.* Oppidum Siciliae.

94. *dum gula saevit.* In suburbicario [1] mari.

1 Non recordor huius loci usuram factam, quod tamen debebat, in decantata illa de Suburbicariis regionib. et ecclesiis lite. Sed et fateor, me non esse adeo recentem a lectione libellorum hinc inde emissorum, ut pro certo id affirmare audeam. Digitum tamen intendere volui.

95. *macello.* * Piscatoribus. *

96. *Nec patimur.* Ex assidua piscatione [1].

1 Haec nota ad illa verba versus 95. *retibus assiduis* reponenda est. Rupertus *l. c. VI*, 18.

97. *sumitur illinc.* * Quod de peregrinis venit [1]. *

1 Bene gl. Cod. Hfn. *nostra coquina instruitur a piscibus illis qui apportantur de longinquis regionibus.*

98. *captator.* Heredipeta.

Aurelia. Mulier, quae distrahebat pisces.

100. *dum se cont. Auster.* Iocatur. id est, non flante austro.

102. *lina.* Piscatores.

103. *cognata.* Similis colubrae.

colubrae. ᵘ Nomen piscis. *

105. *pinguis.* De sordibus qui [1] in cloacis nutritus est.

1 An: *Quia de sordib.* in Sg. divellitur, sic: *pinguis, de sordibus. cloaca qui in cloacis nutr. est.*

108. *Nemo petit.* * Non quaerimus, quae ante donabant pauperibus amicis. *

109. *A Seneca* [1]. Hic sub Claudio quasi conscius adulteriorum [2] Iuliae Germanici filiae, in Corsicam relegatus, post triennium [3] revocatus est. Qui, etsi magno desiderio Athenas intenderet, ab Agrippina tamen, erudiendo Neroni, in palatium adductus, saevum immanemque natum, et sensit cito et mitigavit: [4] inter familiares solitus dicere, *Non fore saevo illi leoni, quin* [5], *gustato semel hominis cruore, ingenita redeat saevitia.* Huic postremo, quod habitus esset inter conscios coniurationis Pisonianae, Nero per tribunum [6] ultimam necessitatem denunciavit. Hic interritus, amicorum animos, quibus iam eius casus lacrimas exciverat, ad firmitudinem revocavit, rogitans, *Ubi praecepta sapientiae? ubi tot per annos meditata ratio adversus imminentia? cui praeterea ignara fuerit Neronis saevitia? neque aliud super-*

esse post matrem fratremque interfectos, quam ut educatoris praeceptorisque necem adiiceret. Deinde sibi venas praesecans crurumque venas abrumpens, et durante tractu lentitudineque mortis, hausto veneno, et postremo calidae aquae stagnum introiens, exanimatus est.

Quae Piso bonus. Piso Calpurnius [7], antiqua familia, scenico habitu tragoedias actitavit: [8] in latrunculatorum iussa [9] tam perfectus et callidus, ut ad eum latentem curreretur. Ob haec insinuatus C. Caesari, repente etiam [10] relegatus est, quod consuetudinem pristinae uxoris abductae sibi ab ipso, deinde remissae, repetiisse existimabatur [11]. Mox sub Claudio restitutus, et post Consulatum materna hereditate ditatus [12], magnificentissimus vixit, meritis [13] sublevare inopes ex utroque ordine solitus: de plebe autem certos quotannis ad equestrem censum dignitatemque provehere.

1 Et haec a Valla, ut Probi, relata; et sunt fortasse ipsius Vallae. Pith. — Etsi Pith. Vallae esse potius crediderit, quam veteris Interpretis, non tamen ideo, quod Taciti verba nonnulla intersint, a Valla esse integra crediderim, sed potius ab eo interpolata affirmaverim, quale quid factum fortasse etiam in schol. ad v. 36. superiorem fuerat. Sch. — A Sg. utraque glossa abest. Locus Taciti extat *Ann. XV*, 62 sq. e quo tamen non est petita nisi clausula gl. a verbis inde: *Huic postremo* caet. Sed quae praecedunt aliunde habuit, qui schol. conscripsit Interpres vetus. Vallae enim non esse, multa produnt. Non dico mentionem *Corsicae*. Esto enim legerit ap. Senec. *Octav. v.* 382, *remotus inter*

Corsici rupes maris. Quis vero alius exilii *tempus certum* dixit? quis, *magno desiderio Athenas* expetisse? quis denique, illud de Nerone iudicium memoriae prodidit, nisi Noster, quae sane omnia ex se, tanquam araneus fingere non potuit Valla. 2 Valla meus: *adulterorum,* quod nec ipsum male habet. 3 Legendum est *post octennium,* siquidem nono demum anno Claudii, caesa Messalina, revocatus est. Nic. Faber Praef. in Senec. — Potior esse videtur sententia Delrii, qui *octennium* voluit, in vita Philosophi c. 7. scilicet VIII. in III: deleto V. librarior. culpa transiit. Sch. — Vides unde Delrio hauserit. Pro *intenderet* Schrev. et Henn. dederunt *tenderet.* 4 Pro mente Schol. videbatur *et indicavit.* nam sequentia sic volunt. Lipsius ad *de A. Seneca veterum locos.* — Possis legere *et indigitavit.* Sch. — Potest etiam retineri *mitigavit,* ut sit pro mitigare studuit voluitque. ratio tamen Lipsii praevalet. 5 Legendum, *Non fore se saevo illi leoni cui gustato* caet. Alii malunt, *Non obfore s. i. l. quin gust.* sed prior emendatio verior est. Sch. 6 *Intromisit ad Senecam unum ex centurionibus,* ita Tacit. *XV,* 68. ante tamen missus fuerat Tribunus qui percunctari Senecam iussus erat, quae facile confundi potuerunt. — Henn. male, *Heic interritus,* et infra, *ignota* pro *ignara.* 7 Calpurniae gentis stemma qui confecerit, nemo, opinor, adhuc fuit, optabile tamen ad sopiendas non paucas difficultates quas ea gens in antiquis scriptoribus excitat. Verum id nunc non agimus. Eum, cuius hic mentio, Calpurnium Pisonem, praenomen habuisse *Caii,* consensus facit Suetonii in *Calig.* c. 25. et Dionis *lib. LIX.* c. 8., qui adiecto eo, eandem, quam Interpr. noster de sponsa historiolam retulerunt. De eodem etiam est Tacitus *XIV,* 65. et *XV,* 48, 59. aliisque ibi locis, ubi de coniuratione in Neronem sermo. Ad eundem quoque recte refertur Martial. *IV. ep.* 39. et quatuor lapides e Caligulae aetate, prostantes ap. Marinium doctissimo opere *de Fratrib. arval. Tabb. VIII, IX, XV* et *XVII.* quibus inter eos, qui sacris adfuerunt,

refertur C. Piso; nam qui praeterea in marmore ap. Murator. *p. MCCCXVII. n.* 11. occurrit *C. Piso* ab eo diversus videtur. Nostri etiam laudes non inficeto carmine celebratas habemus post alios editores, in *Poet. Latinor. Minor.* a Wernsdorfio collectis *T. IV. P. I. p.* 236 *sqq. Saleio Basso* nunc auctore, si modo eum auctorem habeat. Nam quod Lucano olim adscriberetur, etsi dudum explosum sit, non tamen id effecisse videtur Wernsdorfius, ut multo certius Salcio possimus tribuere, quam alii cuidam eiusdem temporis poetarum, quorum nomina quidem servata, ingenii autem monumenta obscura sunt et incerta. Caeterum de *C. Pisonis* memoria caeteris prolixius egit idem vir doctus. *l. c. p.* 36 *sqq.* 8 Hoc nemo alius commemoravit, nec tamen abhorret ab ingenio eius temporis. Nam et Caligulam legimus ap. Sueton. *c.* 54 *sq.* his artib. ad insaniam deditum, et Neronem ludos *instituentem in quos nomina passim data, ut non nobilitas cuiquam, non aetas, aut acti honores impedimento fuerint, quominus Graeci Latinive histrionis artem exercerent,* auctore Tacito *Ann. XIV,* 15. 9 Lego, *latrunculorum lusu.* Pith. — Recte, et in mea Vallae editione *latrunculorum* apertis litteris exstat, unde mirum Schrevel. *latrunculi lusu,* et peius Hennin. *latrunculatorum lusu* prodidisse. Huius autem lusus in Pisone peritiae, praeter Nostrum testem quoque habemus incertum illum poetam vs. 178 sqq.

Te si forte iuvat, studiorum pondere fessum,
Non languere tamen lususque movere per artem:
Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, caet.

nam et reliqua legisse neminem poenitebit. Caeterum ap. Schol. *ludentem* emendandum esse, pro *latentem,* nemo non videt, meliusque habere *concurreretur,* quod itidem ap. Vallam aperte proditum est. 10 Lege, *repente etiam.* Pith. — Neque aliter est in meo Vallae excuso, recepitque Henn. *C. Caesarem* hoc loco esse Caligulam Imp. ex aliis aucto-

ribus certum est. 11 Eandem historiam habes ap. Sveton. et Dion. *ll. cc.* ambos tamen inter se dissidentes, non solum, quod et ad Sveton. interpretes video monere, nomine uxoris, quam hic *Liviam Orestillam*, alter *Corneliam Orestinam* vocat, sed etiam in designando repudiationis et relegationis tempore. Tranquillus enim abductam uxorem intra paucos dies repudiatam, at biennio demum post relegatam narrat, nulla Pisonis una relegati mentione iniecta; Dio autem ante secundi mensis exitum ambo relegatos fuisse perhibet. Quod dissidium huiusmodi est, ut nulla emendatione tolli possit, maior tamen, ni fallor, Dionis auctoritas. Incertus Panegyrista, de quo supra, rem silentio transmisit, fortasse ratus, nihil ad laudem Pisonis conferre, qui et ipse, quam postea uxorem habuit, Arriam Gallam, amici matrimonio abstulerat, et procul habuit gravitatem morum, voluptatumque parsimoniam, quod ne Tacitus quidem dissimulare potuit. 12 De magnificentia Pisonis reliquos scriptores testes habemus, de maternae hereditatis opulentia solum Nostrum, de Consulatu autem praeter eum, incertum illum laudatorem *vs. 70 sq.*

Cum tua bis senos numeraret purpura fasces
Caesareum grato cecinisti pectore numen.

Sed qualis fuerit Consul et quo tempore, quaesitum video, et quaeri potest. Et ordinarium fuisse satis negat Fastorum silentium, honorarium autem et codicillarem *fascium* mentio, quorum usum huiusmodi Coss. habuisse nusquam mihi repertum est; fuerit igitur inter suffectos necesse est, nec tamen quo anno fuerit, definiri posse putem, etsi sciam id a viris doctis varie tentatum esse. Ponit Almeloveenius eiusque sequax Wernsdorfius ad a V. C. 801. auctore Panvinio, quem temere et inconsulta ratione id fecisse iam observavit Marinius *l. c. p. 73.* Est, qui a. 810 assignet Lipsius ad *Tac. XIV,* 14. ordinariumque facit, *Lucium* Pisonem confundens cum *Caio.* Maiore adhuc errore C. Barthius ad *Claudian. de laudib.*

Stilic. I, 28. ad Traiani imperium reiicit et *a.* 864. plusque facit quam centenarium, qui sub Nerone periit. Quid? qui ad eum annum refertur Calpurnius Piso in uno lapide non *Caius* sed *Marcus* vocatur. Vid. *Praefat. ad Almelov. Fast. p.* 32; in altero *Lucius* appellatur ap. Maffeum in *Mus. Veron. p.* 400. Adde *Marin. l. c. p.* 818 *sq.* Sed in haec altius descendere non est huius loci, quanquam vix premere possum de fastis nondum, ut potest, in ordinem redactis, querelam, votumque, ut post Almelov. tandem aliquando huic operi se accingat vir aliquis doctus, rei aptus. Sed adeo pauci aevo nostro sunt, qui his studiis delectentur, quae stomachum spernunt intemestuantem natesque poscunt assiduas, ut melius fortasse sit eam spem penitus devorare. 13 Si retines vulgatam scripturam *τὶ meritis* expone *pro meritis*, vel potius *meritos* lege. Iudicium enim Pisonis haec verba insinuant, eum videlicet non nisi in merentes beneficia sua collocasse. Sch. — Lege *meritos*. D'Arnaud *Var. Coniect. II,* 13. — Nihil opus aut correctione, aut illa explicatione. in eo magnificentiam et cum dignitate sumptuositatem recte ponit, quod inopes sublevarit *meritis* h. e. beneficiis. Addit alterum splendoris eius argumentum, quod *de plebe certos quotannis ad equestrem censum dignitatemque provexerit.* quod ita intelligendum, adeo intendisse eorum patrimonium, ut perfecto censu equestri eam possent dignitatem apisci. Similem liberalitatem amico offert Plinius *Epist. I,* 19. nec videtur, inter prodigia fuisse, cum de denegata ea conqueri audiamus, nescio quem ap. Martial. *Ep. IV,* 67.

Praetorem pauper centum sestertia Paucus
Orabat, cana notus amicitia,
Dicebatque suis haec tantum deesse trecentis,
Vt posset Domino plaudere iustus eques.

ubi Raderus *Dominum* intelligit Domitianum, ut solent fere ap. Martialem omnia ad hunc Imp. detorquere. ego malim patronum precantis clientis

monstrari. Adde Eund. *Ep. V.* 24. Solebant etiam uxores honoris anxiae maritis in eam rem donare, eaque liberalitas appellata est *Donatio honoris causa.* Idoneus in *L.* 42. *n. de Donat. inter Vir. et Ux.* testis Gaius ICtus: *Nuper ex indulgentia Principis Antonini recepta est alia causa donationis, quam dicimus honoris causa; ut ecce, si uxor viro laticlavii petendi gratia donet, vel ut equestris ordinis fiat, vel ludorum gratia.* Apud Vallam non *quotannis* est, sed *quotquot annis.*

112. *ut coenes civiliter.* Sine iniuria clientum.

113. *pauper amicis.* Id est, avarus.

115. *Altilis et flavi.* Pasta, vel apruna [1].

Meleagri. Propter Calydonium aprum, quem irata Diana, quod contempta esset ab Oeneo in sacrificiis, agris suis [2] immiserat, quem Meleager filius occidit.

1 Lege, *Pasta, vel aprugna.* Glossae Isidori, *Altilis, pasta,* frequentius medio aevo vocatur *Pullipasta,* de quo verbo Dufresnius. Sch. — Recte, *pasta.* Papias: *Altilis ab alendo dicitur, id est, pinguis gallina, eo quod alatur.* sic enim ibi legendum, non *ab olendo,* ut habeo in impresso Venet. 1485. bibliothecae regiae Hafniensis. Idem: *Altilia ab eo quod est alere, dicta, quasi alitilia: saginata enim dicuntur.* deinde pro *apruna* facere veteres Codd. testis est Salmas. ad Spartian. in *Vero. c.* 5. nempe, ea scriptura est ex pronunciatione, illa vero *aprugnus,* ex etymologia; ut enim a vite et capro *vitigineus* et *caprugineus,* ita ab apro, *apruginetis,* et contracte *aprugneus* atque *aprugnus* fit. Quid Schrev. in mentem venerit, cum hanc gl. sic ederet: *Pasta est pinguis,* nec scio, nec valde curo. 2 Cape de agris Oenei, ut *suis* non ponatur reciproce, neque enim ἄγριον σῦν, vel simile, hic argutari velim. Sch. — In Sg. pro *quod contemta* est, *propterea quia cont.*

deinde, *est baeneo*, pro *esset ab Oeneo* et mox *Meleagrus filius suus*. Forma *Meleagrus*, etiam alibi legitur, ut *Leandrus* et similia ad Graecum conficta.

117. *et facient. opt.* Quia tubera tonitruis dicuntur nasci, ut cocleae [1].

1 De tuberis antiqua haec fabula est: cochleas autem tonitruis nasci non invenio quenquam e veteribus dixisse, quid? quod apud Plinium *H. N. IX*, 54, lego, si fulguret comprimi conchas ac minui, si vero etiam tonuerit pavidas ac repente compressas, quae vocant psysemata efficere, speciem modo inflatam sine corpore, adeoque imperfectas margaritas, e quibus, tanquam ovis, veteres crediderunt provenire ipsas conchas, ut adeo existimarint tonitrua magis concharum proventui obesse, quam prodesse. Accedit, quod idem auctor est, cochleas hiberno maxime tempore nasci, quo tonitrua deficere solent. Fortasse autem error Scholiastae inde est, quod experientia docemur, post tonitrua inprimis frequentes e latebris suis prorepere cochleas, quod ni tibi mihive credis, crede lumini olim Germaniae, Conr. Gesnero in *Hist. animal. lib. IV. p.* 245. *edit. Frcf.* 1620. Nam quod idem ibi dicit: *Limax e putredine herbarum et viscoso rore generatur*, id non est captandum, narrat enim et ova parere iisque incubare. Quae licet alieni sint imperii, attingere tamen volui, ne quid obscurum remaneret in Interprete. In Sg. male est *cocleas*.

118. *Alledius*. Gulosus [1].

1 Sg. *Quidam gulosus dicit.*

121. *chironom. volanti Cult.* Manus ducentem et artificio incidentem omnia [1].

1 Audi Papiam: *Chironomontes pantomimi sunt, qui manibus gesticulantur. nam chir, manus. ioculatores sunt. Chironomon, gesticula-*

tor. alios glossographos accumulant Interpretes Petronii *cap.* 36. et Reines *Cl. IX. n.* 96. ubi e lapide refertur *chironomonta,* rectò casu.

123. *discrimine ref.* * Diversitas ministerii [1]. *

1 Putem haec pertinere ad vs. 120 sq. et indicare velle aliud structoris, aliud chironomi fuisse in coena ministerium. recte, et frustra de eo addubitare videas nonnullos hic interpretes.

124. *gallina secetur.* * Id est, aliter secat. *

127. *tanquam habeas tr. nom.* Alii sic intelligunt, tanquam fur sis, ut pro tribus literis, tria nomina posuerit. Sed melius sic, tanquam nobilis sis, ut habeas tria pronomina, ut, *Gaius* [1] *Cornelius Scipio,* et si quid simile.

Quando propinat. Dat calicem in quo ipse bibit.

1. Legendum *Gneius.* Neque enim *Gaii* praenomen unquam in gente Scipione fuit. Rutgers. *l. c. VI,* 18. — Plane in Poeta legendum est, ut visum fuit Graevio, et ante Graevium Rigaltio, *quanquam habeas tria nomina.* Error ex antiqua scriptura, *cancam ortus.* Quod de tribus nominib. pro trib. litteris commentatur e Plauto interpres, ἄτοπον est, et bene quod subiunxit, *Sed melius sic, quanquam nobilis sis, et habeas tria nomina, ut Cneus Cornelius Scipio* caet. Ita enim haec gl. in vet. libro legitur, qua sane scriptura Graevii suspicio non leviter fulcitur et emendatio Rutgersii approbatur. Sch. — Etiam in Sg. praemittuntur Poetae verba sic, *quanquam hab. tria nom.* quod firmandae lectionis causa nolui silere. De *Cneio* bene Rutgers. Nam quod Glandorp. in *Onomast.* in scenam profert *C. Cornelium Scip.* e Cicer. *Or. pro Sext. c.* 3. malis libris nititur, et *Lucius* dudum in eius locum successit. Nimirum familiae (sic Rutgersius debebat, non *genti*) Scipionum

ita quasi hereditaria tria praenomina, *Cnei, Lucii, Publii* fuerunt, ut vix aliud putem extare. Nam quod *Metellus Pius Scipio*, Nasicae fil. *Quinti* praenomen habeat, id ex adoptione in Metellorum familiam originem trahere, iam tum suspicatus sum, cum nondum idem Oudendorpio adnotatum legissem, ad Sveton. *Tiber. cap.* 4. Recte etiam Schurzfl. Cod. *nomina* loco verbi *pronomina*. Caeterum multa *h. l.* ap. Achaintrium mentio agnominum, quae exiguam rei Romanae peritiam produnt.

131. *pertusa dic. laena.* Paupere panno.

132. *Quadringenta.* Sestertia dederit scilicet.

134. *quantus Vir. amicus.* Vnianimis [1] amicus statim fies, si pecuniam habueris.

1 Recte exponitur *unanimis amicus*, id est, coniunctissimus, ut Paullinus Nolanus et alii, familiares suos appellant. Sch. — Sg. quoque *unanimis* habet, non *unianimis*. etsi utraque forma Codd. consueta.

135. *Da Trebio.* Cuiuslibet nomen.

136. *vobis h. pr. honor.* * Pecunia honoratur, non homo. *

138. *nullus tibi p. aula.* Virgilium ridet [1]. * Si carior vis esse amicus, sine filiis esto. *

1 Legerim, *De Virgilio ridet*, id est, e Virgilio satyrice irridet. Sic infra ad vs. 151. *Ridet de Homero.* Sch.

141. *Mygale.* Nomen mulieris, ex ipsa coitione [1].

1 Et ipsa haec interpretatio, et scriptura Cod. Sg. confirmat nomen *Migale* s. *Mygale.* in Sg. praeterea post *coitione*, additur, *et vemologia*, pro quo, certissima coniectura legendum esse *etymologia* facile mihi persuasit, qui ap. nos antiquas litteras do-

det, Brodersenius noster, adolescens doctissimus et in vetustatis monumentis versatissimus.

143. *Gaudebit nido.* Id est, puerorum.

viridem thoraca. Armilausiam [1] prasinam, ut simiae [2].

1 *Armelausa*, vulgo vocata, quod ante et retro divisa atque aperta est: in armos tantum clausa, quasi *armiclausa:* c littera ablata. Isidor. *Orig. XIX*, 22. — *Armilausa* genus vestis, ab *armis* dictum, hoc est scapulis, quo monachi olim utebantur; quam Graeci ἐπωμίδα vocant, quod scapulas contegeret, non ut *subarmalis* sub armum reiiceretur. Isidorus *armilausam*, *scapulare* monachorum exponit in Glossis, quibus perperam scriptum est, *arnelausa*. Salmas. ad *Trebell. Poll. Div. Claud. c.* 14. — Isidori originatio perquam frigida est. *Armilausa* ab Armiclausa. Armilausi autem nominantur in Charta Itineraria ex Peutingeri bibliotheca Velseri et Ortelii opera superiorib. annis Antverpiae edita. P. Scriver. in *Matthaei Anal. T. I. p.* 376. *edit. in* 4. — Ex Isidori verbis annotamus primum, non rotundam fuisse, quae undequaque ambiret corpus, sed apertam sub alis ac in laterib. ad modum ferrei thoracis, aut eor. sagulor. qualib. ante annos triginta, quadraginta crebro utebantur milites aliter atque aliter coloratis, ut essent velut notae ac insignia, ad quod quisque pertineret vexillum. Germani Schüßenrock vocabant. Haec enim aperta et divisa; *aperta* sub alis, *divisa* in partem anteriorem, quae tegebat pectus, et posteriorem, quae tegebat tergum. Deinde annotamus, licet cetera aperta fuerit, *clausisse* tamen armos, id est, ambivisse, cinxisse. *Armi* sunt scapulae vulgo. Hinc in gl. Isidori: *armilausa, scapulare monachorum.* sicut quidem docti arbitrantur. Vnde et Ger. Vossius in Gl. *Nomen ex eo, quod armos i. e. scapulos tegeret.* Verum obstat Isid. qui armilausa ait dicta, non quod *tegerent* armos, sed *clauderent*. Deinde dicit fuisse divisa *ante* ac *retro*, ut non solum scapulas, sed et pectus necesse est obtexerint. Adde quod sit vestimen-

tum Gothicum, cuius proinde nominis derivatio non ex Latina lingua depromenda. Iam vero Arm ap. Gothos non est *humerus*, sed *brachium*, ut appareat, sub brachio coivisse ac connexas clausasque fuisse partem anteriorem posterioremque. Ergo *armilausa* erit dicta, quod brachium clauderet, quod circa brachium firmaretur. Habemus satis de priori parte; at quid illud *lausa?* Respondet Vossius: *pars posterior est obscurior, quam tamen se reperisse censet Isid.* Recte facit, quod Isid. in explicanda voce Gothica, fidem nullam tribuit. Et quis non videt frigidum esse illud, *clausa?* Quanto rectius iterum revertimur ad linguam Gothicam, in qua hodieque *Armelausa* sive *Armlosa* est, quod est destitutum manicis. Pro *lausa* sive *losa* Germani dicunt loos, unde ehrloos et gottloos. Sic ergo *Armelausa* vestimentum erit absque manicis, in laterib. apertum, et sub axillis tantum clausum, tegens tectum tergumque, cetera largum, ut iniicere possent armis suis. Sic intelligo Isidorum (l. Suidam) quando ait de hoc genere: *ἀρμελαύσιον, παρὰ τὸ ἅρμα τὸ ἐπάνω τῶν ὅπλων.* Ostendit satis super arma gestasse, etiamsi frustra ab iisdem armis originem vocabuli desumat. Idem firmat Leo, quando *c. VI.* §. 26. de eadem agens re, vestimenta illa vult esse *ἐπιλώρικα*, i. e. talia quae loricis possint superindui. Doctiss. Rutgersius in suo Cod. Rigaltii annotaverat in margine *instar colobii* fuisse. Quod convenit c. hoc superiori, quando et colobium tunica fuit absque manicis, ut pridem viri docti demonstrarunt. Cetera dissentiunt, cum colobia fuerint stricta, haec laxa; colobia integra, haec divisa vestimenta; colobia quae proxime adiacerent corpori, haec quae aliquando iniicerentur armis. Io. Scheffer. ad *Mauricii strategicum p.* 501 *sq.* — Non piguit haec adscribere, etsi bene longa. Nam et Tacticon Arriani et Mauricii Strategicon, quae una Vpsaliae 1664, 8. edidit Schefferus cum luculento Comment. in oris nostris rarissima inventu sunt, et ipse Schefferus primus veram vocis Armelausiae originationem detexit, quam deinde adoptavit Hickesius et Wachterus, ille autem probe

illustravit petito loco e Knitta Saga, ubi sermo est de *stilki trojo ermalausa,* quod etiamnum ad verbum danice audiret: *een aermeloese silke troie.* Nempe evanescente verbo substantivo, remansit in lingua Germanor. Danor. et Svecorum, adiectivi forma. Paullo aliter, etsi eadem via, Schilterus incedit in *Thes. T. III. s. v. Arame* et *Lazz.* explicans per Aermellatz, a vocabulo *lais,* sinus, sive *Lazz,* unde in Lege Salica *tit. XLVIII.* est *in laisam iactare,* et una voce *leuseverpire* in Marculfi *Form. I,* 13. Sed Schefferi ratio potior est. Multa autem vocabula e Germanorum Gothorumque lingua in Romanam et Graecam paulatim translata fuisse, nil mirum esse debet, ex eo in primis tempore, quo praecipua vis exercitus Romani e barbaris constitit. Quo ipso etiam deprehendimus huiusmodi verborum numerum inprimis in scriptoribus rei militaris ingentem occurrere; cuiusmodi sunt, quae dum haec scribo in oculos forte incurrunt, κούκουρ, Köcher, βάνδα, Bande, φλάσκιοι, Flaschen et alia, quae silent lexica vulgaria. Quorum vocabulor. qui originem e Graecor. vel Latinor. sermone deducunt, nae illi se turpiter dant; quod ipsum, in hac quam tractamus voce, magno Turnebo accidisse constat. Qui, cum *Adversar. XXI,* 16. in Catulli Epigr. LIV. quod nunc ubique legimus, *semilauta crura* restituisset, pro eo quoque *et armilausa crura* legi posse coniectat, deceptus nimirum vaniloquentia et falsa Isidori etymologia. Caeterum de hoc vocabulo praeter Cangium remittimus etiam ad Ferrarii *Origg. Ling. Ital.* non indicato articulo, unde frustra fuimus quaerendo.
2 Male eruditiss. Rubenius, *aut simile.* Simili enim vestimenti genere simias tegi solere e Martiali constat;

Gallia Santonico vestit me bardocucullo,
Cercopithecorum poenula nuper erat.

Rutgers. *l. c. III,* 15. — Idem sentiunt Salmas. *l. c.* et Schurzfl. et nihilominus Hennin. *aut similem* proscripsit, Schrevel. adeo, *purpuram*

et similem, quod profecto est ipsa licentia licenter uti.

146. *ancipites fungi.* Mortiferi, venenosi.

147. *Claudius edit.* De Claudio Nerone dicit, quia fungo, uxore sua faciente, mortuus est.

151. *Qualia perpetuus.* Ridet de Homero.

152. *sororib. Afris.* De Hesperidis dicit.

Qui tegitur parma. Tiro.

154. *metuensque flagelli.* Qualem [1] simia manducat.

1 Lego, *Quale*, scil. malum. aperte enim gl. haec ad vs. 153. referenda est.

155. *Discit ab hirsuta.* A sene magistro. *Capella*, campidoctore [1].

1 Haec fuit interlinearis gl. quae coniecturam eorum nonnihil adiuvat, qui *hirsuto* malunt; quamquam et illud (*hirsuta* in textu) ferri posse videatur. et quod ex Homero et Eustathio aliqui tradunt, longius petitum videri potest. Pith. — Cum interlinearis fuerit, in Sg. non reperitur. *hirsuto* est coniectura Scaligeri, quam contra etiam insurrexit elegantissimus ICtus Ian. a Costa, ad §. 4. *Instit. de Lege Aquil.*

156. *parcere credas.* * Non propter avaritiam facit hoc, sed ut tibi iracundiam faciat. *

160. *stridere molari.* * Dentibus pressis. *

161. *conviva.* * Tanquam amicus. *

162. *nidore.* * Odore suae cocinae. *

Bis ferat. Vt denuo ad domum ipsius redeat.

164. *puero si contigit aur.* Antiquitus nobilium [1] pueri bullas aureas habebant, pauperum de loris, signum libertatis.

1. Πόρπη χρύση, *l. Machab. XI.* Pith. — Habebant de loris, ait, sed quid? bullas censeo, illuc enim referri videtur. Hinc ap. Asconium: *Bulla suspendi in collo infantibus ingenuis praetextatis solebat aurea, libertinis scortea.* Bullam scorteam expresse vocat. Id quoque notandum est, quod plebeiis quoque tribuat bullas aureas, solis libertinis scorteas relinquat, c. Scholiast. Iuven. non tam his, quam plebeis omnib. sive iis qui non essent nobiles, assignaverit. Nempe sic crevisse ambitio videtur, ut quod primum omnibus commune fuit, exceptis eor. filiis, qui curulem gessissent magistratum, id deinde ad libertinos solos relegaretur. Io. Scheffer de *antiquor. torquib. §. V.* — De balteo accepit glossator Cod. Hfn. *Solebant*, inquit, *antiquitus succingi pueri nobilium balteo deaurato, vel nodo deaurato, quod fuit signum nobilitatis. Isti vero parasiti dicebant se esse nobiles, ut bis daretur cibus.*

165. *sign. de paup. loro.* Id est, corrigiam particam [1], unde solet bulla pendere, signum ingenuitatis.

1 Miror quid voluerit Schol. Quid enim *Parthica corrigia?* ut de *corrigia* ipsa nihil dicam, corrupta omnia videntur atque talia, quae exponi, nisi melioribus codd. intervenientibus haud possint. Scheffer *l. c.* — Mihi continuo occurrebant *Parthicarii* quos memineram me legisse corrigias vel lora confecisse ex pellibus *parthicis,* de quibus ὁ πάνυ Salmas. ad *Treb. Poll. in D. Claud. c. 17.* Sed c. corrigiae illae vel lora, vel potius pelles essent pretiosissimae et pulcherrimae, vix video, quomodo corrigiae inde factae potuerint convenire *pauperi* veterum Rom. *loro.* quare ego quidem existimo, Iuvenalem loqui de bullis suo tempore ex loris or-

dinariis factis, quas gerebant pauperes et libertini; ast Schol. memorando *corrigiam parthicam*, respicere sua tempora, et posterior. temporum pueros gestasse bullas ex corrigia parthica, pretiosa admodum, suspensas, licet antea habuerint torques aureos, τὰ χρυσᾶ περιδέραια. *Gisb.* Cuper. in *Ep. ad Sperling.* in Poleni *Thes. T. IV. p.* 263. — Ad haec Sperlingius, in solo fere Iuvenale explicando haerens, nihil rescripsit, nisi parthicarios, qui parthicas pelles conficiebant, alio spectare. Mihi Cuperus rem acu tetigisse videtur. parthicae pelles purpurei coloris erant, et, ni fallor, id quod nos rother Saffian, vocamus. hoc igitur voluit Schol. bullam pependisse de loro facto e pelle purpurea, quod sane de bullis aureis verum esse potest, nihil autem facit ad Poetae intellectum, quem recte excussit Sperlingius. *Corrigiam* autem dixit pro loro, cuius rei plura exempla extant ap. Cangium; quibus addo gl. quae extat in Cod. Hfu. ad verba *hirsuta capella* in vs. 155. *corrigia quae dependet ab arcu. cum quo tenditur arcus.* pro zona etiam dictam reperias. Quodsi ista displiceant, et haereas in orthographia verbi *particam* pro *parthicam*, dicas licet, particulam corrigiae innuere voluisse Schol. nam pro *partitus*, etiam *particus* media aetate dixerunt. Sed illud omnino praeferendum.

168. *Ad nos iam ven.* * Gula cum sperantis [1] multum manducare. *

1 Sensu haec carent, sed quis caret otio, temporis parcus?

171. *pulsandum vert. raso.* Etiam capite raso alapas accipies [1].

1 De re et Poetae sensu bene dixit Reinoldus *Varior. cap.* 23.

AD SATIRAM VI[1].

1 In uno vet. Cod. Cadurc. haec Satyra inscripta est: L. FVRSEDIO POSTVMO. Pith. — *Sine distinctione est iste liber, propter plurima mulierum vitia Vrsidium Posthumum titulum facit, quod notus adulter quaereret iustam uxorem.* ita ex suo Cod. glossam refert Barth. LVI, 3. — In MS. Hsn. haec habeo: *Iuvenalis lib. I. expl. incipit II. In hac satyra reprehendit amicum suum Vrsidium Lucilium Postumum, qui omnem vitam suam in adulteriis et leccacitatibus triverat, et modo uxorem pudicam ducere volebat, quam non invenire poterat.* Pro FVRSEDIO, qui fuit in Cod. Cadurcensi, Fabricius coniectabat FAESIDIO. Sed hoc nomen non magis celebre, atque illud. Idem Barth. *l. c.* e Cod. suo ad vs. 2. profert glossam: *Homerus de aetate aurea: In celsis habitantes montibus antra.*

8. *Turbabit* (sic) *nitidos.* *Matrona quaedam, passerem plangens, coeca facta est.*

20. *duae p. f. sorores.* Fides et Pudicitia.

22. *fulcri.* Lecti iugalis.

25. *Tempestate paras.* *Tempore nostro uxorem disponis ducere.*

26. *a tonsore magistro.* Non severus es, ut maritus, qui a pueris ad magistrum tonsorem transis. aut certe, desisti pueros sectari, qui iam uxori nonnulla munera misisti, et solito diligentius ornaris, ut uxori placeas, cui anulum dedisti.

27. *Pecteris.* Componis te.

28. *Certe sanus eras.* Furis insanis.

30. *salvis tot restib.* * Id est, non te magis praecipitas, aut laqueo suspendis. *

32. *Aemilius pons.* Quod ibi lupanaria essent [1].

1 Scholio addit Cod. noster: *vel, ut possis te abiicere in profluentem*, quae expositio alteri multis parasangis praestat, et recte a Britannico olim apprehensa est. Sch.

34. *quod tec. pusio.* A facto nomen.

37. *Et lateri parcas.* Si parum feceris [1], non irascitur ut uxor.

1 Verba, *si parum feceris*, intellige ut illa Arbitri, *cur non facimus?* Sch.

38. *lex Iulia.* Quae iubet eos hereditatem capere, qui filios habent.

40. *Mullorumque.* Quos heredipetae mittunt. *iubis.* Cristis.

44. *Quem tot. texit.* Qui toties superveniente marito, sub cista velatus est, ut in mimo.

Latini. Latinus mimus fuit, qui moechus, in cistam devolutus superveniente aliquo, tegebatur: qui postea propter adulterium Messalinae punitus est [1].

1 Lege: continenter, *ut in mimo Latini. Latini enim mimus fuit moechus in c. d. qua s. u. t. hic post.* caet. Sch.

47. *Tarpeiam limen.* * Capitolium. *

50. *Cereris vittas cont.* Quae possint sacerdotes Cereris esse.

51. *non timeat pat.* * Quia e terre mantur mulieres dt [1]. *

1 Lege: *quia interimantur mulieres dicit.*

54. *Extenquebis, ut haec oc.* * Id est, si hanc conditionem dederis mulieri, ut uno sit viro contenta et ambos habeat oculos; aut multis et unum, magis parata est unum oculum habere, quam unum virum. *

56. *ut vixit in agro.* * Respondit, in civitate sic vivat, ut in agro. *

57. *rure paterno.* * Concedo et in agro castam fuisse. *

57. *Vivat fidens* (sic). * Alii dicunt perdo agrum ego paternum, si vivat illa recte. *

61. *cuneis an hab.* * Vt desideras q̄ habeat consortes spectaculorum. *

63. *Batyllo.* Pantomimo.

66. *discit.* Penem, ut habent in mimo.

68. *sonant fora sola.* Iurisdictio quando est.

69. *Megalesia.* Ludi Megalesiaci.

70. *subligar Acne.* Vestem tragoedi.

72. *Gestib. Autonoes.* Quando Autonoen saltat.

73. *Solvitur h. m. com. fibula.* Vt cum comoedis concumbant. Nam omnes pueri vocales fibulas in naturis habent, ne coeant.

75. *ut Quintilianus.* Vt scolasticus.

77. *Aut Glaphyrus.* Id est, sub tè marito alieni filii.

79. *Ornentur postes.* Ad honorem nuptiarum. Sic enim solent in nuptiis praeparare.

80. *Vt testudineo conopeo.* Hoc est linum tenuissimis maculis nanctum. quia Latine Conopeum culicare dicunt [1]. Sic Horatius, *signa militaria, Sol aspicit conopeum.* (Epod. IX, 15 sq.)

1. An, *netum*, ut ap. Hierónymum ad Demetriadem, an, *nexum?* Conopaci etiam mentio est in lib. Iudith. c. X. Pith. — Lego, *hoc linum est tenuissime variegatum. Quidam Latine culicare vocant.* Adde not. Rigaltii ad Artemidor. p. 35. De Horatii loco egit Rutgers. Sch. — Schrev. et Henn. dederunt, *hoc est linum tenuiss. maculis variatum*, unde Schurzfl. viam struxerunt non necessariae emendationis. Adi, si cupis, *Cuper.* in Miscell. Nov. Lips. Vol. III. p. 694 sq. et in Vhlii Nov. Syll. Epist. Lib. II. ep. 55. p. 211 sqq.

81. *Nobilis Euryalum.* * Vt nascatur tibi filius similis gladiatori. nomina lanistae et gladiatorum. *

83. *moenia Lagi.* Alexandriam dicit, quam Lagus tenuit, pater Cleopatrae et Ptolomaei. post magni Alexandri occupatus Ptolomaeus cognominatus Lagus, atque deinceps ceteri reges, Lagi sunt appellati [1].

1 An, *post mortem magni Alex. occupavit Ptol. Lagus, a quo deinceps.* Pith. — In gl. iterum vetus lectio a. Schrev. mutata, quae fuit, *pater Cleopatrae et Ptolemaei. Post m. Alex. occupatus Ptol. cognominatus Lagus.* Plane rem tetigit et veram emendationem attulit P. Pithoeus, quem potius sequi, quam ita inepte, ut hodie legitur, auctorem interpolare, satius certe fuerat. Sch.

87. *Paridemque reliquit.*. Paridem dicit illius temporis pantomimum, quem postea ob adulteratam uxorem ab eo suam Domitiam, Domitianus occidit [1].

reliquit. *Difficile est consuetudinem deserere.*

1 In nostro libro additur glossa alia: *Pantomimus autem dicitur, qui omnibus personis exprimendis nobilitatur. Nam alii feliciores erant in luctuosis, alii in gaudiosis. Hic omnia ita praesentabat, ut nullis peccaret, quia in omnibus agnoscebatur,* ubi *agnosci* est, *clarum esse, florere,* ut saepissime ap. Hieronymum. Scn.

89. *Et segmentatis.* Segmenta dicit vittam pendentem de vestibus, intextam auro [1].

1 Vid. supra ad Sat. II, 124. Mos autem hic antiquissimus, interpolandi aureis luminis varia amictus genera, restrictus iam olim libera rep. Oppia lege fuit. De qua, cum dico ad iuvenes meos, moneo eos advertere ad Lampridium in *Alex.* c. 41. satin ille locus sanus sit, an morbosus. Refertur ibi Severus severam censuram egisse et de propriis moribus, edixisse quoque, matronas contentas esse debere, *et uno pallio auro sparso, et cyclade quae sex unciis auri plus non haberet,* in quib. fateor me impingere. Cum enim legam inter amplissima dona, quae Claudio, in spem imperii adscito, miserit Gallienus, quo iram eius mitigaret, fuisse paragaudam non nisi *triuncem,* ut refert Treb. Pollio in D. Claud. c. XVII. veri non videtur simile, tenacem Severum adeo fuisse lenem liberalemque, ut matronis vel *sex* uncias remiserit. Vix igitur est, quin mihi persuadeam, pro *sex unciis* scriptum fuisse *semunciis*, ut Imp. continentissimus omnisque luxus aversus, revocasse in memoriam videatur legem Oppiam, quam ex Livio *XXXIV*, 1. constat

sanxisse, ne qua mulier plus auri haberet, quam semunciam, quod de solis vestibus intelligendum, non de torquibus, inauribus aut reliquo auro facto capiendum esse, iam alii quidem perviderunt. Quo ipso quoque facile conciliatur iste Livii locus cum alio *Lib. XXVI c.* 36. inter quos frustra pacem tentavit Glorearus, nec bene socialis personam sustinuisse Drakenb. videtur.

91. *Cuius ap. molles.* *Cuius fama vilis est iactura. matronas, id est, pro maritis delicatis.*

94. *Mutandum toties.* Diu navigatura de Tyrrheno mari ad Adriaticum[1], de Adriaco ad Aegeum transitura.

1 Hoc valde quidem ἀγεωγραφικῶς, de Tyrrheno enim ad Aegeum naviganti, nihil negotii cum Adriatico est et potius Ionium pertranseundum. nisi tamen Adriaticum latius sumtum sit pro Ionio, quod sustineri aliquatenus auctoritate Hesychii potest, qui Ἰόνιον, ait, πέλαγος, ὁ νῦν Ἀδρίας. Cf. Bochart in Geogr. sacr. p. m. 553. Praeterea hoc quoque notandum Adriacum dixisse, pro Adriatico, nescio an ex Silio Ital. I, 54. ubi Hadriacum pontum legimus.

95. *Si ratio est et hon.* *Id est si causa sit navigationis digna, propter quam se periculis etiam committere debeant, trepidantes excusant.*

96. *nec tremulis p. i. plantis.* *Nec se continere possunt. exclamatio in rebus turpissimis[1].*

1 Annon, turbidissimis? potest tamen tolerari, si ad versum seq. tanquam eius glossam trahatur.

97. *Fortem anim.* *Sexum muliebrem abiiciunt, et animos viriles sumunt.*

99. *conscendere navem.* * Id est, cum marito navigatio aegre toleratur et difficile (*sic*) est. *

100. *Quae moechum sequitur.* * Id est, quae cum moecho navigat, stomachum validum et fortem habet[1], quae cum marito, infirmum ac miserum, ut mulier. *

1 Excidisse videtur, *ut vir*, propter illa, *ut mulier.*

101. *haec int. naut.* * Id est, non solum quod non moleste feret navigationem, sed etiam, in quo usus exigerit, nautas in tempestate iuvat. *

102. *duros gaudet tr. rud.* * Ad funes manum mittere. *

104. *Ludia dici.* Ludis serviens gladiatoris uxor.

105. *nam Sergiolus.* Sergiolum nomine ex gladiatore amavit, qui et *Ludor* dictus est, quia sit diu demoratus in ludo. qui, ut requiem gladiaturae haberet Bellonarium se fecerat, quo mos est in talibus sacris lacertos suos secare[1].

1 Lege, *Serg. n. exgladiatorem a. q. et Ludius d. e. q. stat diu .... quorum mos est Vestalibus* caet. Schr. — Legendum puto, *Serg. amavit, qui et Ludor dictus est, exgladiatoris nomine, quia,* caet. Arch. — Inepte. *exgladiatore*, ut *ex consule*, et alia huiusmodi, bene latina esse nemo ignorare debet et adeo ad h. l. notavit Salmas. in *Lampr. Comm. c. VII.* improbe quoque Schrev. et clanculum, *qui gladiator fuerat*, textui intulit, et *Ludus* pro *Ludor* dedit. Sed nec *Ludius* placet, quod generale est gladiatorum nomen. *Ludor* proprium et cognomen Sergii. et quanquam ipse in v. *talibus* haereo, Vestae tamen sacra procul esse iubeo, quib. nihil

cum cruore Circi commune. De *bellonariis* rara mentio, nec extat forte nisi hic et ap. Acronem et in glossis Philoxeni, ubi sic: *Bellonarii, lib. de officio Proconsulis, οἱ θεοφορούμενοι.* ubi Vlpiani lib. de Off. Proc. intelligendus est, ut iam nunc video monitum a Cuiacio *Obs. X*, 34. Illud novum ex hoc scholio, etsi ad Poetae intellectum nihil faciat, veteranos inter ludios a gladiatura redimere se potuisse, dummodo bellonarios se facerent. Caetera quae de iis dicenda sunt in unum collegit Heynius ad *Tibull.* II, 6, 43, et alia pater Salmas. in *Tertull. de pallio* p. 319 *sqq.*

106. * *secto.* Vulnerato. *

requiem sperare. Rudem, ut solent in amphitheatro accipere gladiatores.

108. *Attritus galea.* Apparet eum Secutorem fuisse [1]. *

[1] Sed galea, si non omnes gladiatores, praeter retiarium plerique certe utebantur. Rup. — Videtur argumentum sumsisse e Sat. VIII. ubi secutorem componi noverat c. retiario, hunc nudum capite, illum galea tectum.

110. *Sed gladiator.* Crudelitas tantam deformitatem decorabat, atque illi formosum et pulchrum exhibebat.

Hyacinthos. * Formosos. *

112. *ferrum est, quod amant.* * Id est, non quia deformem Eppia amavit, sed, quia severitatem magis amant mulieres, professionem ipsius amavit. quia (f. quam) si non exercuisset Sergiolus, rude accepta, ita contemneretur ab ea, tanquam Veiento. *

113. *Veiento.* Senator maritus contemptus.

114. *quid fec. Eppia cur.* *Quasi* miraris hoc factum.

115. *rival. Deor.* Ridens, quia Imperatores inter Deos referuntur.

116. *Quae tulerit.* *Quae sit passus.*

117. *Ausa palat.* Messalina tantae libidinis fuit, ut se immutaret habitu, et cum una ancilla descenderet de palatio, atque publice in Circo [1] prostaret per noctem; quoniam [2] antea meretrices propter sacrorum celebrationem ab hora nona totam noctem prostabant: unde etiam Nonariae dictae. Haec eadem ex Claudio Britannicum sustulit, qui per eam, ut superius dixit, a Nerone *veneno* interfectus est, de qua est et illud,

..... *Et patruus similes effunderet offas.*

tegetem praef. Teges, ut matta, supellex cubilis obsceni; aut forte hoc tegeste [3], quo tegitur domus mendicorum, ut tegumenta fornicis.

1 Circum scortorum solemnem locum fuisse, gratis non credo. Scio *Sat. III,* 65. dictum esse

ad Circum iussas prostare puellas,

sed illum venientem et aliam pati interpretationem, et si ibi prostiterunt, iussas prostitisse, non more. De infamia Theatrorum e prostibulis, pleni veterum libri, in primis ecclesiae patrum, de circi altum silentium, non omissuris his, si ab ea lascivia potuissent opprobria in circi spectacula iacere, in quae longe aliis argumentis exsurgunt. Bulengerus tamen *de circo Rom.* cap. 55. ad Lamprid. in *Vero* (scribe, in Elagab. c. 6.) provocat, huncque Imp. ait, omnes meretrices de theatro, de circo, de stadio collegisse. Sed aut memoriae

lapsu erravit aut mala fide egit. de bene nasatis hominib. ibi, non de prostibulis mentio. nec magis scopum ferit locus alter e Machabaeor. *II, c.* 4: *v.* 9. ubi pessime ἐφηβίαν Hieronymus et Lyranus *lupanar* vertunt, et omnino rectius Lutherus per *Spielhaeuser,* quod ex aliis ibi locis sole clarius est. Nec melius ad superiorem Poetae locum, primus Calderinus et quasi de compacto plerique alii interpretes, e Nonio Festoque fuisse perhibent in Circo aedificium maenianum, ex eoque ap. Isidor. *XVIII,* 42. meretrices submoenianas dictas, quod repetiisse video etiam novissimum Iuven. interpretem. In qua re multiplex error cernitur. Nam neque Isidorus earum mentionem facit, sed Martialis aliquot locis, quae Lexica suppeditant, et *aedificia* maeniana apud Veteres nunquam leguntur, et qui a *maenianis* deducunt *summoenianas* mulierculas, et loci structura reprehenduntur et falluntur falso etymo. In enim *maenianis,* qui cellas habere poterant meretriculae, cum sub dio essent proiectiones? et quis non videt commodius a *moenibus* derivari summoenianas, quod et constans scripturae ratio, per *oe,* magis comprobat? Prorsus enim leviculum est quod in contrarium profert Gesnerus in Thes. h. v. et in caeteras derivationes aeque quadrans. Vt autem in breve contraham totam rem, *cellas* et *lupanaria,* de quibus mentio est ap. Iuv. et *fornices,* vocabula eiusdem significationis, et οἰκήματα Graecis — Hesychius: Οἴκημα, τὸ δεσμωτήριον. Ἀττικοὶ δὲ τὸ πορνεῖον — neque in circo, neque in theatro et publicis aedificiis habuisse meretrices adhuc demonstratum est; stetisse ibi passim, et negotiola sui corporis contraxisse neque nego et facile demonstrari potest. Statuendum potius est, latibula ista, ubi formam venalem exhibebant, ut loquuntur Impp. in *l.* 22. *C. ad L. Iul. de Adult.* prosedae, et cellas, quibus nomen inscriptum erat prostitutae et ubi obscoeni lectuli erant, ut ait Seneca, et recipiebant venientes, sub moenibus fuisse et arcuatis privatarum aedium, in primis ea regione urbis, ubi *lupanaria* ponunt Publ. Victor et Sextus Rufus, denique fuisse in imo solo

positas, unde lucem capit Suidas in his: Οἰκήματα, τὰ χαμαιτυπεῖα. Alia in rem si quaeris conf. Brisson. de iure Connub. in Oper. p. 354 sqq.
2 An, *quo iam?* et cum Persii vetus Int. ad Sat. 1, 133. hanc nominis rationem ferat, *ne mane, omissa exercitatione, illo irent adolescentes,* potest fieri, ut et Noster scripserit, *propter laborum celebrationem.* In Sg. mox: *haec est de qua dicit*, qui enim sequitur versus ipsius Iuven. est Sat. II, 33.
3 Eandem lectionem habet Sg. pro qua clanculum *pro tegete* Hennin. *hoc tegete* Archaintr. invexit. Ego vetustum propter lectionis constantiam non protinus respuerim. Certe in Cyrilli glossis aeque insolens verbum: Καλυπτήρια, *tegestas*, quid! et tertium: Ψίαθος, *teges*, *matta*, *terratoria*, nisi velis ibi *terrae stratoria*, vel *thori stratoria.* sic enim Papias: *Stratoria, lectaria, quae sterni solent in lectis.* Sed ut verum fateamur, procul dubio ibi scribendum *terrastoria.* Pro *stratoria* enim, decurtato vocabulo, *storia* dicebant, cuius rei testem habeo Ianuensem. *Storium*, inquit, *a sterno, nis. dicitur hoc storium, quia terrae sternatur. nondum enim laneis stramentis repertis, in his accubabant. unde storio, storiis ornare, unde storiatus, a verbo, storiis ornatus; et est activum.* Id fugit Savaronem, qui ad Sidon. IV, 24. frustra defendit *terratoria*, et Vulcanium, qui ex scriptura Cod. Sangerman. emendat, *teges stratoria.*

118. *cucullos.* *Capitis indumenta, quibus se cooperiebat.*

120. *Sed n. flavo cr. a. galero.* Crine supposito, rotundo muliebri capitis tegumento, in modum galeae facto, quo utebantur meretrices. Flavo, nigro, nam crine utebantur matronae [1].

1 Distingue, *quo utebantur meretrices flavo. Nigro nam crine matronae uteb.* Pith. — Quod adiicit, ideo *flavum* sumtum, quia nigro crine matronae, *flavo* meretrices utebantur, quod etiam Servius no-

tavit ad Virg. *Aen. IV*, 698. Grammatici deliramentum est. Credibile est, Messalinam, quum nigris capillis esset, flavum galerum sumsisse, sive ne dignosceretur, sive ut formosior amantibus videretur. Ferrar. P. II. L. IV. c. 20. — Videtur τὸ *crine* expungendum, ut sit sensus Schol. *flavum* galerum meretricib. fuisse in usu, ut matronis *nigrum*, quod et verum. qui enim alia adferunt, nugantur, cum expertissimus nequitiae magister Lucretiae, matronae pudicissimae, *Fastor. II*, 736. *flavos* capillos disertissime commendet. Henn. — Scholium ita lege: *meretrices flavo. Nigrum, nigro nam crine* (scil. supposito) *matr. uteb.* Huc vide quae ad Tertull. *de Pall. p.* 317. observavit Salmas. Sch. — Verba *nigro nam* caet. etiam Henn. ut separatam gl. exhibuit. Sed optima ratio Pithoei est. Multis autem hic agunt Interpretes, et in primis Salmas. et Arntzenius Diss. *de colore et tinct. comar. c. III.* ut contra Nostrum et Servium evincant, promiscuum *flavi nigrique* colorem in galeris fuisse matronis et prostibulis. Levis est controversia et vix tangenda, nisi tantis animis agitatam cerneres. In qua, ut sententiam meam breviter interponam, equidem existimo, quum certum sit meretrices *flavum* galerum sumsisse, quod flavi crines puellas maxime putabantur ornare, nihil a veri specie alienum esse, honestas pudicasque matronas discessionem fecisse, et ne cum opprobriis istis confunderentur, *nigrum* praetulisse, ut narrant Servius et Probus. Iam vide quae contra afferuntur. Cumulant loca veterum, quibus vel matronis flavi crines tribuuntur, quibusve adeo eos rutilasse perhibentur studiose, qualis locus celebris est ap. Valer. Max. *II*, 1, 5. Piget loquacem esse in re tantilla, et unum illud sufficit respondisse: loca ista omnia de crine naturali loqui, non item de adscititio et galero, adeoque nihil facere cur vadimonium deseramus in lite Scholiastis mota. Iam vero, qualem galerum Messalina sumserit, qualemque naturae dono crinem habuerit, ego non dixerim, qui, quod omnes hic silentio praetereunt,

videam ap. Servium, etiam in antiquissimis Edd. constanter sic legi versum Iuvenalis:

Sed nigro flavum caput abscondente galero.

eodemque modo fuisse in Cod. Schurzfl.

121. *veteri centone.* Vt velo ex pannis facto.

123. *Prostitit* [1] *aur. tit.* Quoniam in cellis nomina meretricum superscripta fuerunt. hoc est, pro quadam Lycisca meretrice, ipsa cellam ingressa est.

1 Sic Pith. et Sg. et ille etiam in textu habet, quod dicere neglexit novissimus editor, servans alteram lectionem, *constitit*, nova hac, sed non valde probabili ratione, quod *prostare*, verbum sit rei proprium, et ideo ex margine irrepere potuerit.

124. *Britannice.* Ipse Britannicus, quem pro [1] Messalinae matris nece, conscia Agrippina, Nero in convivio suo necavit.

1 Legendum *post necem*, et *inscia* aut *nescia*, pro *conscia*, nisi ex alio fonte hauserit, quam Tacito *Ann. XIII*, 16, qui Agrippinam sceleris absolvit conscientia.

125. *Excepit.* In meritorio.

127. *mox lenone.* Id est, de meritoriis recedentibus puellis, ipsa tristis efficiebatur, quod per totam noctem lassata quidem ex coitione virorum, tamen adhuc desiderans, non satiata, et ultima recedebat.

129. *ardens.* *Desiderantem coitu.*

132. *Foeda lup.* Obscoenum odorem lupanaris pertulit ad lectum maritalem.

133. *Hippomanes.* Quod de partu equarum rapitur a fronte pulli, statim ut nascitur. quod mater ab eodem lambit. quod datum in poculum ad amatorias res facit.

134. *faciunt graviora.* Graviora faciunt in aliis rebus, quam quod libido persuadet: et minus peccant forte, quam quod libido [1] desiderat.

1 Delendum posterius *libido* et leg. *quam quod desiderant*, quum videlicet semper desiderent maiora scelera committere. Sch. — Sed desiderant ex libidine, ut adeo nihil sit innovandum, etsi sensum Poetae non adsecutus sit Schol. In Schrev. vox *libido*, primo loco excidit. credo, incuria, magis quam consilio.

136. *Optima sed quare.* Anthypophora est. tanquam ab alio interrogatus sit. * Quare ergo Censennia, testimonium perhibente marito, bona est? respondit: magnam dotem secum attulit. Inde pudica audit: avaritia enim viri, vitia uxoris extinguit. *

137. *Bis quingena* (sic.) * De avaritia scilicet. non, inquit, amat uxorem, nec pro affectu, sed propter dotem habere talem contentus est. *

140. *Libertas emitur.* Mariti, ut peccante uxore contentus sit tacere, propter avaritiam; ut Horatius

Et non tensurum scio surgat maritus. [1].

1 Locus est ex Horat. *Carm. III*, 6, 25. mire hic deturpatus: *Sed iussa coram non sine conscio, Surgit marito.* Pith. — Omnia plana modo *contentus sit*, accipias pro *teneatur* more medii ae-

vi. Sch. — Cui planum non fuerit, nescio. Veram Horatii lectionem in textum receperunt Schrev. et Henn. dissimulato vitio Cod. Budensis, quod et Sg. insidet; suppressa etiam nota Pithoei. Pertinet autem gl. potius ad v. *coram licet*, ideoque corrigendum *marito*, pro *mariti*.

141. *vidua est locupl.* Tanquam vidua peccat sine crimine dives, mulier, quae avaro nupserit marito [1].

1 Sg. *a marito*, quod rectum, si Poeta indicasset e divortio nupsisse alii.

142. *Cur desiderio.* Anthypophora. * Ob quam rem Sertorius uxorem indotatam amat? respondit: non pro moribus amatur, sed pro pulchritudine *.

144. *Tres rugae sub.* * Id est, si rugas contraxerit in facie, ut anus. *

145. *Oculique min.* Prae senectute; id est, fiat anus.

146. *dicet lib. et exi.* * Statim mittitur foris. *

147. *et saepe emung.* Mucosa es.

148. *venit altera.* * Id est, iuvenior puella. *

149. *poscitque mar.* * Omnia sibi donari petit. *

150. *et ovem.* Id est, greges in Calabria, et vineas in Falerna.

151. *ergastula tota.* Ergastula proprie dicuntur loca, in quibus ad poenam vincti opus faciunt [1]. Hic ergo ergastula dixit rusticorum servientium multitudinem.

1 Ita et Isidor. et Philoxenus. Ergastula, τόποι ἐν οἷς πεδῆται ἐργάζονται. et sequuntur recentio-

rea. Male. neque enim in ergastulis opus faciebant, nec poterant. Rectius Plautus Capt. III, 5, 64.

ducite
Ubi ponderosas crassas capiat compedes:
Inde ibis porro in latomias lapidarias."

153. *quo iam mercator Iason.* Illud significat, quod [1] Romae in porticu Traianarum thermarum tempore Saturnaliorum sigillaria sunt. Tunc mercatores casas de linteis faciunt, quibus picturam obstant [2]. Ideo autem dicit mercator Iason: quoniam antea in porticu Agrippinarum sigillaria proponebantur, in qua porticu historia Argonautarum depicta est, et casae cum fierent, picturae obstabant.

mercatoria sum (sic). * Negotiatorem Grecum, qui iam navigare non possit. *

1 Leg. *quo*, scil. tempore brumae et Saturnaliorum, post quae festa Sigillaria agebantur, in quibus ipsa Sigillaria; h. e. sigilla et res pretiosae venum ibant. Vid. Alex. ab Alex. *Gen. Dier. III*, 4. et Cuiac. Obs. XI, 30. idque in vico, qui et ipse Sigillaria dicebatur. 2 Vel leg. *picturae*, vel *abdant*. Pith. — Receperunt *picturae* Schrev. et Henn. Sed vel sic obscurum manet scholium, quod, si historiae luce perfuderim, spero fore, intelligatur, quam sit minime probus hic Probus. Paucis cape. Insignis, multis in publicum commodum exstructis operibus, M. Vipsanius Agrippa fuit, Augusti gener, Tiberii aemulus. In his, ne omnia proferam, septima Vrbis regione, ea ipsa, qua, teste Sexto Rufo, vicus sigillarius minor fuit, campus Agrippae et septa Agrippina et diribitorium fuerunt; in nona autem, tum thermae, seu βαλανεῖον τὸ ἐπώνυμον αὐτοῦ, ut ait Dio, *LIV*, 29., tum Neptuni templum, antiquum illud quidem, ut cum Nardino in *Roma*

vet. VI, 9. existimo; sed reparatum et magnifica porticu ab Agrippa adeo splendidum redditum, ut ipsum templum fere memoria oblitteraretur. Eam porticum Vipsaniam appellat Tacit. Hist. I. 31. et Martialis *IV*, 18. Vipsanas columnas, alii Argonautarum porticum, cuius nominis rationem, praeter Schol. in primis servavit Dio *LIII*, 27. his verbis: *τὴν στοὰν τὴν τοῦ Ποσειδῶνος ὠνομασμένην καὶ ἐξῳκοδόμησεν ἐπὶ ταῖς ναυκρατίαις, καὶ τῇ τῶν Ἀργοναυτῶν γραφῇ ἐπελάμπρυνε*, eamque porticum, *Ποσειδώνειον* vocat *lib. LXVI*, 24. Xiphilinus narrat a. V. C. 833. notissimo illo Vesuviano incendio, quo Plinius periit, una cum thermis Agrippinis absumptas fuisse. Martial. *III*, 20. spatia Argonautarum vocat ab ea pictura, quae forte Cydiae pictoris fuerit, quam ingenti aere mercatum esse Hortensium tradidit Plin. *H. N. XXV. II*, 26. Quodsi est, illuc translatam fuisse oportet ex aede, quam ei singularem commemorat idem fecisse Hortensium in suo Tusculano. Ad hanc igitur porticum, non abhorret a vero, quod memoriae servavit Schol. quia ad Neptuni erat, exposuisse merces suas, qui advexerant e longinquo magistri navium, casasque ibi habuisse oppositas isti picturae eamque quasi abdentes, quemadmodum e diverso in Sigillariis similes tabernas haberent Romani mercatores artificesque. Nec improbabile, combusta porticu Argonautarum, transmarina haec sigillaria translata fuisse ad thermas Traianas, quas itidem non ignoramus, porticibus fuisse ornatas. Sic omnia bene conveniunt, neque, credo, quidquam obscuri restat in Scholio quantivis sane pretii, nisi hoc unum, quod sigillaria in porticu *Agrippinarum*, scil. thermarum, proposita fuisse dicit, in quibus pictura Argonautarum nulla fuit. quare aut errore deceptum oportet, aut scripsisse *Agrippae*, etsi hoc verum sit, omnino porticus picturis ornatas fuisse variis, quod vel ex sola constitutione Theodosii Imp. *L.* 4. *C. de Spectac.* patet. Ceterum similis Argonautarum pictura fuit Athenis in templo Dioscurorum. V. Meursium *de Athenis Attic. I*, 7.

155. *Grandia toll. chrystallina.* Sic et Cinna dicit,

atque imitata nives ludens[1] *legitur chrystallus.*

1 Legendum *lucens.* Auctor περὶ λίθων sub Orphei nomine,

Κρύσταλλον φαέθοντα διαυγέα λάζεο χερσὶ
Λᾶαν, ἀπόῤῥοιαν περιφέγγεος ἀμβρότου αἴγλης.

Rutgers. *l. c. V*, 10. — Ludo scil. naturae insignis. non enim audiendus vir doctus qui in Var. Lectt. lectionem eam *lucente* commutatum adfuit. Barth. ad *Claud. epigr. XV.* — Traiectio vocis videtur corrupisse locum, et restituam: *Atque imitata nives legitur crystallina ludens*, ut *crystallina*, foeminini generis, calicem crystallinum designet, quod notare voluerit Schol. et sit remotiorum studio, quo Cinna fere singularis fuit, vicinius. IDEM *Adv. IV.* 20. — Rutgers. *lucens* emendavit, me dissentiente. Claudian de eodem, *epigr. X.*

Sollers lusit hiems, imperfectoque rigore,
Nobilior miris gemma tumescit aquis.

Adde quae ibi Barthius observavit. Sch. — Pro *lucens* Heinsius male tentabat *undis.* Handius ad Gron. *Diatr.* in Stat. T. I. p. 347. — Rutgersii emendationem recepit Henn. Quodsi de chrystallinis frigore infectis egit Cinna, nihil opus est mutare, imo magis poeticum est *ludens.*

156. *Myrrhina.* De murrha pocula tincta facta.

157. *Barbarus*, Barbarum. Ptolomaeum significat et Beronicen sororem eius.

dedit h. Agr. sorori. Iuliam neptem Augusti significat, quae nupta Aemilio Probo, cum is majestatis crimine perisset, a barbaro[1] relegata est, post revocata, cum semet vitiis addixis-

set, perpetuo exilio damnata est. Supplicio huius Agrippa frater, propter morum feritatem in Sicilia ab Augusto relegatus, post cuius mortem iussu Tiberii interfectus est. Beronice soror Ptolomaei. verum neptis Augusti Iulia, cum qua commisit incestum, et pro ea [2] ab Augusto religatus est.

1 Forte, *ab avo*. et illud *supplicio* superesse videtur. Pith. — Inde Henn. edidit *ab avo Augusto*. In seqq. idem non male, *perpetui exilii damnata est supplicio. Huius* caet. Sed quod etiam *in Siciliam* obtrusit, et post *commisit* inseruit *Agrippae* nomen, et *relegatus* denique scripsit, praeter necessitatem factum est. Certe et Sg. *religatus*, ut plerumque presso pedo insistens orthographiae Cod. Budensis Pithoei. De re, si videtur, conf. Scalig. ad *Euseb. Chron. p.* 196. 2 Malim, *et propterea*. Sch.

158. *Observant ubi festa.* In Iudaea regione ubi est Synagoga [1].

1 De re consule Bocharti *Hieroz. I, p. m.* 701. Brouerium *de Adorationib. cap.* 15 et Bibl. Angloise T. XV. p. 339. praeter quos alii hic laudant. Plerique autem hic ideo impingunt, quia *meros pedes* hic nudos accipiunt, cum tamen Poeta solummodo eum morem tangat, qui etiamnum per totum Orientem obtinet, quo adoraturi ad templi limina calceos ponunt.

159. *Et vetus ind. senib.* Id est, maioribus porcis pascuntur. nam minores manducant [1].

1 Quod ait de Iudaeis, qui porcellos manducent, porcis parcant, id vere grammatica argutia est, et hominis gentilis, et rituum Iudaicor. ignari. Sch. — Add Bochart. *l. c.*

162. *Porticibus.* *Nobili familia, id est*

cuius avi triumphantes in imaginibus picti [1] et positi in porticibus.

1 Pithoeus, propter lacunam Budensis sui *cti expressit, pro quo Henn. *facti* exsculpsit. Reposui *picti* ex aperta scriptura Cod. Sg. Idem iam coniecerat Rutgers. *I*, 16. et receperat Schrev.

163. *bellum dirim. Sab.* Sit castior [1] Sabinis, quae foedera inter Tatium et Romulum fecerunt. * id est, quod inter Romanos olim suosque parentes contractum bellum, propter ipsorum raptum, interventu suo dirimerunt, ostendendo illis filios, hostis nepotes. *

1 Ex hoc probare volunt pro *intactior* in suo Cod. Interpretem habuisse *sit castior*, quod adeo, quanquam minus poeticum, probavit Marklandus. Sed *castior* nihil est nisi interpretamentum verbi *intactior*.

165. *Rara avis.* * Id est, quemadmodum difficile invenitur niger cygnus, sic et talis uxor inveniri non potest. *

167. *Malo Venusin.* * Magis pauperem volo uxorem, quam nobilem et superbam, quae pro dote, facta parentum et triumphos imputet. *

169. *et numeras.* Imputes.

170. *Siphacem.* * Maritus superbae et nobilis. *

173. *Nil pueri fac.* Commicturun [1]. Lucanus: (II, 108.)

Crimine quo parvi caedem potuere mereri?

1 Lego, *committunt.* Pith. — Lego, *committunt,*

ut Lucan. Rutgers *I*, 16. — *Committunt* receperunt Schrev. et Henn. In. Sg. est *conmicturum.*

174. *Amphion clamat.* * Amphion Iovis fuit maritus. Horum filios Apollo et Diana, quia se his proferrent, interemerunt sagittis [1]. *

1 Haec, certe a Probo non profecta, mera somnia sunt. Consule, sis, mythographos.

175. *greges nator.* * Bene dixit greges, * quia plures fuerunt et diversi sexus, id est, septem masculi et septem feminae.

177. *scrofa Niobe.* Lusit. * Fecunda tanquam * scrofa alba Troianorum, quae visa est Aeneae, cum triginta foetibus.

180. *Nulla boni.* * Id est, huius boni rara est voluptas aut nulla, quotiens vitiato animo semper se praeferat tibi. *

181. *Plus aloes q. mellis.* Plus amaritudinis ex superbia, quae [1] se tibi semper profert, quam dulcedinis ex castitate.

1 Leg. *qua se*, Sch. — Et ita iam Schrev. exque eo Henn.

182. *Usque adeo.* * Quis enim ita subiectus est, ut eam, quae semper monumenta laudat, odio non habeat? *

184. *Quaedam parva.* * Aliquanta vitia mulierum minima sunt quidem, sed molesta maritis. *

186. *Formosam nisi.* * Aliter se non putat videri formosam, nisi Graece loquatur tanquam Athenienses, cum sit Tusca. *

187. *De Sulmonensi.* * Civitas Tusciae. *

188. *Cum sit turpe.* * Cum turpe sit illis, quod Latine necdum habuerint [1]. *

1 Fateor me haec non intelligere, sed nec curare multum, cum nihil certius habeam sententia Barthii, totum versiculum 188. reiectitium esse, quem nec iuvat emendatio, *miscere Latina*, quam proposuit H. Cannegieter ad *Vlpiani Fragm.* p. 43. pro *habuer.* leg. *sapuerint* svasit Twesten. noster.

190. *Hoc cuncta.* * Scil. Graece amare se dicunt. *

191. *Concumb. Graece.* * Quid amplius? etiam in lectulis Graece loquuntur. *

192. *Tunc etiam.* Signum est impudicae mulieris, quae cum sit valde senex, alienam vult linguam imitari. * Licet turpe sit, tamen puellis hoc concedendum est. tu autem, quae octoginta, vel eo amplius annis pulsaris, adhuc Graece vis loqui, tanquam puella. *

195. *Ζωὴ καὶ ψυχή.* Quibus sermonibus Graecae mulieres in concubitu solent blandiri.

196. *in turba.* Etiam in publico.

197. *digitos habet.* Excitat, tanquam si manu palpetur. * Ita potest excitari ad libidinem vir, audiens talia verba. *

198. *Subsidant pinnae.* Longam aetatem. pinnae. aut metaphora, quia vetulae hiacessant [1].

1 Lego, *pinnae autem met. quia vet. flaccescant.* Ruto. I, 16. — Possis etiam *marcescant*, vel

amari cessant, quod C. Barthio in mentem olim venit. Sch. — Rutgersii ratio Schrev. placuit et Henn. qui praeterea *longa aetate* dedit. Fabricius in ora libri sui *hiare cessant* coniecit non bene. Verba, *longum aetatem* hic tollenda, et ad verbum *annos* ponenda, in proclivi est..

199. *et Carpophoro.* Nomen est scenici effeminati, sive histrionis.

200. *tabellis.* * Dotalibus. *

201. *Non es amat!* * Si non potest inter vos esse concordia, ex superfluo vis dulcia gratis perdere. *

203. *Labente officio.* Discedentibus pransoribus, qui officii causa conveniunt. Solebant enim antea per nuptias [1] recedentibus dulcia erogare pro apoforetis.

crudis. Saturis et indigestis.

1 Lege, *post nuptias*, et cum Sg. *erogari*, quod tamen iam Schrev. et Henn. habent. Est autem hic locus Poetae inter eos, quibus uti possis contra Ayrerum Diss. *de iure connub.* §. 12. qui frustra persuadere nobis voluit, ante deductionem et in domo patris sponsae, agitatas fuisse has nuptiales epulas, quod iam per se minus probabile est, cum fierent sumptibus sponsi, cuius etiam voluntate convivae adhiberentur, quod itidem claret e Nostro *Sat. II*, 135. Cf. Trekell ad Brisson. *Opp. Min. p.* 331. qui magis verecundia Ayreriani nominis, quam diffidentia causae cespitare videtur. Praeterea de apophoretis locus memorabilis, plane autem ille de donis matutinis, delibatae virginitatis signis, in omni antiquitate Rom. singularis est. Huiusmodi donum Graecis ὄρθριον δῶρον vocari tradit novissimus Commentator Iuven. Sed velim id ostendi aliquo idoneo auctore. Scilicet accepit id a Plathnero, Plathne-

rus a Gothofredo, hic e Cuiacio male intellecto ad Feud. IV, 32. ubi de suo dicit; id fuisse *quasi* ὀρθ. δῶρον. Nempe sic errores propagantur et vara vibiam sequitur. Graecis διαπαρθένια est, ap. Polluc. Onom. III, 36. Vid. Salmas. *de modo usur. c. IV. p.* 145. non ἀνακαλυπτήρια, quae potius respondent Romanor. donis nuptialibus, in quo etiam erravit, qui singulatim de iisdem egit Groebel. in Biderm. *Select. Scholast. I, 2. p.* 751. Nam ap. Brisson. quem hic vides laudari, nihil invenies. Porro, Dacici et Germanici nomine Trajani numum ap. Iuven. indicari recte quidem dixit hic *Achaintrius,* sed suppresso nomine Catanei et Arntzenii ad *Plin. Paneg. cap. IX.* qui id iam ante edixerant. Ita commentarii fiunt, docti hercle et iucundi, sed a sinceritate et bona fide male olentes. Et haec causa est, cur non admodum probem, qui nunc in more sunt, commentarios perpetuos in priscos scriptores, ex quibus, si de iudicio et ingenio scribentis sententia ferri potest, de doctrina tamen et eruditione iudicari non potest, nisi collatis superioris temporis interpretibus, omninoque sit, ut progressu temporis non nisi ex reside hac aqua doctrinae hauriantur, omissis fontibus, unde derivatae sunt, utque tantum paullatim decrescat famae nominibus maiorum illustribus, quantum praeter ius fasque accrescat obscuris novorum hominum.

204. *lance beata.* Ampla aut plena.

205. *Dacicus German.* Solidi ita signati, qui pro virginitate deposita novae nuptae donantur.

206. *Si tibi simplicitas.* *Si enim paratus es ad uxorem ducendam, para te ut subeas servitium deposita libertate.*

208. *nullam invenies.* *Nunquam parcit uxor marito.*

209. *Ardeat illa lic.* Quantumvis amet mulier, tamen poenis eius delectatur admodum quem amat.

211. *optandusq. marit.* * Non potest bonae vitae esse mulier, quae marito suo gratias aget. nec dubium est enim illam pro sua voluntate agere, quicquid velit. *

213. *Hac obstante.* * Id est, omnia c. voluntate uxoris facturus es. Excludatur amicus, quem illa voluerit. *

215. *Iam senior.* Qui ab ineunte aetate amicitiis tuis inhaeserat.

ianua vidit. * Intra domum tuam barbam adtulit. *

216. *Testandi c. sit.* * Cum omnib. liceat testamentum facere, tibi non licebit. *

218. *Non un. tibi riv.* Illius adulteros facies heredes, illa summittente, quos voluerit.

219. *Pone crucem.* * Cum voluerit servum occidere, causam non quaerit. *

221. *Nulla unquam.* * Id est, si interrogaveris eam, ob quam causam servum occidis? aut quo deferente? * Hoc tibi uxor respondebit: De nece ingenui nulla est dubitatio. an de servi morte causa quaerenda est?

223. *Hoc volo.* * Illa tibi dicit, Hoc volo, sic iubeo. „Nihil peccavit." Sic mihi placet; pro culpa mortis, voluntas mea habenda est. *

224. *haec regna rel.* * Repudiavit virum. *

225. *et flameae.* Genus amicti [1] quo se cooperiunt mulieres die nuptiarum. Est enim sangui-

neum propter ruborem custodiendum. **conterit** autem, exterit saepe nubendo.

1 Schrev. et Henn. *amiculi*, sed parum interest. Vid. gl. ad II, 124. et ad X, 334.

226. *repetit vestig.* * A secundo marito iterum priorem repetit. *

227. *Fores.* * Introitus. *

228. *in lim. ramos.* * Quibus per nuptias domus ornantur. *

230. *res digna sep.* * Vt hoc sepulchro ei inscribatur, quod in quinquennio octo maritos habuit, et omnes reliquit. *

231. *Desperanda.* * Vivente socru tua, nunquam pacem cum uxore es habiturus. *

232. *Illa docet.* Socius filiam suam lenat [1] et docet eam moechis suis caute rescribere.

1 *lenare* notat artibus meretriciis instruere, lenam agere. quod ideo noto, quia hoc verbi Dufresnio in Glossar. video praetermissum. Scii. — Pro *socius* Sg. habet *haec.* quod, ni placet, *socrus* scribendum, ut edidit Henn. Verbi *lenare* usus in Benedictinorum secunda Dufresnii editione satis fulta est exemplis, postquam primus eum adstruxerat Salmasius ad *Vopiscum, cap.* 16. Papiae et Ianuensi ignota vox est, ut, licet antiqua, tamen plebeia.

236. *Archigenen.* Medicum magnum illius temporis. Simulat aegritudinem socrus, ut habeat facultatem ad se filia veniendi caussa adulterii.

pallia jactat. * A calore se discooperit. *

237. *secretus adulter.* Pro medico intrat adulter.

238. *silet et praep. duc.* Metuit [1], et manu sua penem fricat sibi. Hic versiculus in quibusdam codicibus non est.

1 Ergo in textu agnovit *pavet*, quod et Edd. habent. Sch. — Hafniensis quoque Cod. agnoscit, sed et mox *discit*, perperam.

240. *Atque alios.* * Malos mores et turpes, quos ipsa habet. *

241. *producere.* Meretricem.

242. *litem Moverit.* Vxor cum marito litigat.

243. *accusat.* * Ipsa ultro accusat, si non accusatur, hoc agens scilicet et dum a foro non discedit. *

245. *Celso.* Oratori illius temporis [1], qui septem libros Institutionum scriptos reliquit.

1 Male *Orator illius temp.* vocatur. Fuit enim haud paullum Iuvenale maior, nisi tamen a Iuvenale alius ab illo, qui VII. Instit. libros scripsit, intelligatur. Plurimos enim eius temporis Celsos fuisse, docuit ad Originem Spencerus. Sch. — Plerique nunc P. Iuventium Celsum ICtum malunt intelligere, qui Traiano principe floruit; nec intercedo. magis enim ICti est, quam Oratoris scribere libellos accusatorios, quorum mentio est ap. Tacit. *Ann. III*, 44. et, in primis in causa adulterii, ap. Vlpian. *L.* 17. *§.* 1. *et L.* 29. *§.* 8. *D. ad L. Iul. de Adult.* Labente quoque sermone Oratores dici coeperunt, qui ante ICti. itaque ap. Iustinianum *Const. ad Antecess. §.* 2 *et* 6. leguntur, *disertissimi legum Oratores.* Et quanquam aliunde non constat Celsum Institutionum libros edidisse, possunt tamen intelligi eiusdem Commentarii, quorum item

liber septimus laudatur *L.* 19. *§.* 6. *D. de aur. arg. leg.* quo utroque nomine etiam similem Gaii ICti librum appellari, nemo nescire debet, nisi prorsus ignarus eorum, quae nunc potissimum in iuris arte celebrantur. De *locis* ap. Poetam, h. e. argumentis, qui *principium*, i. e. praefationem et introitum libelli excipiunt, consule Bynkersh. *Obs. iur. V,* 15.

247. *vulnera pali.* De palo pugnantium, habitu gladiatorum.

248. *Quem cavat.* Obtundendo illum ferulis, in meditatione [1] pugnandi.

1 *Meditatio pugnae* est exercitium, quod fit cum cura. supra Iuven. *VII,* 112 et *VII,* 128. ubi Schol. Sch.

249. *Atque omneis.* Hoc est, universa efficit dictata, ut tantum currat in exercitio [1], quantum gladiator.

1 Id est, proficiat in gladiando. Sch. — Recte, et ideo legendum, *et tantum curat,* neque enim *currendi* officium ad gladiatorem pertinet.

250. *Florali mat. tuba.* Qua committuntur ludi Florales, in quibus meretrices nudatis corporibus per varias artes ludendi discurrunt, et armis certant gladiatoriis atque pugnant [1]. Hi ludi a Flora meretrice instituti sunt in honorem Florae deae, quae floribus praeest. Ludi sunt impudici.

1 Malim legere, *ut qui pugnant et armis cert. gladiatoriis.* neque enim utebantur gladiatoriis armis in Floralib. meretrices, sed talibus, quae nudis convenirent. Sch. — Henn. *ludendo* dedit pro *ludendi.* recte.

251. *veraeqae.* ° Nam vere vult esse gladiatrix, quae meretrix.*

252. *Quem praest. potest.* Id est, si nudo vultu pudorem non capit, cooperta quando erubescat?

253. *Quae fug. a sexu.* * Quae deserit sexum muliebrem.*

254. *nam quant. nostr. vel.* Vna uncia est libidinis in masculis, et undecim in feminis [1].

1 Respicit ad *Sat. I.* 40. sed prorsus inepte.

255. *auctio fiat.* Fit nam et privatim auctio.

256. *Balteus et tunicae.* [1] Retiarii scilicet si personam aut officium susceperit.

1 Ita quoque Sg. recte, non *manicae*, firmatque Servius ad *Aen. X,* 494. eodem modo referens; quem Grammaticum, cum saepe utatur Iuvenalis auctoritate, miror nondum excussum esse ab interpretibus.

257. *diversa moveb.* *Retia, manicae et gladiatorum strumenta [1].*

1 De hac decurtata loquendi ratione dixi ad Sat. I. Est autem schol. alterius cuiusdam interpretis, qui anteriore versu *manicas* habuit, non *tunicas*. deinde leg. *et manicae* transpositis verbis.

258. *tu fel. ocreas.* *Illius scilicet, quae studiosa pugnandi est.° Si in auctione uxoris veniant [1] arma gladiatoria, ποταπὴ ἀσχημοσύνη [2]. Ocreas dicit, quas retiarii aut secutores habent.

1 Henn. *veneant.* Frustra, ni fallor, cum *venient* sit forma futuri temporis, sive ex more cadentis Latinitatis, sive relictum e rustica lingua. De qua re, cum videam non satis distincte ab hodiernis grammaticis tradi, adscribam locum Iannensis et

propter raritatem libri, et propter rem ipsam. Is igitur in v. *Eo*, inter alia haec habet, quae vix est, ut de proprio iecinore sumserit: „Attende, quod „ambio facit futurum coniunctivi, non in *bo*, sed „in *am*, sicut audio, et *ambiam*, *es*. Si ergo „inveniatur in *bo*, fit secundum antiquitatem. Om-„nia enim verba quartae coniugationis olim facie-„bant futurum indicativi in *bo* et in *bor*. unde ad-„huc in theologia, h. e. in psalmis, invenitur *parti-„bor* et *metibor*. Sed haec antiquitas absolvit, (f. „obsolevit) et solum duo verba quartae con-„iugationis faciunt illud futurum in *bo*, scil. *eo* et „*queo*, et composita ab eis, excepto *ambio*. In „compositis tamen quandoque invenitur illud futu-„rum et in *am*, ut in Lucae Evangelio: Coelum „et terra transibunt, verba autem mea „non transient." Ita transcripsimus e Cod. Academiae nostrae, passim emendatius, quam in Edd. leguntur. Plura sane et curatius de declinante forma futuri temporis quartae coniugationis dici possent, nisi tempus et locus prohiberent. De duobus modo vocabulis, quid videatur, breviter exponam. Verbum *venio* h. e. accedo ad locum, quod simplex est, a Gr. *βαίνω* descendens, non solum apud probatae Latinitatis auctores sed etiam postremae aetatis, facit futurum per *am*, idemque obtinet in compositis omnibus eiusdem verbi. Antiquissimis tamen temporibus, et fluctuante adhuc grammatica ratione, etiam in *bo* desinebat. Testis Pomponius ap. Nonium: *Sero est; sexta, si tibi placet, venibo*. Idem ibid. *Hominem beatum! quo illae pervenibunt divitiae!* Sic enim, non *quod*, leg. e Cod. antiquissimo, cuius collationem servo, et ex edit. anni 1476. Testis Plautus ap. quem *convenibo* est, in Cas. *III*, 2, 18 et *subvenibo* in Menechm. *V*, 7, 20. Contra *ire* verbum, cum suis compositis, ab antiquissimis inde temporibus, futurum fecit per *bo*, quod et locum habuit in verbo *venire*, quod est a *venum* et *ire*. Vnum *ambio* excipit Ianuensis et Grammatici recentiores omnes, vere, nec ne, haud scio, cum eius verbi futurum tempus usquam legisse me, mihi non constet. Contrario

tamen usu labentis aevi, fortassean quoque è veteri lingua rustica et confusione compositorum e v. *venire* et v. *ire*, evenit, ut in his quoque paulatim forma in *am* invalesceret. Primum eius vestigium ap. Apuleium *Metam. VI. p.* 181 *ed. Elmenh*, ubi *redies* legitur pro *redibit*; deinde in Vulg. Biblior. vers. Matth. II, 6. ubi *exiet* habetur, consentiente etiam Tertull. *adv. Iud.* c. 13. qui e Matthaeo laudavit, non, quemadmodum in margine notatur, e Micha V, 1, qui non *exiet* sed *egredietur* habet. Eadem Vulg. apud Lucam *XXI*, 33. scripsit auctore Ianuensi, *transiet*, quod tamen in Bezae edit. video declinatum in *transibit*. Similiter *obiet* manifesto deprehenditur in haud invenusto epigrammate ap. Gruter. MCXIX, 4. denique *veniet* pro *venibit*, tum ap. Schol. nostrum, tum in lapide Gruteri DCCLXII, 5. et Murat. MCCCXI, 2. Ex hac forma sequioris aetatis factum esse videtur, ut eadem a librariis inveheretur in probos scriptores, quos plane alienos ab ea fuisse reor. Inde in antiquis edd. *inietur* legitur in Cic. *Agr. II*, 25, nunc *inibitur*. Sic *iniet* ap. Senec. *de Benef. II*, 1. pro quo post Lipsium omnes *iniit*. Sic *transiet* ap. Tibull. I, 4, 23. ubi nunc *transiit*, sed et ap. Apul. in *Adloc. ad Asclep.* p. m. 93. ubi alii Codd. *transiliet* commode habent. Denique *prodient* ap. Lactant. *VII*, 16. *in f.* ubi nunc *prodeant*. Apud non indoctum nostrae aetatis Grammaticum lego, hanc formam oppido frequenter esse apud scriptores ecclesiasticos, quod tamen, cum sciam eos nunc raro in manus sumi, vellem exemplis potius declarasset, quam, quod nullius est neque operae neque fructus, ἁπλῶς tantum dixisset. Mihi certe sedet in huiusmodi rebus nihil credere, nisi testibus assiduis firmetur. 2 Referenda haec sunt ad verba vs. 255. *Quale dec. rerum.* Sch.

260. *pannic. bombyc.* Sericus; id est, etiam sericis vestibus gravatur.

261. *quo fremitu.* *Cum quo sonitu ea, quae illi ostenduntur, implet.*

monstratos. A campi doctore.

263. *poplitib. sedeat.* Super poplites suos sedit. quod dicitur sedere et surgere [1].

1 Legerim, *quod dicitur et sedère super genu.* Altera lectio ex librarior. nota tachygraphica orta est. SCH. — Haec vulnus non sanant. Sed nec ipse poetae locus ab aliis adhuc dum satis lucis accepisse videtur Verba: *quam denso fascina libro*, respicere superiora, *crurisque sinistri dimidium tegmen*, vix dubium mihi est, nec sperno quod in margine Cod. Hfn. est: *ligabant crura cortice, ut firmius stare possent.*

fascia libro. Volumen in specie libri, id est, longa fascea [1].

1 Scriv. et Henn. *fascia.* sed nihil frequentius hac τοῦ E et I permutatione. In Pandectis Florent. non solum *neglegentia* est, sed et *adquesiit, deieceret, ededit, impederi*, et similia multa.

264. *scaphium c. sum.* Et cum posuerit arma post meditationem, et ut ceperit vas [1] ut bibat, ride.

1 Scribe, *et acceperit*, vel prius *ut* expunge. SCH. — Qui *scaphium*, ut post Grangaeum plerique, de nescio quo capitis ornamento capiunt, sine teste loquuntur, et aquam adfundunt poetae. Certe magis satyricum, mulierculas fingere post athleticas exercitationes illico ad manus sumere alveolos propter formam suam in primis secundo generi hominum aptos, in cuius gratiam et nostro aevo Anglos vidimus a globuli forma ad scaphae effigiem eos finxisse. Res non tam interprete eget, quam sani capitis lectore. De diversa scaphii significatione adi Ferand. Adduens. in Otton. *Thes. T. II. p.* 544.

266. *quae ludia.* Quando hoc habitu visa sit uxor gladiatoris.

267. *Asyli.* * Asylus, nomen gladiatoris [1].*

1 Mira est hic gl. Cod. Hfn. *Asylum* inquit, confundens asilum, muscae speciem, et asylum; *asylum est domus refugum, sed hic ponit asilum pro qualibet domo pauperum.*

268. *Semper hab.* * In eodem lectulo, in quo cum uxore dormitur, assiduae sunt lites. *

270. *tunc orba.* * Peior et ferocior est tigride ea, quae filios cum perdiderit, plus insanit. *

271. *occulti consc. f.* * Quando sibi est criminis conscia, tunc blanditur aut fingit fletus, dicens, se a marito odiri (*sic*) et aliam eum amare, tunc et filios persequitur. *

274. *in statione sua.* Metaphora a militibus in statione, quoniam milites semper ad ambulandum parati sunt, quacunque illis hora iubeatur.

275. *Quo iubeat man.* * Id est, ita habent paratas lacrimas mulieres, ut, quemadmodum iubent, sic currant, rare ac multum. *

276. *Tu tibi t. uruca.* Vruca mimologi stupidi nomen finxit, quia ferme, quasi frequenter fallit, cum magis [1] et personam mariti, vel, ut alii dicunt, genus est animalis foedi, spinosi, ut ericius. Vruca autem est proprie illud, quod in faba nascitur, ut gurgulio.

1 Legendum forte, *cum agit*, pro *cum magis*. Pith. — Legendum est, *qui a femina sua sic frequenter fallitur cum asciscit personam mariti.* Vide Stewech. ad *Apul. Apol. p.* 491. et Salmas. in *Exerc. Plin. p.* 893 et ad *Pall. Tertull. p.* 187. Postea

ericius retinendum est; Papias: *Icinus*, ita echinum scribit, *marinum animal, a terrestri Icino nomen traxit, quem vulgus ericium* vocat. Sch. — Henn. recepta Pithoei emend. etiam *fallitur* dedit. Pro *uruca* Salmas. *urica* vult, ut ab urendo nomen habeat, unde et Ianuensem derivare video. Mihi, si sententiam interponere licet, *curruca*, seu *curuca*, quod Hfn. Ms. habet, c. scholio: *avis qui nutrit alienos pullos*, praeplacet, nec moveor Alciati aut Forcellini auctoritate, qui reiiciunt quasi nomen antiquis incognitum. mihi sufficit Papiae et Ianuens. relatio, e diversis fontibus, ut videre licet, hausta, quorum tempore facile extare potuerunt antiqui scriptores. postea demum intercepti. Accedit fides veteris Onomastici, ap. Labbaeum, in quo: ὑπολαΐς, *curruca*.

280. *Quintiliane.* Quintilianus orator egregius *illo tempore. Ergo quasi ad illum loquitur: * Dic orator colorem, ad defensionem huius caussae.

281. *Haerem. dic ipsa.* Tanquam orator responderit, mulier deinde suum crimen defendit [1].

1 Abest *deinde* a Sg. recte. verba *mulier* cet. pertinent ad illa Poetae *Convenerat inquit*.

282. *Vt faceres.* *Ita inter nos placati [1], ut quisque pro voluntate sua, quid velit faciat.*

1 i. e. pacti. Sic Lex Baiuvariorum Tit. XI. cap. 7. §. 2. *debet ei in mallo placare ad restituendum;* Frequentior tamen eodem medio aevo vox *placitare*, unde et *placita*. Ita in Lege Alamannor. Tit. LV. *quicquid parentes eius legitime placitaverint*, quam lectionem (Heroldus enim placuerit substituit,) firmat Codex antiquissimus saeculi, ut reor, decimi, quem servat bibliotheca regia Hafniensis, in quo est, *plagitaverint*, e molliori pronunciatione.

284. *homo sum.* Nata sum, ut peccem.

285. *iram atq. animos.* Quanto ingentius crimen est, quod admittitur, tanto deprehensae maiorem induunt ad defendendum audaciam.

287. *humil. fortuna.* *Paupertas antiqua castas cogebat esse mulieres. nunc divitiae et luxuriae impudicas faciunt.*

289. *Tecta labor.* Nam labor custos est castitatis.

291. *Collina turre.* Collino monte, ut porta [1].

1 Lege, *aut portā*, vel certe, *ubi porta.* Sch.

293. *Victumq. ut orb.* Orbem quem nos subegimus, lascivitas [1], quae nos invasit, defendit.

1 *Lascivitas* eodem modo dicitur, ut *maximitas* ap. Arnob. *amaritas* in Gl. *paganitas* in l. ult. C. Th. de spectac. *Christianitas* ap. Salvian. et id generis plura, quae vulgo ignorantur. Sch.

295. *Paupertas Rom.* *Omnia crimina habundaverunt crescente avaritia et paupertate abiecta.*

296. *Et Sybaris colles.* Sibarim, civitatem in Italia, Philoctetae comites condiderunt, quae urbs postea in tantum prolapsa est in omne probrum, continua felicitate, ut nomen ad significationem impudicitiae significare videatur [1]. Similiter et Rhodos et Miletos *luxuria defluunt* in Graecia civitates *et in Italia vituperantur.* Petulans autem dicit, quia adversum Romanos

bellum saepe moverunt, et se Pyrrho sociarunt. coronatum, in conviviis. madidum, fluxum.

1 Lege, *sufficere videatur.* quod sequitur pertinet ad vs. 301. Sch. — Sg *perlapsa,* non infrequenti siglae perturbatione. idem Cod. mox, *in omni opprobrio.*

298. *Obscena pecun.* Quia ore obsceno sunt. Horatius (*Epod. VIII.*) de huiusmodi * feminis: *

.... superbo provoces ab inguine;
Ore adlaborandum est tibi.

299. *fregerunt saec.* * Turpis luxuria saecula dissipat. *

300. *ebria curat.* * Id est, ebrietas nihil honestum considerat. *

301. *discrimina.* * Distantia capitis et virilium, ne sit ebrietas. *

303. *Cum perfusa.* * Cum extra mensuram ad ebrietatem bibitur. *

304. *Cum bib. concha.* Non calicibus.

305. *et geminis.* * Sic enim ebriis hominibus omnia videntur. *

306. *qua sorb. aera sanna.* Revocato naribus spiritu, insultet ebria ac per hoc ronchos ducat.

308. *Maura pudicit.* * Quomodo Maura facit adulterium. Maura; nomen mulieris, deridentis pudicitiam. *

309. *heic pon. lectic.* Apud Pudicitiam [1] concumbunt et urinam faciunt.

1 Henn. *Pudicitiae aram.* Frustra.

310. *longis siphonib.* Iactationibus luteis [1].

1 Sequitur *luteum calcas;* unde et quidam versu 429. huius Satyrae, *luteo* legendum putarunt. Pith. — Schr. et Henn. hic et sq. glossa *lotii* et *lotium* in textum invehunt. Tangit h. l. Ianuensis, cuius verba adscribo, ex aliis procul dubio scholiis sumta: *Sifon a sibilo dicitur i. e. tuba, vel potius conca, sive vas in quo mingebant. in quo c. urina cadit facit sibilatum. et ideo ponitur pro sibilatu urinae vel pro bombo. Iuvenalis: Effigiemque deae longis sifonibus implent. vel potest hic teneri in proprio sensu. Nam huiusmodi vasa suppendebant mulieres ad simulacrum Pudicitiae, facientes quaeque turpia in templo eius. Sifon etiam vas dicitur, quo utuntur in Oriente ad extinguendum ignem, et tunc componitur a sufflo et fundo, quia aquas sufflando fundat.* Quam strenue in *sifonibus* his h. l. nugentur Commentatores recentiores, nemo inficiabitur, nisi ab iis ante edoctus fuerit, aliam olim Romanar. muliercularum naturam fuisse, atque nostrarum nunc est, scil. ut tunc potuerint, primum comprimendo lotium, deinde in altum proiiciendo, in ipsam Deae imaginem eiaculare irriguam sui lympham. Quo gratior esse debet, non facile his credentibus, duplex Ianuensis explicatio, quarum neutram adhuc tentatam alibi legi, alteram etiam invenio in Cod. Hfn. saepe laudato, in quo gl. interlinearis *sifones* explicat, *vas minctorium.* Profecto cum vix sine vitio idem bis dixisse possit Poeta, nimirum et micturiisse ad aram Pudicitiae et in ipsam eius faciem eiaculasse, nescio quo artificio, ingenuos sui fontes, fateor, parum abesse, quin in castra Glossographi transeam, credamque eo insaniae processisse fingi femellas, ut tanquam donaria ad effigiem Deae suspenderint vascula illa necessitati muliebri servientia, quae figura sua *oblonga* fuisse supra vidimus. Transirem, inquam, modo aliunde probare possem, huiusmodi vasa Sifones dicta fuisse. Quod, ut nescio, ita facile subsisto, dum meliora in hoc lutum adferantur, ab aliquo, cui de meliore luto finxit praecordia Titan. Id dum exspecto, di-

cam interim, quo modo h. l. ipse olim acceperim. *Effigiem Deae*, sive ipsam, sive ex metonymia partis pro toto, ipsum fanum Pudicitiae, quod verba, *tu calcas coniugis urinam*, suadent, *implent*, i. e. oppleut et conspurcant *sifonibus* i. e. rivulis meatibusque quasi fistulis ac canalibus, iisque sive longis, sive, quod praefero, impuris foedisque. Genuinam enim scripturam *luteis*, non *longis* fuisse, fidem facit Schol. noster, dudumque animadversum fuisset ab Interpretibus, si Pithoeana editione frui maluissent, quam glandibus Schrevelianae aut Hennianae, quae inepte suum *lotii* pro *luteis* ingessit priscamque lectionem obumbravit. Caeterum quae de Sifonibus, tanquam machinis hydraulicis, incendio restinguendo destinatis, habet Ianuens. ex Isidoro hausit *Origg*. *XX*, 6 et docte illustravit Becmannus, Beiträge zur Gesch. der Erfindungen *T*. *IV*. *p*. 438. Tales, credo, intellexit Zinzerling. in *Promuls*. *crit*. *c*. 39. cum ap. Tacit. *Ann*. *XV*, 43. pro *custodes* substitueret *sifones*. Sed *custodes* ibi sunt, qui *milites siponarii* i. e. Sifonarii, vocari videntur in lapide veteri ap. Hesselium in *Indicib*. *Gudianar*. *Inscriptt*. *p*. *XCII*. Zeno ὑδροφύλακας vocat *L*. *pen*. *C*. *de aquaed*. Non nego tamen Cornelii locum laborare a prava lectione, mallemque sic scribere: *destinavit*, — *custodes*, *et ut subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet*, *ne communione parietum*, *sed propriis quaeque muris ambirentur*. Duo namque Nero constituit, et custodes aquae publicae, ne quid iis subduceretur, et, quo facilius a periculo arcerentur parietes, ut propriis muris ambirentur. Sed haec ἐν παρόδῳ, et ut ab obscenis ad honesta redirem.

311. *luna teste*. *Nocte; per lunam.*

312. *tu calcas*. *Inde ad suas domus revertuntur.* Tu, cum mane processeris, luteum [1] calcas uxoris tuae.

[1] Scribe, *lutum*, aut *lotium* cum Henn.

313. *magnos vis. amic.* *Eos qui ad templum veniunt.*

314. *Nota Bonae secreta.* Templum, ubi [1] intravit Clodius pro psaltria, et cum uxore Pontificis concubuit, ibi nam saltat matrona cum tibia.

1 Lege, *Templum bonae deae intr. Clodius* et vid. ad vs. 335. Sch. — Non magis hoc opus, quam Henninii *inde*, pro *ubi*.

316. *Priapi.* Id est, non Liberi patris Bacchae, sed Priapi [1].

1 Recte haec explicat Vet. Int. non *Bacchi*, sed *Priapi* Maenades. Sic vocat mulieres libidine et vino furentes ad instar Baccharum in sacris Bonae Deae, ubi nullus Priapi sacerdotib. locus. Graev.

320. *Saufeia.* Sacerdotis nomen.

321. *praemia coxae.* Ad certamen facit crisare. alias *pernae*, ut pro praemio perna esset [1].

1 Verba illa, *al pernae*, caet. insulsissima sunt et protinus eliminanda, quae facile possemus refutare, si veram lectionem in animo esset enarrare. Ταῦτα δὲ τῶν μιαρῶν ἡμῖν σύντομα κείσθω. Adeat qui velit Mercer. ad *Non. p.* 114. Dousam P. ad *Petron.* Th. Canterum ad *Arnob.* alios. Sch. — In Sg. ea verba non leguntur, quibus non diversa lectio traditur, sed inepta *pendentis coxae* interpretatio.

322. *Ipsa Medullinae.* Duae Medullinae [1] eodem fuerunt tempore; ex quibus una Val. Claudio nupta fuit, altera Neroni. prior nota omnibus probris, posterior famae honestioris.

1 Male. Messalinae fuerunt illae, non Medullinae, et quidem Valeria Messalina et Statilia Mes-

salina. Hinc pro *Valer.* leg. *Valeria.* sed ipsum Messalinae nomen respuit versus et aliena est ab h. l. nota. Rupert.

fluctum. Id est, habet potiorem in obscenis motibus [1] motum, sive sinum.

1 Ap. Henn. est *floribus,* industria, an casu, nescio. Reiecit recte Wakefield ad *Lucret. IV,* 1264.

crisantis. Crisare mulierum, ceverè virorum est. hinc cevetes [1], molles et obsceni appellantur.

1 Leg. *ceventes.* Adscribo locum Iannensis e Ms. nam in edd. valde corruptus est: *Ceveo, es, ceui, verbum neutrum et caret supino, i. e. culum movere, vel clunem agitare, sicut faciunt in concumbendo. Et proprie cevere est, quod faciunt homines superius, sicut crissari, quod faciunt mulieres inferius. Vnde uersus; Est cevere virûm, sed crissari mulierum. Vel cevere est virorum inter se, crissari mulierum inter se. Iuvenalis: Ego te ceventem Sexte verebor, secundum Vgutionem.* Similia habet in v. *Crissari.*

323. *Palmam inter.* * Virtutis obscenae palmae aequat in nobilitate dominas sive ancillas natales doctrina cedentes [1]. *

1 Sensum per nebulam video, verba non intelligo, quae corrupta videntur.

326. *et Nestoriis.* * Tanta lascivitas efficitur et dissolutio, ut etiam senes moveri possent. *

327. *Tunc prurigo.* * Libidine impatiens. nil ibi per ludum, nil ibi per iocos fiunt, sed vere. *

328. *clamor ab antro.* * Clamaverunt simul omnes. *

329. *iam dorm. adult.* *Exspectans si adulter dormitat, quemadmodum cum quis ad stuprum vocatur.*

331. *Si nihil est.* *Si non invenitur adulter, cum servis concumbunt.*

332. *conductus aquar.* *Id est, si non fuerit servus, aquarius vocatur.*

334. *summittit asello.* *Si homines defuerint, animalibus se opponunt.*

335. *et publ. saltem.* Quia habebant et privati sua sacra antea [1].

1 Mea sententia legerim, *sua sacra Bonae Deae.* Quid enim sit, *habebant privati sua sacra antea?* Quasi post Iuven. tempora *Larum sacra* privati non habuerint scilicet. Omnino aut ita legendum, ut diximus, aut delendum plane *τὸ antea.* Sch. — Nihil innovo. est scholion Christiani hominis, et frequens haec immixtio alieni partus in Commentarium Veteris Interpretis.

337. *quae psaltria.* De psaltria, id est, de Clodio dicit, qui templum Bonae Deae ingressus habitu psaltriae, adulterium admisit.

338. *duo Caes. Anticat.* Caesar bello civili, cognita Catonis morte, cuius virtutem dialogo illo, qui inscribitur Cato, Cicero etiam laudavit, libros duos famosissimos in vitam Catonis edidit, quos Anticatones inscripsit.

339. *testic. sibi consc.* Ad templum, ubi non est fas intrare nec murem masculum.

541. *alterius sexus.* Masculini. *Id est, nec picturam masculini sexus ibi licet ipse [1].*

1 Leg. *esse.*

542. *Et quis tunc.* *Illo tempore nemo contendebat [1]. Diis vas sacrificio aptum.*

1 Leg. *contemnebat.*

343. *Simpuvium.* Vas sacrificiis aptum, in quo Pontifices lavare solebant [1]. simpuvium [2] autem, quia omnes sacerdotes simul bibebant, inde simpuviatrix illa dicitur, quae porrigit poculum ipsud [3].

1 Ridiculum de lotione. corrigo *livare*, sive *libare*, et paullo ante, *aptum quo*, praepositiuncula detracta. Rubén. *Elect. II*, 8. 2 Apud Vallam *simpinium* et mox simpiniatrix ex Probo eius exhibetur. Eandem lectionem habuisse videtur Papias, ap. quem legitur: *Sympinium, genus poculi, quod et gabata dicitur.* Cf. praeter illos, quos alii hic laudant, Merulam *de Sacrific. Rom. cap. VII.* 3 In vltima Ed. (Henninii) *ipsud* male in *ipsum* mutatum, cum *ipsud* illud bene multis Veterum et Afris vindicetur a Dufresnio. Adde Meurs. ad *Plaut. p.* 160 et ad *Arnob. p.* 136. Sch.

345. *ad quas n. Clod. ar.* Pro Clodius [1]. licet nam per communionem, ut *Clodius* et *Claudius*, ut *cotes* et *cautes*, ut *auriga* et *origa*.

1 Probus legit, *ad quas nunc lodius aras*, ut habitu ludionis ad aras accedi dicat. ut sit *lodius* ludius, veterum more, qui V literam pro O saepe posuerunt. *Ludio* autem, *ludionis*, apud alium non memini me legisse. Valla. — Valla ex suo Probo

Lodius, pro *ludius*. Pith. — Legendum in textu Iuven. *Claudius*, ut id positum sit pro *Clodius*. et ita legisse Vet. Schol. apparet ex eius verbis. Ge. Valla, cum videret ea Interpretem annotare, et tamen ita in Iuvenale legi, putavit scribendum *Lodius* pro *Ludius*. Aliud tamen eruditissimum Scholiasten voluisse ostendunt exempla quae adducit, non enim O et V. inter se commutari dicit, sed O. et AV. Rutgers. *II*, 17. — Imo *Clodius* habuit interpres, idque idem esse ac *Claudius* propterea dicit, quia eius tempore haec scriptura prae illa invaluerat.

347. *pone seram.* Ianuae, id est, include uxorem.

348. *Custodes.* *Hoc est, ut sibi conscios custodes faciant, ne ab ipsis deferantur, hoc agunt, ut et ipsos turpitudine libidinis suae adstringant et conscios faciant.*

et ab illis.

Qui nunc lascivae furta puellae,
Hac mercede silent: crimen commune tacetur [1].

1 Hi versus unde sint, nemo dixit. Antiqui vatis esse, nemo facile negaverit.

350. *pedibus quae cont.* Quae pedibus suis ambulat.

351. *Quam quae long. v. c. Syror.* Δίφρον significat. Syrorum, servorum. Verbo usus est comico. nam antiquitus servis nomina ex gentibus suis ponebantur, ut apud Terentium frequenter legimus. Vehitur, id est in lectica, ut Cicero: *Nam, ut mos est, lectica ad forum ferebant* [1].

1 Verba Ciceronis non exstant eo ordine. Forte re-

spicit ad locum, quem *I*, 121 citavit. Sch. — In Sg. *lecticam*.

360. *Prospic. aliq. viri.* *Nam viri considerant. sed* et suam paupertatem dispositione utili gubernant.

frigusq. famemque. Vitam [1] et vestem.

1 Henn. *victum*.

362. *foemina censum.* *Nam mulieres patrimonium minuere non considerant, sed ita secum habent, tanquam si renascatur pecunia in eodem loco unde tollunt, aut cumulum plenum semper inveniant.*

365. *Nonnunquam repetunt.* Hic versus in quibusdam non est [1].

1 Sg. hoc scholio caret.

366. *Sunt quas eunuchi.* Inutiles ad concubitum,

.... et si quando ad proelia ventum est,
Ut quondam stipulis magnus nam viribus ignis [1]
Incassum furit.

Horatius:

... non [2] *proelia virginum*
Sectis in iuvenes unguibus acrium.

1 Legerim, *Vt quidam in stipulas magnus sine virib. ignis.* Res clara est, et explicationem si adderem bono meo otio abuterer. Sch. — Versus sunt ignoti poetae, in quib. vitium facilius, quam medicinam agnoscas. 2 Habent Edd. *nos* ap. Horat. *Od. I*, 6, 17. Almelov. — Quod Horatii locum addit, et per *sectos virginum ungues* intelligit *enervatos*,

in eo quidem inprimis hominem fugit ratio; cum ungues nuncupentur involandae faciei et faciendis vulneribus acuminati. Sch.

368. *Et quod abort.* Poculo faciente abortum.

non est opus. * Id est, poculum, faciens abortum, non est necessarium, quando eunuchis concumbitur. *

370. *iam pectine nigro.* Tunc faciunt eunuchos, quando iam pubuerint [1], * et penem maiorem ferant, ut licet levis sit, tamen idoneus ad concubitum. *

1 E Sg. *pubuerint* scripsi pro *pubuerunt* Pithoci, vel propter ea quae ex illo supplementi loco accesserunt.

373. *tonsoris damno.* * Ad illos retulit * qui [1] non habent barbam * et in concubitu viri sunt. *

Heliodorus. Medicus * illius temporis. *

1 Sg. *qui* pro *quia.* Mallem praeterea *at in conc.*

378. *Bromium comm. noli.* Puerum ephoebum et comatum non committes enucho.

379. *nullius fibula durat.* Fibulam dicit circellos [1], quos Tragoedi sive Comoedi in penem habent, ut coitum non faciant, ne vocem perdant.

1 Vide quae pro hac Schol. sententia attulit Rhod. *de ascia Celsi c.* 6. *p.* 76. Henn.

380. *Organa.* Organa dicit citharas eorum, quos amant.

381. *In manib.* * Fulgent gemmae, quibus ornant citharas suas citharoedi, id est, sardi et onyches, nomina gemmarum. *

382. *crispo.* Eburno [1], qui crispet et agitet cordas: aut, scutulato et pulchro.

1 Lege, *eburneo*, ut habuit Cod. Barthii quem adfert ad Nemes. *Cyneg. vs.* 91. Idem habebat *concrispet*, et post *cordas*, adiectum, *seu fidibus*, alieno sane loco. Quod sequitur, *aut scutul. et pulcro* secundam glossam esse alterius Int. apparet, quae cum prima ap. Henninium per incuriam omissa est. Quaeri aptem potest, quid in contextu habuerit Poetae scholiasta? parum enim illud *agitet* respondet uerbo *numerantur*, potestque esse ut aut *pulsantur* legerit, aut *vibrantur*, in quibus coniecturis sibi placuit Markland. ad Stat. *p.* 181.

383. *Quo tener Hedymeles.* Hic citharoedus fuit: tener autem ad aetatem retulit.

385. *Quaedam de num.* *Id est, nobilis. in aliis [1] enim Lamias nobiles dixit.*

1 Nempe Sat. IV, 154.

386. *Ac nomin. App.* Appios significat [1].

1 Igitur Vet. Int. legit *Appi*, non ut membrana legit et editur, *alti*. Sed altera lectio, quum *Lamiarum* praecesserit, multo est venustior. Sch. — Sg. *Appia*. etiam Pith. in Poetae textu dedit *Appi*, quod ferri posset, si legeretur *aut nominis Appi*, non *ac nom.* cum non sit veri simile binas eandem rem rogasse.

387. *An Capitolin.* Olympiam coronam. id est, sacrificabat nobilis matrona, utrum citharoedus Pollio, eius amatus, in agone Capitolino coronam accipere posset. Quercum dicit, quia inde solebant coronari.

389. *Aegrotante viro.* *Quid amplius erat

factura, si de salute viri sui consuleret aegrotantis, sive de filii. *

391. *Dictataq. uerba.* A sacerdote, sive aruspice.

392. *pertulit.* Ad deos scilicet, secundum consuetudinem.

palluit. De eo sollicita, vel de responso, exta intuendo, an ille coronam posset consequi.

393. *Dic mihi.* Apostrophe [1] ad Deos.

1 Sg. Graece,, ΑΠΟΣΤΡΟΦΗ. Sic enim omnia Graeca vocabula per maiusculas scribit, unde apparet ex antiquissimo Cod. descriptum fuisse.

394. *Resp. his.* His de scilicet rebus responsa datis.

395. *magna ot. coeli.* ° Otiosi estis in coelo et nihil agitis, si talibus rebus respondetis. *

397. *Varic. fiet harusp.* Multum stando dum Deos aut exta consulit, * varicosus efficitur. * aut certe tantae impudentiae sumit inspiciendis extis, ut varicosi aruspicis doctior videatur [1]. Potest et nomen esse aruspicis cuiuspiam [2].

1 Pro *consulit,* Henn. male *contulit.* rectius deinde *tantum impudentiae.* sed, quoniam impudentia hic parum congruit, mallem, *tantum patientiae.* idem denique *varicoso aruspice,* cum lenius sit, si *doctor* legas. 2 Verba haec, *Potest et* caet. monachum olent, h. e. inepta sunt et nugivendula atque quantocius e censu bonor. scholior. expungenda. Legerat forte librarius de Fabio Max. Verrucoso dicto, aliquid in aliquo Plutarchi interprete et huc applicare voluerat. Sed *Verrucosus* et *varicosus* tantum differunt, quantum Hypanis Veneto dissidet Occa-

no. Sch. — A Sg. quoque abest hoc secundum schol. Valla tamen refert Probum habere, *potest nomen esse abiecti cuiuspiam.*

498. *Sed cant. pot.* * Sed potius est illam cantando delinquere, quam nimium sapere et vagari per civitatem. *

399. *Audax et coetus.* * Imitari eas res viriles et colloquiis interesse. *

400. *Cumque palud.* Euntibus ad militiam, chlamidatis scilicet. Sallustius [1], *Togam paludamento mutavit.*

1 Vetus exemplar, *Sallos eius.* Pith. — Neque aliter Sg. quod presse plerumque inhaeret vitiis Budensis Cod. Locus Sallustii inter Fragm. Libri VI. Histor. nunc ponitur, nullo auctore. nam et Isidor. *Orig. XIX,* 24. Sallustium simpliciter laudat, et *Servius* ad *Georg. I,* 8. ne scriptorem quidem nominat.

401 *recta facie.* * Non erubescet. *

siccisque mamil. Adhuc extantibus, vel sine sudore.

402. *Haec ead. nov.* * Talis mulier, quae se virorum conversationibus inserit. *

403. *quid Seres, quid Thr.* Galliarum gentes [1], aut Scythae.

1 Martial. *IX.* de eadem re:

Scit quid in Arsacia Pacorus deliberet aula.

Pith — *Seres* male exponuntur Galliar. gentes, nisi forte *Senones* alii Codd. legerint, ut sic iterum utraque lectio enarretur. *Seres* enim Scythiae Asiaticae populi sunt, *Thraces* Europeae. Sch.

404. *et pueri.* Quid noverca cum privigno suo agat.

quis deripiatur. Quis ad poenam raptus est.

405. *Dicet, quis.* * Nomina singulorum. *

407. *Parthoq. cometem.* Huius stellae ortus magnum regibus portendit exitium: unde et Lucanus,

.... *et magnum terris adstare cometem* [1].

Latine autem haec stella cincinnata dicitur.

1 Extat *Lib. I. vs.* 529. sed in Edd. nunc ita legitur: *et terris mutantem regna cometen.* quod autem ait *cincinnatam* cometen Latine dici, egregie firmat lectionem quam Victorius primus intulit Cicer. de *Nat. Deor. II,* 5. *cometas nostri cincinnatas vocant,* ubi olim *crinitas,* et nescio an alio auctore hoc nomen vindicari possit.

409. *Excipit adp.* * Si nova non audierit, quae loquatur, ipsa confingit. *

Niphatem. * Nomen fluvii. *

411. *Diluvio.* Inundasse Armeniae fluvium.

subsidere terras. Terrae motum fieri.

412. *Quocunq. intr.* * Per omnes plateas quibuscunque occurrerit narrat. *

414. *Vicinos humil.* Pauperes vicinos rogata, loris caedit, caeterum [1] irata fustibus, si canes latraverint in vicinia et experrecta fuerit.

1 Lege, *caesura irata.* Sch. — Nisi fuerit, *caedendo,* vel potius *clamando,* ut respondeat verbis Poetae, *latratibus altis.*

417. *Adferte atque.* ° Id est, si ex latratu ca-

num experta (l. *experrecta*) fuerit, irata iubet et canem et dominum rapi. ita fustes adferri quib. crudelitatem suam (*in*) utrumque exercet. *

418. *gravis occursu.* *In occursu et* visione terribilis [1], ut Virgil.

Nec visu facilis.

1 Leg. est in Iuven. *teterr. visu*, ut membrana liquido praefert, et ad haec uerba apponenda illa Glossatoris, *visione terrib.* SCH. — Locus Virg. est *Aen. III*, 621.

419. *castra moveri.* Instrumenta balnearia [1].

1 Imo *castra* comitatum respiciunt et servitium universum dominae, quo Interpretes vel ducere manu debebat *magnus*, qui mox sequitur, *tumultus*.

421. *Cum lass. gravi.* Alteras [1] dicit, quib. utuntur athletae cum exercent: quasi plumbeis ponderibus exerceatur.

1 Mendi nota (quam ante expresserat hic Pith.) tollenda et scribendum Halteras. PITH. — Sg. *Arteras* et mox *exercentur*.

423. *exclam. coegit.* Non cogit exclamare quod fecerit [1], illa non exclamat, sed patienter tolerat.

1 Senec. *Epist. LVII*. PITH. — Quid est tandem, *non cogit exclamare?* Reponendum verbum τῷ *femur* respondens, quod ne audiatur in oratione Latina *nobiscum* dici pro, *cum nobis*, monuit olim Cicero; neque dein *fecerit* in *ferierit* mutandum est, *quod fecerit*, ὅτι ὤχευσε. SCH. — Hoc est, *cunnum* pro *non* mavult Schurz. nec intercedo, potuit et scripsisse, *femur nam cogit exclamare*, post quam vocem colon ponendum est.

425. *Oenophorum.* *Exspectantes dicit, cum

venerit e balneis, oenophorum prendit, quod urnam capit, et sic bibit. *

427. *Admotum p.* * Ad pedes accipit, id est, ante pedes. *

428. *Ducitur.* Bibit, ut digerat.

429. *et loto terram.* Cum ceperit ebria reiicere.

430. *Marmorib.* In triclinio marmoreo.

aurata fal. * Id est, flumina vini currunt, illa vomente. *

432. *Deciderit serpens.* Ita post vomitum bibit, tanquam serpens, quando in dolium vini ceciderit, bibendo vomit, et vomendo denuo bibit.

434. *Illa tamen grav.* Statiliam Messalinam insectatur, quae post quatuor matrimonia, diverso exitu soluta, postremo Neroni nupsit: post quem interemptum, et opibus et forma et ingenio plurimum viguit: consectata est usum eloquentiae usque ad studium declamandi [1]. Illo tempore duae Messalinae fuerunt, haec, et Valeria, de qua Claudius Britannicum filium sustulit.

[1] Ex hoc uno Scholio pretium Vet. Int. colligi sine mora potest, nam ex caeteris scriptoribus, nisi fallor, id est Suetonio in *Ner.* c. 35. et Tacito *Ann. XV.* 68. de hac Statilia non compertum habemus, nisi quod primum Vestino iuncta fuerit, Neroni autem adulterio cognita, huic deinde nupserit.

435. *laudat Virg.* * Dicit misera, quae perit. *

436. *Committit vat.* * Disputat de altioribus. *

437. *in trutina.* * In iudicio. *

438. *Cedunt Gram.* * Et grammatici et oratores cesserunt. *

440. *Altera nec m.* * Tantum sola loquitur et clamat. *

443. *Vda lab. pot. s. lunae.* Sonitum, fieri adsolet [1], quando luna deficit.

1 Malim legere, *ciere adsolent*, potest tamen, pro scholior. hor. aevo lectio etiam vulgata retineri. SCH. — Imo leg. *sonitu* et *ut adsolet* ex Cod Sg.

444. *Imponit fin. sap.* * Etiam et honestis reb. imponit finem sapiens. adde, quod et turpibus. alii dicunt *, etiam philosophiam tractat.

445. *Nam quae d. n.* * Nam doctae mulieres eloquentes quoque indicari (l. *iudicari*) volunt. *

446 *Crure tenus.* Id est, accipere debet virilem habitum, et cingi ut vir.

447. *Caedere Sil.* * Quia * Silvano mulieres non licet sacrificare.

450. *Torqueat enthym.* * Syllogismum non sciat uxor tua. *

nec histor. sc. * Non multos auctores legat, sed quaedam ex libris legere tantum sciat. *

452. *Palaem. artem.* Grammatici, magistri Quintiliani oratoris.

453. *Servata semp. lege.* Analogia. * id est, sine vitio loqui. *

454. *tenet antiquaria.* Quae antiquitatem tenet, et ut antiquarius versus dicit [1].

1. Lege, ut extat in veteri libro, *cuius sint versus dicit.* Sch.

455. *Hec curanda.* *Quae viri negligunt.*

456. *opicae cast. amicae.* Imperitae, male pronuntiantis.

457. *Verba soloec.* *Id est, antequam vitiosae[1] maritus suus loqui non potest, nam statim eum reprehendit, quod magnae est verecundiae.*

1 Leg. *antiquum vitiose* et videtur in suo habuisse *nec curanda viri opica cast. amice,* satis quidem vitiose.

458. *Nil non permitt.* Id est, omnia. Nam duo negativi unum confirmativum faciunt [1].

1 Donatus in illud Andriae: *Neque tu aut dicas tibi non praedictum,* Duae, inquit, negativae, unam faciunt confessivam. Sic habet vet. Ex. Pith.

459. *Cum virides gemmas.* Monilia circum collum miserit. virides, prasinae [1].

1 Eae uno verbo *Viriolae*, quae, quanquam manuum ornamenta fuisse recte probavit Cuiac. *Obs. X,* 17. tamen collo quoque inserviisse vel ex h. l. apparet, quod et Pignorius inde observavit.

460. *magnos comm. elenchos.* Vniones, margaritas oblongas. magnarum gemmar. elenchos, quos et titulatos [1] appellant.

1 Lege, *tutulatos.* legimus, ORNATRICEM A TVTVL. Et quidem tutulus Pontificalis, cuius imaginem cernimus in denariis gentis Iuliae, non admodum dissimilis elencho est. Pignor. *de Serv. p.* 411. — Legerim, *quos et tutulatos.* Formam tutulorum fastigiatae, quam Plinius vocat, elen-

chorum longitudini optime respondentem, pridem observarunt viri docti. Sch.

461. *Intolerabilius.* *Nil tam molestum est, quam uxor ditior, quam maritus.*

462. *Pane. tum. facies.* Medicamen ad tendendam faciem [1], aut cutem magis.

et ping. Poppeana. Poppea [2] uxor Neronis adeo diligens in excolenda forma fuit, ut eam quinquaginta asinae sequerentur missam in exilium [3], quarum lacte candorem corporis provocabat. earum natura fucata [4] est. Decessit calce a Nerone percussa. Medicaminis ipsius autem nomen Iuvenalis Poppeana dixit, quasi ab illa inventum sit [5].

1 Vt infra ad vs. 468. *ut cutem tendat et candorem eliciat.* Glossae; *Tentipellium,* φάρμακον πρὸς ῥυτίδας. Ita enim appellatum est, Plinius; *Cutem in facie erugari et lenerescere, et candorem custodiri lacte asinino putant.* Sch. — 2 Plin. *Lib. XI et XXVIII.* Pith. — 3 Nugatur Schol. aut certe misere corruptus est. scribe, *quingentas,* cum Dione et Plinio, et, *missam in solium,* quod est vas balneare. Reimar. ad *Dion. Cass. LXII.* 28. §. 146. — Veruntamen antiquum esse illud vitium, prodit alia inde orta glossa, quam habet Ms. Hfn. nimium quam ridicula. *Exules, inquit, quando mittebantur in exsilium, asellas secum ducebant, tum quia lacte asinino pascebantur, tum etiam quia valent ad depellendos vermes et serpentes.* 4 Lego, *ea nam liniatura fucata est.* Glossae, *liniatura,* χρίσις. Sch. — Hoc nimis doctum videtur. *natura,* est indoles. *fucatum* autem Papias, depictum tinctumque exponit. 5 Insulse Ianuensis: Popeanum, a popa, quod est pin-

guedo, dicitur quoddam unguentum vel medicamentum ad provocandum cutis candorem, et est crassum, caet.

464. *ad moechum.* * Adulteris suis semper volunt ornatae videri, ut placeant. *

465. *foliata.* Vnguenta foliis plena, vel aliis aromatibus.

466. *quicq. gr. h. mit.* Odorum.

466. *hic mittitis.* * Quicquid hic odorum mittitis, propter ipsos comparatur. *

467. *Tandem.* * Remotis medicaminibus ad suam formam redit. *

prima rep. * Quibus tegit faciem suam. *

468. *illo lacte.* Asinino lacte faciem linit, ut cutem tendat, et candorem eliciat.

469. *seducit* (sic). * Si in exilium mittatur, ducit. *

470. *Exul hyp.* * Et si ad exilium mittatur ad plagam septemtrionalem. *

472. *coctaeq. sil. offas.* Candidi panis.

473. *Accipit et.* * Id est, facies non debet illa dici, se (f. *sed*) vulnus, ad cuius (curationem?) impendia tanta ex pani et aliis rebus cataplasmata facit. *

474. *est pret. curae.* Operae pretium est nosse, quid agant tota die. *

476. *aversus iacuit.* Libidini ipsius satis non fecit.

perit libraria. Lanipendia [1].

1 Paul. in *l.* 31. *de donat. int. V et V.* Vet. Gloss. *lanipendius*, σταθμοῦχος, *ornatrix*, κομμήτρια. Pith. — De lanipendia vide Cuiac, *Obs. IX*, 30. et Dufresne in *Gloss.* Sch. — Adde *Dukeri* Opusc. *de Latin. ICtor. p.* 407.

477. *cosmetae.* Eos dicit, qui ornamentis praesunt, non tamen et ornatrices. ponunt tamen et tunicas, ut vapulent [1].

liburnus. Nuncius, aut certe lecticarius, aut gerulus lecticae, quae liburnata est [2].

1 Ita constitue: *Cosmetae, eos dicit, qui ornamentis praesunt, non ornatrices. Ponunt tunicas, ut vapulent.* Reprehendit ergo eos, qui *cosmetae* foemininum putabant esse, inter quos praeter Britannicum et eius sectatores, Papias est, ap. quem legitur, *Cosmetae dicuntur ornatrices crinium, a comando.* Quot verba, tot errores. Neque enim *cosmetae*, quos *cosmarios* vocat Io. Ianuensis, a *comis* dicuntur, sed παρὰ τὸ κοσμεῖν, quod *ornare* notat. Sch. Glossae: *Ornamentarius*, κοσμητικὸς, κοσμήτης. *Ornator*, κοσμήτης. *Ornatrix* κοσμήτρια, ἐμπλέκτρια, στρώτρια. Adde Salmas *de caesarie viror. et coma mulier. p.* 569 *sqq.* Sed de Ianuensi fallitur, qui *Cosmarium* interpretatur *dominum mundi*, sensu, ut videtur, theologico. 2 Videtur leg. *et gerulus lect. qui Liburnus natu est.* Sed nihil tamen definimus et provocamus ad ea, quae ad Sat. III. 242. diximus. Sch. — Sed et ibi rem in vado reliquit, extraxit autem Schefferus. A *liburno* fecit supra *liburnatas* et hic *liburnatam* lecticam, quae ferretur a liburnis. Libet hac occasione mendum tollere, quod Papiae lexicon insidet. Ibi: *Liburni, populi accolae hadriatici maris; prompti sunt ad moriendum.* Legendum, *ad currendum*, quod manifestum e Ianuensi h. v.

478. *alieni pendere somni.* Somni mariti poenas praestat familia.

480. *Hic scutica.* Lorus [1] latus, corium non confectum.

tortorib. annua. Salaria quaestionariis, sive carnificibus [2].

1 Nota *lórus* pro *lorum* Latino auctori dici. nam quidem Pindari Scholiastae, Glossis et Neograecis in genere, λῶρος vocatur scutica. Sch. — ἀρσενικῶς etiam Petron. et Apuleius. Consule Forcellin. h. v. 2 *Quaestionarii* vocantur carnifices, ut a Sallustio *quaesitores*. Papias: *Quaestionarius, quaesitor.* Graecis etiam recentiorib. κουεστιωνάριοι vocantur. Glossae, βασάνων ὑπηρέτης, *quaestionarius.* Adde Dufresn. Glossar. Sch. — Eius verbi antiquissima auctoritas est in *l. ult. C. Th. de episcop. iud.* Lydus nuper inventus, *de magistr. Rom. I*, 25. ὅθεν καὶ κυαιστίωνας τὰς τιμωρίας, καὶ κυαιστιοναρίους τοὺς τῶν ποινῶν ὑπηρέτας Ῥωμαῖοι ἔγνωσαν καλεῖν. scil. quaestionarii, eadem ratione, qua *scriniarii, cancellarii, cubicularii, secretarii, velarii* aliique, cadente latinitate, pro quo ante magis in usu erat eos appellare *a scriniis, a velis* caet.

482. *aut latum pictae.* Auro clavas [1] vestes miratur.

1 Malim, *clavatâs.* Pith. — *Auriclavias* lege, ut analogiae consulatur, quae *laticlavias, angusticlavias,* non *latoclavas* dicit. vel retine antiquam Pith. Cod. scripturam *auro-clavas* vestes, quam defendit Dufresn. Sch. — *Auriclavas* volebat Voss. de *Vit. Serm. III*, 4. Sed perinde est, et *auroclavus* sustinetur auctoritatib. ap. Cangium, quem etiam vide in v. *Chrysoclavus.* ac praeterea Salmas. ad *Poll. in Tyran. c.* 14. et ad *Vopisc.* in *Aurel. c.* 46. Henn. *auroclavias* indubitanter expressit. rectius Schrev. una voce *auroclavas.*

483. *transversa diurni.* Ratiocinium diurnum accipit in transversa charta scriptum [1].

1 *Transversa charta* hic procul dubio nihil aliud nisi plicatilis, cuius paginae omnes inscriptae, βιβλίον γεγραμμένον ἔσωθεν καὶ ὄπισθεν, ceu bene describit ὀπισθόγραφα et libros memoriales Apostolus Apocalypsi *V*, 1. Alio et plane contrario sensu est ap. Sueton. in *Iul.* c. 56. de quo est Schwarz *de Ornam. libr. vett. V*, 7.

484. *exi Intonet.* Quasi in causa disceptaverit.

486. *Praefect. dom. Sic.* Tyrannorum dicit Phalaridis, aut Dionysii. Phalaris Agrigentinus *saevissimus tyrannus, qui sic crudelitates exercebat:* missos in aeneum taurum homines subjecto igne torquebat. de quo Cicero dicit: *Inclusorum hominum gemitu mugiebat taurus*[1].

1 Apud Ciceronem pluries huius tyranni mentio, nusquam tamen haec verba reperio, ut e deperditis forte servata sint.

487. *non mitior a.* *Saevior scilicet ab aula Faleris.*

488. *ornari.* *Id est, pulchrius se disponit ornare.*

489. *Isiacae.* Apud templum Isidis. Lenae, conciliatrices: quia in hortis[1] templorum adulteria committuntur.

1 Mala interpretatio, neque enim ad templa hortos fuisse quisquam alius, quod scio, memoriae prodidit, quid? ne publicos quidem hortos in Vrbe fuisse me legere memini.

490. *disponit crinem.* Componit crines dominae, ipsa * ancilla dominae * lacerata per iram.

491. *Nuda h. Psecas.* Psecazin [1] Graece dicunt, quando minutum, sive rarum pluit. Ornatrices igitur componentes [2] rarum ac parvum [3] aquae solent mittere, ac velut ψεκάζειν. Ergo nominis etymologiam ab arte sumpsit [4].

1 Graece Ψεκάζειν Henn. utroque loco Sg. *pseucazin.*
2 Emenda, *comam pònentes.* Ovid. *l. Amor. XI.* *Colligere inceptos et in ordine ponere crines.* Sch. — Ianuensis *componere* simpliciter pro *ornare* usurpatum dicit et adfert versum memorialem: *Componit, sepelit, coniungit, fingit et ornat.* Ovid. etiam *componere comam* dixisse alii monuerunt.
3 Forte *paulum.* Arntzen. *de Colore Comar.* VII, 11 — Sed *parvum* pro *parum* dici defendit Oudendorp. ad Lucan. *II,* 138. Quin adeo Ianuensis, *parum,* ait, *parvum syncopatur, secundum quod debet poni adverbialiter et dicitur parum pro parvum. Vnde Priscian. c. deberet exemplificare, quod nomen ponitur loco adverbii, exemplificat de parvum, non quod velit parum esse nomen, sed quia parum obtinet locum illius nominis parvum, secundum quod debet poni adverbialiter.* caet. quem locum vel propterea adscribere non piguit, cogitantem fieri posse, ut allatum ab eo particulae parum etymon plus placeat non nemini, quam magni Vossii in *Etymol.* qui a *parus* deducit, hoc autem ab Aeolico πάνος, pro σπάνιος, quod ν saepe in ρ abeat, vel a παῦρον.
4 Fuisse etiam viros, interque hos Antimachum quendam poetam, qui Psecae nomen acceperint, quod sputis respergerent quibuscum loquerentur, docuit *Gyrald.* in *Hist. poetar. dial. III.* narratque ibi Colomesius in Notis eandem consuetudinem fuisse Malesherbio, Poetae Gallo. Quid? relatum lego in ora Fabriciani exemplaris, nescio cuius viri docti, manu, propter idem vitium Alciatum, saeculi sui lumen, a malevolis discipulis Psecadis nomen tulisse, nec desunt quibus etiamnum idem iure suo impetrare posses.

492. *Altior.* * Si altiorem unum cincinnum fecerit, punitur ut si crimen admiserit. *

495. *Si tibi displic.* * Si tu foeda es, et nasuta.*

altera laevum. Altera componit crinem, dum illa caeditur.

497. *Est in cons. mat.* Lanipendia matris facta ornatrix, quasi magistra.

498. *Emerita.* Quae non ornatrix est, sed iam quasi emerita cessat.

499. *Huius erit.* * Ipsa dat consilium, sive disponit ornaturam. *

501. *aut animae.* * Tantum in eum consilium, quasi non de ornatu agatur, sed de pudoris aut vitae discrimine. *

cura decoris. * Tanta est sollicitudo propter decorem. *

502. *Tot premit.* * Tantum capillorum in ante [1] componitur. *

1 Id est, in anteriore capitis parte.

503. *a fronte.* * Ante faciem maior videtur. *

504. *Post min.* * Quasi ante sint capilli satis. *

505. *Breviorque.* * Si brevissima statura habetur. *

506. *nullis adjuta.* * Nullis adita (leg. *adiuta*) rebus. *

507. *ad oscula.* Moechi scilicet.

508. *Damnorum.* Quae in domo fuerunt.

tanquam vic. Tamquam extranea, *sic est cum marito.*

510. *quod a. c. odit.* *In hoc proxima solo est marito, quod amicos ipsius odit*, quod vicina non facit.

511. *gravis est rationib.* In lumentis, et balneariam pecuniam erogando [1].

1 Quid lumenta proprie, diligentissime explicatum videbis ab amicissimo Almelovenio, si quando publico exhibebit, quae de balneis veterum, et quae eo pertinent observavit. Henn. — Legerim, *instrumentis, ut in balnearia pecun. erog.* addoque e vet. Cod. *vel in moechos.* Lumentum, Papiae vitrum est, nisi et Papias corruptus sit, quod valde vereor, aut saltem in corruptos libros inciderit. Sch. — *Lomentum* farinam esse ad erugandam cutem comparatam, nunc vel e Lexicis docemur, quibus addendus Cyrillus in Gl. ἐρεγμοῦ λέπος *lumentum*, et in alia, ἐρέγμενον ἄλευρον, *lomentum*, et rursus alibi, σμῆγμα, *lomentum.* Gesnerus et Forcellin. graecam vocem λώμα adpingunt, vereor ut recte, si audias Salmas. *praef. ad Exerc. de homonym. hyles iatric. p.* 24. Quod autem lomentum pro nitro habet Idem ad *Tertull. de Pall. p.* 463. credo inde est, quod ap. *Cic. Fam. VIII,* legerat verba: *persuasum est ei, censuram lomentum aut nitrum esse,* cumque ex eodem fonte hausisset Papias, is quoque per *nitrum* interpretatus est. Sic enim ibi corruptum verbum *vitrum* emendandum esse, recte intellexerunt Benedictini apud Canginm. Est apud Plinium inprimis lomenti multiplex mentio, quibus collectis demonstrare posse mihi videor, non solum tritae fabae farinam hoc nomine venisse, verum etiam decoctum ex ea, unde et inter pigmenti genera refert, *XXXIII,* 13. *init.* Almelovenii scriptum de balneis veterum, quod scio, lucem non vidit, ut alia multa, quae vir ille doctus in promissis habebat, quorumque frequens mentio est in

Epp. Gisb. Cuperi. Pro *balneariam* substituendum esse *balnearia*, nisi *rem* velis subintelligere, pronum est. Balnearia absolute posita sunt omnia ad usum balneorum necessaria, ipsae adeo balneae, ut ap. Cicer. ad *Att. XIII*, 29.

512. *Bellonae matr.* Sacerdotes, sive mystae.

513. *Semivir.* * Minori dedecori videtur Gallus, quam barbatus, propter virilia.*

reverenda minori. Quia minorem penem habet.

514. *genitalia.* * Virilia sua secuit.*

515. *Iampridem.* * Semiviro Gallorum effeminatorum.*

516. *et Phryg. vest. b. tiara.* Sacerdotis habitu. Tiara nam galea sacerdotis est, quae per malos, veniens, mento subligatur. Tiara est, Phrygium quod dicunt [1].

1 Lego, *est Phrygum quoddam diadema.* Pro *galea*, possis etiam legere *galearia*. Papias, *galearia, pileus sive tiara.* Sed opus tamen non est. Isidor. *Or. XIX*, 21. *Pileum Graeci et nostri tiaram vel galeam vocant.* Vide de tiara Brisson. *Persic. p.* 31. Adde Salmas. ad *Aug. Hist. p.* 405 et in *Exerc.* p. 556. Sch. — Poterat interdum parcior esse in emendando Schurzfl. nisi nimium festinasset. Certe hic fuisset, nisi limo oculo Salmasium legisset, qui recte monet, *Phrygium* adiectivum esse absolute positum et subintelligi *pileum* aut lorum. Poterat quoque idem doceri ex Dufresnio suo, quo caeteroqui tam frequenter utitur. Addo Ianuensem, ut mendum eluam: *Frigia dicitur quaedam vestis, quae alio nomine dicitur aucupicta*, ubi Ms. Kiliensis recte *acupicta* habet. Papias, *acupicta vestis, quae Phrygia dici-*

tur, acu ornata, sic enim ibi distinguendum est. Similia habet Ianuens. in *Acupicta,* quorum mentio iam ap. Servium est et Isidorum. In Henn. edit. autem, vitio operarum, ni fallor, primum scholium: *Tiara nam galea* caet. prorsus omissum est, in altero autem *Phrygum* pro *Phrygium* male excusum.

517. *Grande son.* *Aestus mensis Septembris.*

518. *lustrav. ovis.* *Si se lustraverit, matrona scilicet.*

519. *Et xerampel. vet.* Vestes scil. quae ad usum matronarum fuerunt, ampelini coloris, qui inter coccinum et muricem [1] medius est. Xeron vero siccum significat.

1 Quilibet viderit legendum esse, *et muriceum.* Sch. — Vere, aperteque ita apud Vallam est. Deinde Henn. graece ξηρὸν dedit.

522. *Superbi.* [Subaudiendum Tarquinii. dicit autem Tarquinium campum, hoc est insulam Tyberis [1].]

1 Supplementum hoc est e Vallae Probo, neglectum a Pithoeo.

525. *Totum reg. agr.* Brutus agrum Tarquinii Superbi [1] totum Marti consecravit, unde hodieque campus Martius appellatur.

1 Vetus ex. additum habuit *eoci,* quo quid significetur nescio. annotatum tamen hic volui. Pith. — Ego pro *eoci,* scribendum *eiecti* puto. Rutg. *l. c.* *I,* 16. — An legendum, *Tarquini Sup. cognatorum Marti consecrav.* Livius enim lib. II. eandem rem narrans, *ager,* inquit, *Tarquinior. qui intra urbem*

ac Tiberim fuit consecratus Marti, Martius deinde campus fuit. Sch. — In Sg. universum schol. desideratur. Erat cum legerem, *Deo totum Marti,* sed Rutgersii causa potior est.

526. *Ereptet* (sic). * Totum campum genuis flexis pertraxit. *

527 *iusserit Io.* Io Inachi fluvii filia, quam Iuppiter stupravit: et deprehensus a Iunone, in vaccam eam transfiguravit, celare volens factum. quod Iuno sciens, dono eam sibi petiit, et accepit. quam acceptam Argo custodiendam tradidit. Hic Argus centum oculos dicitur habuisse, quem Mercurius, iussus ab Iove, occidit. Hanc igitur Io in tantum persecuta est Iuno, ut per omnem mundum eam minaret [1]. Quae c. venisset errans in partib. Aegypti, in Nilum fluvium, lassata coepit orare prout potuit, requiem malorum. Iuppiter Iunonem dilexit, petit, indulsit pellici, et reuersa [2] in suam figuram, recepta est inter Deas. Et ipsa est Dea Isis. Inde etiam sacra de Aegypto.

1 Henn. *mitteret.* Sine causa. Optime Papias: *Minare,* ducere, *de loco ad locum promovere.* Saepe ita in antiquissimis LL. German. usurpatur, imo iam ab Apuleio. Vide Vossium de *Vitiis Serm.* IV, 13. et Cangium *h. v.* Italis etiamnum *menare* in usu est. 2 Scribe, *Iuppiter Iunonem complexus petit,* indulserit *pellici. Io reversa* caet. Sch. — Lenius foret, *Iunonem complectit, petit. indulsit* (Iuno) *pellici.* Papias: *Complecto pro complector, invenitur, quod commune antiquitus fuit.* Pithoeus ante *petit,* asteriscum posuit, quasi quid deesset.

528. *Ibit ad.* * Ibit, futuri temporis, id est, vadet si iussum ei fuerit. *

529. *A Meroe.* Civitas est Aegypti.

530. *Isidis ant.* In Martio campo templum Isidis vetustum.

Ovili. Quia ibi Romulus et pastores adsueverant pecora pascere. aut regiam dicit Romuli, ut [1] palatium.

1 Legendum, *aut palatium.* Sch.

531 *se voce.* Vt putet ipsam deam per Gallum loqui matrona, usque adeo superstitiosa est.

532. *Ergo hic prec.* * Ergo hic Gallus magnam mercedem meretur, qui talia impetrat. *

533. *Qui grege lanig..* Sic enim symmistae, quando Osirim quaerunt.

534. *derisor Anubis.* Vtrum quod ipse derideat, an quod aliis se praebeat deridendum. Dictus Anubis, quia caput caninum accepit per mysteria.

536. *observandisq. dieb.* * Quibus debeat observare * festis.

537. *vioalato poena cad.* Membrum mulieris intelligitur, cum sit membri velamen. vel, ut alii, est instita, qua lectus intenditur. Vnde ait Sulpicia:

Ne me cadurcis destitutam fasciis,
Nudam Calaeno concubantem proferat [1].

1 Locus ita constituendus, ut verba: *vel ut alii, est inst. qua lectus intend.* post Sulpiciae versus po-

nantur. BROUKH. ad *Tibull. IV*, 2, 1. — Contradicit H. Canneg. in *Miscell. Obs. Bat. VII. a.* 331. ubi et de vi vocis *cadurcus* et sensu fragmenti carminum Sulpiciae prolixe agit, de quib. rebus adeo frequens est virorum doctorum Senatus, tum Interpretum h. l. tum aliorum ab iis laudatorum, ut nullius iudicium meo interposito, turbare velim. Adde tamen ab aliis omissum Ferrar. *de re vest. P. II. L. I. p.* 47. Ipse Noster *Sat. VII*, 221. aliam cadurci potestatem tradit. Caeterum Vallae Codex hic in multis abit: post *membri* inserit *muliebris*, pro *intenditur* habet *incenditur*, in Sulpiciae omittit *me*, contra legem Pedariam, et *restitutis* offert, plane inverso sensu, pro *destitutam*, et *nudum* pro *nudam*, et *concubentem* pro *concubantem*, quae omissa a Sulpiciae commentatoribus, penitus negligere nolui. A. Sg. autem plane exulat hoc schol.

538. *argentea serpens.* Quae est in templo Isidis.

539. *Illius lac.* Isiaci antistitis.

540. *Ansere magno.* *Vt veniam tantae culpae concedat, ansere placatus.*

542. *Cum dedit ille loc.* Cum Gallus sacerdos ac lustrator abscesserit, Iudaea mulier advenit, quae in aurem susurrando, sub obtentu religionis, aliquid petit. Dixit nam superius Iudaeis hortos datos, quos colentes, praestabant pensiones: modo inquit, laborem horti declinantes, transferunt se ad Deos lucri causa, legem Moysi [1] exponentes.

cophino fenoq. *Ideo dixit foenoque supellectile*, quod his pulmentaria sua, et calidam aquam die Sabbati servare consuerunt [2].

1 Vet. Ex. *Moysei*. PITH. — Retineri potest haec

lectio, ut sit genitivus a Μωϋσῆς, quo Philo utitur. Praeterea legerim, *matronae inquit transferunt se ad Iudaeos, laborem horti declinantes lucrique caussa leg.* caet. Sch. — Haec nemo sibi obtrudi patietur. omnia sana si *ad eas* legas pro *ad Deos*, ad eas, nimirum mulierculas Romanas, de quibus sermo est. In Sg. quoque *Moysei* est, principium autem usque ad v, *susurrando* omissum. 2 Multa suo more nugatur Schol. et nescio quid de hortis garrit, quod a cophino foenoque nimis alienum est. Nec melioris notae est, quod adiicit, supellectilem hanc esse, ubi pulmentaria sua et aquam calidam die Sabbati servare consueverant. Est illud quidem verum, Iudaeos Sabbati religione prohibitos ne cibaria coquerent, ea pridie sub vesperam praeparasse, unde Parasceve dicta. Verum aquam ab illis calidam in sequentem diem in foeno potuisse servari, id vero ridiculum est. Petavius in *Epiphan. Opp. T. II. p.* 336.

545. *ac s. fid. in. c.* Quid Dii cogitent de hominibus vel disponant.

546. *Implet et illa.* * Accepit et ipsa numos, sed non tantos, quantos Gallus. *

547. *qualiacunque.* Mala sive bona, etiam res vanas, quas pro magno proferunt [1].

1 Sg. *proferre simulant.*

548. *spondet.* * Promittit nam eam amari ab adolescente, aut a sene divite sine filiis, qui eam constituat heredem. *

549. *testamentum.* * Promittit virgini sponsum iuvenem, aut hereditatem a divite relinqui. *

551. *Pectora pullor.* Inspiciens, ut Virg. (*Aen. IV*, 64.)

Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

552. *faciet q. d. ipse.* Hic Egnatium philosophum significat, qui filiam Bareae Sorani, quam, cum ipse ad magicam descendisset, hortatus [1] detulit Neroni. ob quam rem mori cum patre iussa est a Nerone. Egnatium autem hic [2] poeta, ob delationem hanc ipsam saepe lacerat, ut superius dixit, (III, 118.)

> *Stoicus occidit Baream, delator amicum,*
> *Discipulumque senex.*

1 Velim haec ita corrigi, *quam, cum ipsius ad mag. descendisset hortatu.* Lips. ad *Tac. Ann. XVI,* 30. — Legerim, *cum eius ipsa ad mag. desc. hortatu.* Sch. — Heun. dedit, *c. ipse ad mag. discendam esset hortatus.* Corruptissime autem apud Vallam legitur ad v. *Chaldaeis,* in hunc modum: *apud Chaldaeos, apud quos didicerit sicut fecit Egnatius philosophus, cuius filia Botte, quam hortatus erat ad magicam grandinem, tulit, ob quod iussa est mori;* in quib. nescio quid, in recessu habere videtur vox *grandinem.* 2 Scribendum *hunc,* aut in sequentibus, *et saepe.*

553. *Chaldaeis.* *Maior fides adhibetur. magis vota [1] mathematicis.*

quicquid. *Id est, quicquid horum aliquid dixerit, ita credunt, tanquam si a Iove Hammone oraculum sumpserit.*

1 An: *magis votae?* h. e. devotae.

554. *a fronte r. H.* Tanquam si a Iove ipso Ammone sit dictum. Apollo nam indignos homines putat, quibus futura respondeat. Nam magis

17

sic intelligitur [1], quod Alexander damnavit templum Apollinis in Delphis, ne sint homines futurorum praescii.

1. Legerim, *An magis intelligitur?* Sch. — Id contra morem Schol.

555. *caligo futuri.* *Ignorantia futurorum.*

557. *Praec. t. est hor.* Deest *fuerit*, Horum autem, id est, magorum, aruspicum, mathematicorum.

560. *sonuit si d. f.* Si iam in catenis fuit, aut in castrorum custodia [1].

1 Sg. rectius sic dividit et legit: *sonuit si. Illi creditur quia in catenis fuit. in carcere. si in castrorum custodia mansit.*

562. *Nemo mathem.* Quasi ob nimiam peritiam scilicet fuerit damnatus.

563. *in Cyclada mitti.* In insula Cycladum relegari. Sensus hic est, peritissimus astrologor. ille est, qui tale aliquid admisit: cum facinus non exilium semper mereatur.

565. *Consulit hicter.* *Requirit de morte histericae matris cum mathematicis.*

566. *Tanaquil tua.* Modo pro qualibet uxore posuit nomen. Haec autem Tanaquil fuit Tarquinii Prisci uxor, soceri Servilii [1] Tullii, quae dicitur mathematicam artem optime scisse.

1 Lego, ut omnes alii Scriptores, *Servii*, quod ad IV, 105. etiam monuimus. Almelov. — Verba, *modo a. pro qual. ux. pos. nomen* inverte, et post illa, *optime scisse*, pone. Sch.

567. *an sit victurus.* κατὰ κοινοῦ consulit, si superstes illi sit adulter suus.

568. *Post ipsam.* * De quibus enim rebus melius Dii respondent, aut petiti praestant, nisi de turpibus. *

569. *quid sid. tr.* Superstitiose[1]. Virg. (*Georg. I*, 336.)

Frigida Saturni se secum stella receptat[2].

Lucanus, (*I*, 661 *sq.*)

..... *Veneris salubre sidus* .....

1 Sg. *matronae superstitiosae.* 2 Meliores Edd. Virgilii ita legunt: *Frigida Saturni sese quo stella receptet.*

572. *Illius occ.* * Sensus hic est *: Quasi dicat, tolerabilior illa * mulier * est quae consulit alium, non ferenda vero ea, quae ipsa mathesin profitetur.

575. *cen ping. succ.* Membrana mathematicor. ut actus diurnos[1], quae adsidua tractatione colorem suum mutavit, et eplocea[2] facta est, colorem fecit, ut succinum.

1 Legendum ex Vallae Cod. *membranas mathem. vel actus diurn.* h. e. acta diurna. Ipse quidem Valla Probum suum hic non nominat, sed et saepe alibi celat, doctrinae eius fructu contentus, ut merito suspiceris, inter ea quae Vallae commenta esse putantur, plurima Vet. Int. latere. Henn. non aeque bene *ad actus* substituit. 2 Dufresn. in *Gloss.* h. v. *et Glaucea* coniicit. Barthius *et pene crocea* emendavit. Quid si legamus, *et efflоccida?* Sch. — Erat cum suspicarer *et epicrocea.* Henn. *et pellucens* de suo excudit.

575. *Consulitur.* * Id est, ipsa consulitur magis. *

576. *Non ibit par.* Vt praescia futuri periculi * non eat cum suo marito ad castra peanti [1] peregrinamve patriam. * Thrasillus multarum artium scientiam professus, postremo se dedit Platonicae sectae, ac deinde mathesi: qua praecipue viguit apud Tiberium, cum quo sub honore eiusdem artis familiariter vixit: quem postea Tiberius in insula Rhodo praecipitare voluit in pelagum, quasi conscium praemissae [2] dominationis. Quem dolum cum praesensisset, fugit.

1 Lege, *meanti* aut simile quid. 2 Malim, *promissae.* PITH.

577. *Ad primum lapidem.* Si gestari voluerit, horam ex signis eligit convenientem,

579. *Angulus inspecta.* * G'enae, et si oculum doleat horam et colorium exeferide promit [1]. *

1 Emendo, *Genesi. et si oculus doleat, horam et collyrium ex efemeride promit.*

581. *Aptior hora.* * Conveniens hora, ut gustet. *

581. *Petosyris.* Alter auctor artis mathematices.

582. *si mediocr. erit.* Si pauper erit mulier superstitiosa, in circo quaerit [1] quos consulat. ibi nam antea proponere solebant huius artis professores.

1 Lege, *quaeret.* SCH.

583. *spatium lustrab.* Quod circulatores hoc consueverint adhibere, ut delectis sibi locis duobus, eos lustrent, id est circueant, deinde per eos sortes, id est taxillos iactitent, quo exinde, quod suae geneseos signum se accommodaverit, inspiciatur, numquid vivet, et quando [1]. Et paucis ex verbis ibidem conscriptis sortes educant suas.

1 Lege, *quamdiu.* Rutg. *VI,* 18. — Vel, *quantum.*

584. *Popysma.* Oris pressi sonus, ut labior. in se collisor. strepitus, qua laetitia praedicere mala adsolet, vitare vota [1].

1 Lege, *aut labior.* — *quae laetitiam praed. adsolet, mala vitare vota.* Mala vota sunt male ominata verba. Vid. Gonsal. ad *Petron. p.* 398. Sch. — Emendo, *quo laeta praedici, mala adsolent vitari vota.* Arch. — Pithoeus ante *adsolet* asteriscum posuit. *quae* pro *qua* iam Henn. dedit. Rectum esse puto, *quo laetitiam praedicere, et mala ads. vitare vota.* Singularis rursus est hic Io. Ianuensis sed nulla auctoritate aut probabilitate fulta explicatio, quam, ut minus notam, adscribere hic placet. *Popisma*, ait, *a popa derivatur, et est idem quod popeanum, unde est extrema pars coitus, dum penis exit, vel semen quod emittitur in coitu, et hinc ponitur pro ipso coitu. Iuvenalis, praebebit vati crebrum popisma roganti.* Habuit procul dubio e vetere aliquo Interprete, quo et usus videtur Papias, ap. quem concisius sic est: *Popisma dicitur extrema pars coitus, dum penis exit.*

585. *Phryx, augur.* Ille Phryx qui Romae moratur, sunt enim ob hoc qui [1] ab ipsa Phrygia exhibiti sunt.

1 Transponit Henn. *qui ob hoc.*

587. *Qui p. f. cond.* Condi fulgura dicuntur, quotienscumque Pontifex dispersos ignes in unum rediit[1] quadam tacita ignorantia prece locum agestione consecratum fit. Lucanus

..... . et tacito cum murmure condit
Datque locis nomen.

1 Apud Vallam est, *redigit, quadam tacita prece locum aggestione consecrat.* Cic. *II. de LL.* Pith. — Corrigendum, *redigit quadam tacita ignorataque prece, et locum aggest. consecratum it.* Sed illud ridiculum de ignibus fulminis dispersis colligendis, quod poetice dictum reor a Lucano. Per ignes autem dispersos fulminis, intelligo res quascunque tetigit et ambussit ignis, aut scidit et quocunque alio modo violavit. Eae dispersae in unum colligebantur. Et notandum quod ait, *aggest. locum consecratum it,* significat, monumentum eo loco statui, aram nempe, vel puteal, cum aliqua fortasse inscriptione, quae testaretur sub illa ara conditum. At vetus interpres Persii longe aliter exponit hanc fulguris condendi rationem. *In usu,* inquit, *fuit, ut augures vel aruspices adducti de Etruria certis temporib. fulmina, transfigurata in lapides, infra terram absconderent, cuius impetratione rei oves immolabantur.* Sic legendum, non, ut est vulgo, *cuius impatratione rei.* Haec pertinent ad fulminum evocandorum morem, de quo Plinius *II,* 53. Salmas. ad *Solin. p.* 803. — In emendatione Schol. nostri Salmasium praegressus est Grotius ad *Lucan. I,* 604. Sed lectio adhuc corruptior est Pithoeana, habet enim, *prae caelo cum algestione consecratum sit,* quod autem Bulenger. *Opuscul. p.* 430. ita h. l. extulit: *Quoties Pontifex diversos ignes colligit et ignota quadam tacita prece loc. aggest. consecrat;* non ex MS. aliquo petitum esse videtur, sed ex male fida memoria, quod viro huic immensae lectionis atque eruditionis saepe accidisse,

nemo negabit qui attente eius scripta evolverit. Proxime ad scripturam Codd. fortasse accedat, qui legerit, ... *redigit et quadam tacita et ignorata prece loc. aggest. cons. facit.* Scilicet, haruspices post conditas res fulgure tactas, dum puteal, id enim *aggestione* significatur, imponerent, preces fundebant tacitas, unde Lucani *tacitum murmur*, non, ut nunc habetur, *moestum*, quia ipsae hae preces cognitae non fuerunt, nisi instructis ab augurali disciplina et secretis haruspicum. *Ignes dispersos* dici ambustas circumcirca res diversas, praesertim adhuc flagrantes, habet sane aliquid poeticum, potest tamen esse e verbis sacris et auguralibus, neque enim quemquam fore existimo, qui neget, multa ex sacro sermone a poetis, in sui usum conversa fuisse. Int. Cruquian. ad Horat. *Art. Poet.* 471. simpliciter *reliquias fulminis* commemorat. Illud quoque non video, qui dici possit ab ea condendi fulguris ratione, quam noster Int. narrat, longe abire Persii enarratorem. Noster potius generaliter ait, *ignes sparsos* conditos fuisse ab haruspicibus, Persii Int. in specie *fulmina*, transfigurata in lapides, quae quid sint disputari potest. Coniiciebam fuisse lapides, quos rustici nostri, ab eadem religione, qua veteres Romani imbuti erant, non vacui, fulgaritos lapides, Germ. Donnerkeile appellant, sed nec eram alienus ab ea suspicione vocatos ita, quos nunc nostri physici meteoricos vocant, cum ecce in manus meas incidit docta hercle et iucunda Interpretatio Inscriptionis Etruscae arae Cortonensis Frid. Münteri, danica lingua Hafniae superiore anno edita, ubi eandem coniecturam propositam p. 24. eo libentius legi, quo magis huius viri et veteri amicitia et quondam commilitio laetor magnamque ac reconditam in omni litterarum genere eruditionem suspicio. Caeterum in Persii Schol. lectio, *cuius in patratione*, nescio qui mage placet, quam *impetratione*, sive illa de veteri scriptura sit, quod nunc non vacat inquirere, sive, quod vult Bulengerus, de coniectura sua. Certe ex antiquitate petitum est verbum, et sacrum quid olet. Illud quoque non fas est praeterire; in mea Vallae editione aliter legi at-

que a Pithoeo relatum est. Nisi enim coecutio sic ibi est: .... *redigit et quadam tacita prece locus aggestione consecratur.* Nostram autem ex eo constructam coniecturam prope adsecutus est Henn. legendo: ... *redigit et tacita ignorataque prece locum aggest. consecratum facit.*

588. *Plebeium in c.* In circo in spina [1], hoc ideo quia illic pauperes sortes accipiunt.

1 Post verba *in Circo,* asteriscum Pithoeus posuit, quasi deesset aliquid. sed recte delevit Hennin. Scil *spina*, est interpretatio τοῦ *aggeris*, illudque tantum quaerendum, verane sit, an falsa ea explicatio. Probatur Gesnero ad Quintil. *Inst. Or. XII*, 10, 74; improbatur novissimo Fabii Editori, qui eam significationem neminem, ait, ex hoc Iuvenalis loco efficere posse, quare potius publicam viam indicari existimat. reliqui fere Int. aggerem Tarquinii intelligunt et ad *Sat. VIII*, 43 lectores ablegant. Equidem puto standum esse sententiae Schol. et Gesneri, nec, credo, sine ratione. Nam de solo Circo sensisse poetam luculenter ostendit tum vs. 582, tum vs. 590. Iam vero in Circo, praeter latera, quibus circumdatur, nihil est praeter spinam, ad quod commode transferri possit vox *agger,* quae *spina* fuit inter utramque metam aggestus murus lateritius, in utroque sui fine obelisco ornatus. Cui rei non inconveniens est *aggeris* vocabulum, si quidem *agger* non tantum est allevatio et aggestio ex terra facta, sed ex alia quavis materia, sive ex lignis ac stipitibus sit, quare ap. Caes. de *Bell. Civ. II*, 14. concrematum aggerem accepimus, sive ex lapidibus constructa, unde vias et plateas *aggeres* dici legimus, et muros adeo, quemadmodum ap. Ammian. Marcell. *XXIII*, 6, ubi narrat, *ultra Scythiae loca, contra Orientalem plagam consertae celsorum aggerum summitates ambiunt Seras,* ubi *celsos aggeres* accipio longum illum murum, qui etiamnum ea parte Sinensium ambit regnum, ut forte id sit antiquissimum eius rei testimonium. Quod an ab aliis iam animadversum sit, nescio, nec

nunc vacat inquirere. Hoc claret, *aggerem* h
dici posse spinam, ad quam fuerit hariolorun
sortilegum statio. Et ne quid amplius dubites,
etem tibi adfero vere classicum Cassiodor.
celebri illa Circi descriptione, *Var. III,* 51,
plane ad rem nostram scribit: *Obeliscorum prol*
zates ad caeli altitudinem sublevantur, sed po
Soli, inferior Lunae dicatus est. Vbi sa
priscorum Chaldaicis signis, quasi litt
indicantur. Spina infelicium captivorum sor
designat, caet.

591. *An saga vendenti.* Negotiatori sagari

1 Vitiose ap. Henn. *sugario.* Gl. χιτωνοπώλης,
garius. Horum adeo collegium Romae fuit: I
nii Inscr. *Cl. IX, n.* 18: COLLEG. SAGARI
ROMANOR.

593. *fortuna urgente.* Cogente paupertate
haec*, non solum partus periculum, sed et
educationis subeunt.

594. *Sed iac.* Vix est *inquit*, ut puerperi
sustineat diues mulier, nam sterilitatis aut
ortus poculum sumit ab obstetrice; aut malei
Puerpera dicitur puella, quae primitus pari

1 Ita quoque Isidor. *Origg XI,* 2. puerperas de
bit, ex ea scilicet pueri significatione, qua illa
ad aetatem refertur. Amplissime eius verbi no
nes excussit Ev. Otto *ad L.* 37. *§.* 28. *ad*
Aequil. cuius libelli exemplar penes me est plu
midia parte ab ipso auctore MSS. notis auctum
recens excuderetur, quod, si cui usui esse po
hic indicare volui.

595. *Tantum artes.* *Id est, illius scil.
aut poculum aut maleficia (f. *veneficia*) dat ei
abortum faciat.*

597 *conducit g.* *O marite tibi consulit; gaude quod abortum uxor tua fecit. nam si volueris de adulterio conceptos tollere, habebis filios natos ex nigris patribus, id est Aegyptios.*

598. *Porrige quidq.* *Qualiscunque potus fuerit, per te ipsum offer bibendum.*

600. *Aethiopis.* *Id est, ex Aethiope nati.*
decolor. *Niger.*

601. *Impleret tab.* *Id est, erit tibi heres talis, quem inter die nunquam se tibi ostendit.*

602. *Transeo.* *Praetermitto, an (f. *non.*) dico de suppositis.*

603. *Ad spurc. dec. lacus.* Illuc nam deferebantur expositi partus, atque ibi proiiciebantur. decepta autem vota, quia subpositus est filius, id est, factus nobilis ex supposito.

604. *Pontifices.* *De familia nobili nomen tenuerunt.*

605. *Corpore lat.* *Id est, frequenter inde collecti infames et suppositi matronis ad imperium et alias potestates pervenerunt.*

606. *fovet.* * Fabens fortunam tutare.*

607. *domib. t. p. altis.* Nobilibus.

609. *producit.* Tanquam suos tuetur.

610. *hic Thessala vendit.* Δεικτικῶς. nescit qui alter, qui cantus magicos nobis [1], quos matronis superstitiosis vendat. Philtra, amatorias res.

1 Lege, *Δεικτικῶς, Thessalus quis iater, qui cant. mag. vendit.* Sch. — Forte, *nescio, quis alter,*

et forte *novit*, pro *nobis*. Arch. — Nempe *novit* Henn. dederat. Occurrit autem in oculos, scriptum fuisse: *qui cantus mag. nobis, quasi matr. superstitiosis, vendat.* In *nescit*, sub intellige, *poeta.*

612. *quod desipis.* Ἀποστροφὴ ad maritum.

613. *Inde animi cal.* Tondit[1] lethargus morbus. Caligulam significat[2] Caesarem, quem adeo medicatis potionib. uxor Caesonia in amorem suum deduxit, ut de nimia impatientia furens, saepe eam nudam[3] amicis ostenderet.

1 Legerim *tangitur* vel *ostenditur*, vel simile. Sch. — Henn. eiectis, quos apposuerat Pith. astericis, rescripsit *Hinc fit letharg.* Posses et *intenditur* suspicari. 2 Haec potius pertinent ad illa, *ut avunc. ille Neronis.* Pith. 3 Sg. *ta nudam* h. e. *totam nudam.*

614. *Philtra.* *Amatorias res.*

615. *tamen hic tolerabile si non*

Semper aquam portes rimosa ad dolia: semper
Istud onus subeas ipsis[1] *manantibus urnis,*
Quo rabidus nostro Phalarim de rege dedisti
Et furere[2].

1 Vetus Codex recte legit, *subtus manantibus.* Sch. 2 Qui versus referuntur a Probo. Pith. — Nempe cum hos versus in Budensi non haberet, ut nec eorum in Sg. vestigium est, e Valla adiecit, cuius haec verba sunt: „hi tres versiculi in multis non sunt Codd. quos in antiquissimo legimus Cod. et Probus etiam refert." Ex Probo tamen suo nihil adiecit iis illustrandis. Leguntur autem in aliquot MSS. Iuvenalis, etiam in Edd. aliquib. ut in Veneta a. 1501. neque ab ingenio Iuvenalis alienos censet Archaintrius, nam suum de iis iudicium Rupertus non interponit. Ego e. verba, *istud onus subeas*

ad rem explicare nequeam, praeterea contra morem poetae nimium colorum ingestum videam, etsi bene contornati sint versiculi, vix tamen persuadeor e limpido fonte profectos esse. In tertio versu, meus Valla habet: *Quod rabidus nostro Phalari* et sic etiam edit. Venet. 1501. in ipso Iuvenale, nisi quod *rostro* pro *nostro* profert. Henn. *Quod rabidum* edidit.

616. *Quas modo.* *Quid ante paulum egeris.*

617. *tremuli pulli.* Mox scil. nati equini, cui in fronte pilleum ut pellicula erepta, praestat amorem, ut Virgil. [1]

Quaeritur et nascentis equi de fronte revulsus,
Et matri praereptus amor.

1 *Aen. IV*, 515 ubi et hunc locum Servius citat. Quod praecedit, est ex Vallae exemplari. et infra ad illud *Iovis*, delenda mendi nota. Pith. — Scholiastae inediti Vossiani, longe amplioris Pithoeano, post alia, quae praecedunt, haec verba sunt: *ferunt Physici in fronte equini pulli mox nati haberi quandam carunculam, quam mater dentibus aufert, quam si quis praeripuerit, odit* (sic leg.) *illico pullum et a se proiicit. Virgil.* caet. Burm. ad *Anthol. Lat.* T. *I*, p. 180. — Quod de Valla refert Pith. non intelligo. in meo enim Valla nulla huius-gl. mentio, quae caeteroqui quanta est in Sg. legitur. pro *ut*, lege *hoc est*.

618. *quae non fac.* Si regina hoc fecit, quanto magis aliae mulieres.

619. *Ardebant cuncta.* Sonante [1] Claudio scilicet ex furore.

1 Henn. *Tonante*.

620. *Non alit. quam si.* Furor ille quem Caesonia avunculo Neronis immisit, multis nocuit per

unum. Nam in multos saeviebat unius Imperatoris insania, ut si per Iovis insaniam totus mundus agitetur.

621. *minus ergo noces.* Exemplum de Agrippina, quae principem Claudium maritum suum ueneno necavit, ut filio suo Neroni conferret imperium. Agrippina mater Neronis. Caesonia uxor. Agrippinae maritus Claudius [1].

1 Inverte, *Agrippinae maritus Claudius. Caesonia uxor.* Sch. Imo *Caesonia* uxor Caligulae.

622. *descendere iussit.* Ridens, pro, ad inferos. et apotheosin deridet. Deum fecit imperatorem [1].

1 Tria postrema verba sunt alterius Glossatoris. In mea bibliotheca est manu exaratus Iuven. commentarius, in quo Senecae ἀποκολοκύνθωσις ad h. l. citatur hoc pacto: *descendere iussit. Seneca scribit, Claudium primum adscendisse in caelum, sed eundem communi Deor. decreto deiectum ad inferos.* Barth. *Adv. XI*, 22. — Post *deridet* Henn. subiicit *nam*, incommode. si *quae* excidit, unius Glossatoris erit.

621. *boletus.* *Qui boletus occidit Caesarem et eum compolit ad furorem.*

pressit. *Claudii scilicet.*

623. *et longa man. labra.* Senem dicit.

624. *Haec poscit.* Quam Caligulà scil. bibit, temperatam a Caesonia uxore sua.

625. *mixtos equit. c. s. patr.* Id est, omnes ordines sine distinctione occisos.

626. *Tanti.* *Id est, Ipomanes, tanta damna attulit venefica una.*

627. *Oder. natos de pell.* De priore uxore, aut certe de amica.

628. *iamiam privignum.* Exemplum et in Agrippinam [1], quae privignum suum Britannicum veneno necavit, ut filio suo Neroni conferret imperium.

1 Lege ex membrana, *exemplo nempe Agrippinae*, et *conficeret*, pro *conferret*. Sch.

630. *Custodite an.* * Videris si alienos oderunt filios ferendum est, hoc quid sit quod et suis infestae sunt filius atque eos venenis perimunt volentes ipse hereditate succedere [1].*

et nulli cred. mensae. Nec maternae.

1 Haec quam depravata sint, nemo non videt. medicina non est in promptu, nec iuvat ingenium macerare.

631. *Livida m. f. adip.* Dulcia placenta, veneno plena [1].

Laevida mat. f. ad. iun. Laevida, lubrica, dulci suffusa succo. Sequuntur duo versiculi,

Mordeat ante aliquid, quicquid porrexerit illa
Quae peperit, timidus praegustet pocula pappas,

qui in aliis non sunt [2].

1 Distingue: *dulcia, placenta veneno plena;* ubi *placentum* pro *placenta* usurpavit. Salmas. ad *Vopisci Tacit. c.* 6. — Nempe duplex est glossa una, vetusta et sanior, quae *livida adipata* interpretatur

per. *placenta veneno plena*, in qua nihil cogit pluralem numerum agnoscere. subsequitur altera plane inepta. Cum enim eius auctor in suo cod. haberet corrupte *levida*, eam vocem nihili sibi fingens deducendam a *laevis*, interpretatus est *Dulcia*. Supervenit tertius, qui, ut adiuvaret eam lectionem et interpretationem, adderet, *laevia* id est, *lubrica*, ideoque *dulci suffusa succo*, adscripta ratione, quam Valla addidit, *ut latitet venenum*. Atque hic est ortus, haec multarum glossularum veluti progenies, ad quam vulgus non satis ubique attendit. 2 In Hafniensi Regio extant. recepit etiam Pith. in suam edit.

334. *Fingimus*. Anthypophora, dices forte, quod de proposito egressus [1], Satyram dimisi, et ad Tragoediam me contuli, fingens dicta. Sed Pontia non negat se fecisse. Igitur quod ait, legem priorum, id est, satyrae propositae.

1 *Sg. de posita re egressus sum, id est Satyr. dimisi*, ac mox, *et fingo dicta*.

636. *Grande Sophocleo*. Id est, tragoediam scribimus.

638. *Nos utinam vani*. Vtinam nos haec mentiremur, et non rea facti confiteretur. Pontia, Publii Petronii filia, quam Nero convictam in crimine coniurationis damnavit, defuncto marito [1], filios suos veneno necasse convicta, cum largis se epulis onerasset, et veneno [2], venis incisis saltans, quo maxime studio oblectabatur, extincta est.

1 Addit Valla *Drymione* et paullo post, *vino*, melius quam *veneno*. Pertinet vero ad h. l. Romanus lapis

PONTIA TITI PONTII FILIA HIC SITA SVM QVAE DVOBVS NATIS A ME VENENO CONSVMPTIS A VARITIAE OPVS MISERE MIHI MORTEM CONSCIVI. TV QVIS QVIS ES QVI HAC TRANSIS SI PIVS ES QVAESO A ME OCVLOS AVERTE

sunt tamen qui de Vettii Bolani uxore interpretentur, ex Statio. *Sylv. V.* Pith. — Veterem lapidem, quem Pith. hic protulit et ex eo Grangaeus, multis ante utrumque annis exhibuit Georg. Fabricius nostras in *Antiquit. Collect. p.* 254. Sch. — Nemo tamen, credo, erit, qui non suppositum existimet. eius mentionem iam ante Fabricium hic fecit Domitius Calderinus. 2 Lego, *cum largis se epulis et veneno onerasset.* ἓν διὰ δυοῖν. Intelligit epulas venenatas; vel scribe, *ex veneno,* nisi tamen Vallae lectio rectior est, *et vino.* Alia scholia MSS. ad h. l. *Pontia, formosa meretrix fuit, quae filios suos amicos pecuniae occidit, ut omnia donaret adultero. quae postea, se ipsam prodens, largiter est epulata, incisisque venis a se ipsa exstincta.* Scilicet quia *propter nummos* id fecerat, ut ait vs. 646 satyricus et lapis innuit. Sch. — Apud Vallam sic refertur inemendate hoc schol. *Haec est Pontia, Publii Petronii filia, quae defuncto Drymione marito, Filios suos occidit, sed coniuncta,* (leg. *convicta*) *ut largo vino atque epulis se obruerat, incisis venis, saltans, cui rei* (nempe *saltationis,* quod latet in *saltans*) *studiosa fuerat, extincta est.* Profecto non infimi pretii est hoc schol., historiae memoriam conservans, quam alibi nusquam relatam legas, et quae tamen ipsa faciat ad aliqua alia veterum scriptor. loca in maiore luce collocanda. Dicitur haec Pontia filia Publii Petronii, *quem* (sic enim procul dubio legendum, et recte advertit Lipsius ad Tac. *Ann. XVI,* 18.) Nero *convictum* in crimine coniurationis damnavit. Id congruit his quae de Petronio habet Tacitus *l. c.* de ingenio eius narrans: *habebâtur non ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito*

luxu, ubi fortasse scripsit, *eruditus luxu*, ut ap. Cicer. *Or. pro Balb. c.* 20. Marius dicitur, *stipendiis et legationibus eruditus*, quare et ipse Cornelius eum mox *elegantiae arbitrum* appellat. De eodem extat historiola apud Plin. *Hist. Nat.* XXXVII, 2, 7. et Plutarchi iudicium in libello *πῶς ἄν τις διακρίνοι τὸν κόλακα τοῦ φίλου*, ut annotavit Lipsius. Is autem Petronius ap. Tacitum *Caii* praenomen habet, ap. Plinium et Plutarchum *Titi*, apud nostrum *Publii*, quod quia exertis litteris perscriptum et, verius videtur, quoniam et Caii et Titi apud caeteros una tantum litera C et T notatum facile corrumpi potuit e littera P. praeterea *Caii* sit demum ex emendatione Rhenani, sed librisne fulta, an ingenio, incertum sit. Haec Pontia, iam defuncto marito *Drymione*, cuius nullibi memoriam invenio, filios *duos*, sic enim lego ex inscriptione a Pith. relata, veneno necasse convicta est, quod optime quadrat in Pontiam illam, de qua Martial. II, 33.

Cum placeat Phileros, tota tibi dote redemptus,
Tres pateris natos, Galla, perire fame.....
Perpetuam Dii te faciant Philerotis amicam,
O mater, qua nec Pontia deterior.

Qui autem Interpretes, inter quos Merula est, eandem hanc Pontiam esse censent, quae Tacito *Ann. XIII*, 44. commemoratur, toto caelo aberrant. Haec enim, amata Octavii Sagittae, Trib. plebei, sub idem fere tempus periit quidem, sed amasii scelere, qui, elusus promissis, impetrata ultima nocte, ferrum veste occultum intulit in cubiculum. *Tum*, verba sunt Cornelii, *ut assolet in amore et ira, iurgia, preces, exprobratio, satisfactio, et pars tenebrarum libidine seposita. Et questu incensus, nihil metuentem ferro transverberat.* Quae libuit, etsi aliena, prolixius referre, quia non sine causa video haerere in verbis *Et questu*, viros doctissimos, et videar medicinam adferre posse, quae aliis iam allatis non sit minus certe praesens. Quod enim medicamen praesentius esse potest, et flagran-

grantissimi parricidae ingenio convenientius, quam si Tacitum reliquisse existimemus: *exin oestro incensus*; quod praeterire nolui, etiamsi nunc ex Oberlini edit. qua prius carebam, edoctus sim, post illam ab Ernestio procuratam, nostro similia iam ab aliis proposita fuisse, Oberlinumque adeo tantae audaciae fuisse, ut sibi arrogarit, *Ex qua aestu incens.* in ipsum contextum recipere.

659. *paravi.* *Poculum venenosum.*

640. *ipsa peregi.* *Quae agnita videntur, ego feci.*

641. *Tune duos septem.* *Verba ipsius matris, possent uno veneno et septem occidi, si quidem fuissent.*

643. *de Colchide saeva Et progne.* De Medea. Progne filium suum occidit, propter sororem a marito stupratam.

647. *debetur monstr.* *Neque enim eas admirari convenit super talibus factis, quae causas prope iustas habuere peccandi. non tamen pecuniae causa haec admiserunt.*

649. *Praecipites.* Id est, sexus femininus caelandi causa omnia audet facere, dum magnos amore dolore pollutos, quae neque offerre.

ut saxa in abr. Virgil [1].

..... *excisumve obice montis.*

1 Apud Virgilium non invenio, sed neque apud alium poetam. Forsan de memoria recitans invertit illum *Georg. IV*, 422. *Intus se vasti Proteus tegit obice saxi.*

651. *quae computat.* Quae propter avaritiam

peccat, ut Eryphyle [1], quam dicunt donis sollicitatam, maritum coegisse, ut iret ad bellum, et mortuus est [2].

1 Potius *Euripyli*. Vide de hoc scholio Munker ad *Hygin. p.* 277. HENNIN. 2 Lege, ut est in Vet. Cod. *ubi moriturum resciebat.* SCH.

652. *spectant.* In theatro parapallium [1].

1 Lege, ut est in Vet. Cod. παρ' ὑπαλλαγήν. Lepidus est Dufresnius, quando e corrupto h. l. Parapallium locum in theatro statuit. SCH. — Forte ita scribendum, παρὰ *pallium*. Pallium Graecis usitatum, unde Comoediae Graecae dicuntur *palliatae*. ARCH. — Quod profecto non minus lepidum est.

653. *Si permutatio.* *Spectant Alcesten pro suo marito morientem. quibus si detur similis conditio,* de vita mariti aut catuli*, catellum magis eligent.*

655. *Belides.* Danaides, quae pro patre suo maritos occiderunt.

atque Eriphylae. Eriphyle uxor Eurypili, filii Telephi [1]. qui Telephus c. venisset ad auxilium Priamo, plagatus [2] est ab Achille: et c. non possit curari, sortitus est, ab Achille se solo posse curari. Venit supplex, petit se curari, promisso hoc, ut nunquam iam auxilium ferat Trojanis, nec ipse, nec de suis aliquis. curatus est. recessit. Post mortem huius, filius Eurypilus vir fortis fuit. Hunc saepius ad auxilium petit Priamus. ille negavit, monitus scil. a patre suo. Ergo

c. non posset aliter Priamus eum sollicitare, fecit vitem ex auro, et misit ad uxorem eius Eriphylem. Haec accepto munere tanto, marito persuasit. venit in Troiam auxilium ferens. Hunc occidit Pyrrhus, filius Achillis.

1 Quod Telephi facit filium, de eo dubitabam, cum vidi idem tradi a Servio ad *Ecl. VI*, 72. et Schol. *Hom. Odyss.* V 520. MUNCKER. ad *Hygin. fab.* 112. — Quantopere nomina hic perturbaverit Schol. non opus est dicere, cum e vulgarib. libris disci possit. 2 Rectius de hac voce idem Dufresn. egit. In eodem Scholio *sortitus est*, significat, sorte rescivit, uti etiam priore deleto antiquus Cod. rescripsit. Sed vocem *sortiendi* ita aliquando capi, opportune monuit idem Ducangius. Ceterum in ea gl. *Uxor Euripyli*, et infra *filius Eurypilus* legendum est. SCH. — Pro *Euripilus*, utrubique Henn. *Euriphili* expressit.

656. *Mane Clytemnestr.* Quae maritum suum occidit Agamemnonem.

657. *bipennem.* Hoc interest, quod illa securi occidit.

659. *rubetae.* Ranae, cuius viscera venenosa sunt.

660. *Sed tamen et ferro.* Aliquotiens gladio, si iam manducaverit maritus, quod veneno obsit.

661. *Pontica ter victi.* Mithridatem dicit, quem Lucullus et Sylla et Pompeius vicerunt. ideo ter victi. hic tale sibi fecit medicamentum, ut non posset aliquando veneno perire.

LIB. III.

IN SATIRAM VII.

DE STERILITATE STVDIORVM.

1. *Et spes.* De sterilitate studiorum loquitur. Neronem palpat [1]. Talis autem est sensus: Poeticae artis periisset industria, nisi propter egestatem in studia diversa tendentibus Caesaris subvenisset humanitas.

studiorum. Literarum.

in Caesare. * Nerone. *

1 Inepte. nec dubium habeo, quin Traianum designet hoc principio. SALMAS ad *Solin.* p. 319. — Generatim observo, Domitianum a Scholiasta vocari *Neronem*, neque, quod viris quibusdam doctis placuit, *Nervam* substituendum esse, etsi Calderinus etiam totam de Nerva Satyram accipiat. *Titum* ego potius, quam Traianum accipere malim. Sed cum Schol. veteribus video etiam Cl. Graevium fecisse. SCH. — Prolixa ea de re Interpretum h. l. est disputatio, et accurata nuper doctissimi Iuvenis Franckii in *de Vita Iuvenalis Exam. crit.* quem, si lubet, adi.

2. *tristes ... Camen.* Tacentibus poetis.

4. *Balneol. Gabiis.* Vt mediastrinus [1] fieret.

furnos, Ad panem coquendum.

1 Sic et Sg. sed Valla, *mediastinus*. Eadem varietas ap. Nonium in h. v. legitur, ubi etiam quidam Codd. *mediastrinus* exhibent, quod et edit. principem a. 1476 et Parisin a. 1614. occupavit, c. Antverp. a. 1565. et Paris. a. 1583. *mediastinum* servent. quid, quod Stephani Glossae, Papias et eius assecla Ianuensis, *mediestinum* adeo dicunt. Sed *mediastini* scriptura antiquior est, fulta auctoritate MS. Flor. Pandectar. pluriumque lapidum litteratorum, imo et derivatione, quam alii a *stando* alii a Gr. *ἄστυ* descendere volunt, cum verius esse videatur illud *stinus* nihil esse nisi productionem vocabuli, ut in *clandestinus*, aliisque similibus, quae tamen ut plurimum penultimam brevem faciunt. De vi vocis non dico, cum dicere praeripuerint tum alii multi, tum in primis Brissonius. De Nonii loco, quem hic adducunt, largior tractandi copia esset, ni tempus prohiberet. Est enim in eo multiplex lectio et Codd. nondum adhibitorum et Edd. antiquarum, adhuc non excussarum.

6. *Praecones fieri.* Emissarii [1].

Aganippes. Locus [2] in Boeotia Musis sacer. Callimachus tamen dicit fontem esse Permessi fluminis.

1 *Emissarios* exponit Interpr. praecones, non recte. Erant enim Romae ab auctione. Sed Grammaticus *praeconem* pro circulatore, viatore, aut apparitore sumsit, ut aliquando medio aevo a Dufresnio haec vox adhiberi observatur, et ita *emissarium* exponit. Papias enim *satellitem, homicidam, emissarium, flagitiosum,* tanquam *συνώνυμα* coniunxit. Sch. — Post *Emissarii,* de suo addidit Schrev. *Φωνοβόλοι,* Gr. in Sg. plane non legitur haec gl. 2 An, *lacus,* scripsit, pro fonte? *Permessi* contra normam dixit pro *Permesidis.*

7. *migraret in atr. Clio.* Ostiarius, et [1] custos atriensis.

1 Sg. *ut.* legendum, *aut.*

8. *Nam si Pieria.* Pieria, locus sub radicibus Olympi montis, cui Pierius [1] poeta nomen dedit, qui primus sacrificasse Musis dicitur: unde et Pierides dictae.

quadrans tibi. Denarius, inde quadrantes [2].

1 Scribe *Pierus*, sic certe alii, et edidit ita Schrev. et Henn. 2 Lege κοδράντης, ita enim scribendum, quod vulgo Latinis litteris, *quadrantes.* Gronov. de *Pecun. Vet. p.* 440. — Legendum forte, *Denarius, deni quadrantes.* Sch. —

10. *commissa:* *Credita, celebrata.*

auctio. *Venditio publica.*

11. *Stantibus.* Popularibus armatis militibus [1].

1 Male Scholiastes eiusque simia Autumnus, de militibus intellexere. Grang. h. l. — In Sg. verba, *armatis militibus* recte absunt.

12. *Alcitheon Pacci.* Nomina fabularum, aut [1] malorum poetarum, qui has fabulas scripserunt.

1 Lege, *et malorum poet.* Vide Delrion. de *Tragoedia c. IX.* p. 29. Sch.

13. *quam si dic. sub iud. vidi.* Quam si calumniam facias, falsa dicens: falsus es testis necessitati [1].

1 Henn. *necessitate.* pro *si* Sg. *ut.*

14. *equites Asiani.* Equites Romani ex Graecis [1] facti.

1 Valla, *ex Asiaticis.*

15. *faciant.* Falsum testimonium dicant.

16. *Altera quos nud.* Id est Gallograeci [1], quia Galli in Graecia condiderunt [2]. Ipsos ergo dicit, et est sensus; qui nudis pedibus ambulant, ac per hoc abiecti Galatae.

1 Valla, *Gallica Graecia.* 2 Lege, *quia Galli Galatiam in Graecia condid.* voce solum, *Galatiam,* adiecta. Pithoeus enim *quia,* non *quod* olim ediderat. Sch. — Voluit *quas* scribere, sic enim pro *quia* correxit et clanculum edidit Hennin. Nos putabamus leg. *constiterunt.*

18. *nectit quicunque.* Qui carmen vocale efficit per modos, id est, poeta.

20. *Hoc agite.* Hortatur poetas temporibus Neronis carmina scribere, o iuvenes, huc venite [1].

1 Videtur igitur Schol. in textu habuisse: *Huc agite, o iuvenes,* scribitque Lubinus sic esse in quibusdam MSS. probatque. In Sg. prior pars gl. desideratur.

21. *Materiamque.* *Occasionem, qua prosit poetis.*

22. *Si qua aliunde.* Si aliunde magis praesidium speras per carmina, quam a principe Nerone, incende libros tuos, et trade Vulcano, o Telesina [1].

1 *Telesine* Henn. recte. et sic quoque ad vs. 25 legendum.

23. *membrana tabellae.* * Membrana [1] implentur, quae croceam tabellam habebant, id est, paginem mittat. Videtur quod, quae in tabulis scripta sunt, in croceam dicat transferre membrana. *

1 Leg. *membranae* et in fine *membranam.* sed ne sic quidem apparet, quid sibi voluerit.

25. *dona Vener.* * Id est, fac focum et comburе, o Telesina. *

marito. * Vulcano. *

27. *vigilataq. proelia.* Vtrum, quae tu pugnaris cum animo scripseris [1], an, ea quae de pugna conscribis.

1 Lege, *Vtrum quae tu pugnans animo conscripseris,* ut sensus prodeat. Sch. — Apud Hennin. transposite: *animo cum* nil muto duplex est interpretatio interrogative expressa.

29. *hederis.* Corona.

et imag. macra. Corpore exili, propter vigilias. quia poetae sic pinguntur, quasi ad summam maciem nimio labore confecti.

30. *Spes nulla ulter.* Nummorum scilicet, nisi hedera et imagines.

32. *Vt pueri.* * Omitte, inquit, Martem sectari, dum aetas opitulatur. *

avem. * Pavonem. *

33. *cassidis.* * Militiae. *

34. *Taedia tunc sub.* * Cum senueris, nihil haberis. *

35. *Terpsicoren.* * Ac per hoc et poema suum. *

36. *Accipe tunc art.* * Audi fraudes.*

39. *Propter mille annos.* Dinumerato tempore fortasse usque ad aetatem suam, poeta dixit mille annos fluxisse ex tempore Homeri. Fuit autem Homerus annis ante urbem conditam centum LX. post Ilium captum, ducentis LX.

40. *Maculonis.* Alii, sordibus dixit alii, pictas [1].

1 Scholiasta videtur *maculatas* legisse. Si quidem scholium ut nunc est, (apud Hennin. qui edidit: '*Alii sordidas aedes; alii, pictas*) admittamus. Possis etiam legere, *illitas sordibus.* Emblema vermiculatum alii, puto, ceperunt *maculas,* et exposuerunt *pictas.* Sch. — Lego, *sordidas.* Achaintr. et Rup. — Vetus scholion aperte demonstrat, olim hic, ante omnes, puta, qui hodie exstant, libros, ne minimum quidem Maculoni vestigium et longe omnino diversam lectionem fuisse. Cuius rei levem suspicionem iam dudum Schurzfleischius movit, ita tamen, ut in reperienda veritate omni a parte coecutiret. Nam primum scholion illud ex membrana Pithoeus edidit corruptissimum, *Alii sordib. dixit, alii pictas;* in quibus posteriora verba integra sunt, priora integritati sic restituenda: *Alii sordidas textis,* aranearum videlicet, nisi hoc ipsum vocabulum forsan incuria obliteratum est. Apparet nempe, duplicem glossam, in scholio commemoratam, referri ad antiquam lectionem, quae in genuinis exemplaribus reperiebatur, sed in corruptelam postea degeneravit. Quid multis moror? Lectum antiquitus fuit: *maculosas commodat aedes.* Heinrich. *Comment. I. in Iuven. Sat. p. 23 sq.* — Post *dixit,* consueto more supplerim: *poeta,* hoc sensu: Iuvenalis sub voce *maculatas,* seu *maculosas,* aut sordibus subintelligi voluit, aut pictas eas exponi. Pithoeus post dixit asteriscum pinxit.

41. *servire iubetur.* Valde tibi indicendum [1].

1 Legerim, *Longe, valde. servire, tibi indicendum.* Vides nihil mendi subesse. Sch. — Henn. *Patet* pro *Valde*.

42. *In qua sollicitas.* Cum fuerint clausae domini calamitate. tristes effectas et sollicitas propter incursionem hostium.

44. *comitum dispon. voc.* Novit disponere auditores.

45. *subsellia.* A Graeco tractum [1]. Id est, subsellia, super quae altius sedeatur. gradus superiores scansiles.

1 Inepte haec gl. voci subsellia admovetur, cum sit referenda ad voc. *anabathra.* Henn. Sch. — et sic fecit Valla.

46. *tigillo.* Tecto [1], deminutive.

1 Malim legere, *tigno.* Neque apud Nonium aliter scribendum est. neque enim subsellia in tecto erant, sed ad tigna applicabantur. Sch. — Vere *tigno* emendat Schurzfl. et persuadeor non difficulter Papiae testimonio, qui plurima e nostro Schol. in usum suum convertit. Sic autem ille: *Tigillum, diminutivum a tigno, sicut a pugno, pugillus,* imo, a *signum* fit *sigillum.* Nonium tamen vix est, ut vexare sustineam, apud quem non est *tigillum,* sed *tegillum.* Verba sunt: *Tegillum, diminutivum a tecto. Varro Sesquiulysse*

Iugere volitans milvos visus, aquam e nubibus
Tortam indicat adfore, tegillum ut pastor sibi
Sumat.

Sic enim ille locus, qui in Edd. sensu caret, commode ex emendatione Scaligeri legendus est. et mirum nihil a Mercero annotatum esse, cum tamen et Fr. Iunius emendasset, quanquam non aeque bene.

Nimirum *tegillum*, quod est vestimenti genus, Festo quoque laudatum, a *tecto* factum est, quia corpus tegit, plane eadem ratione, qua a *recta*, itidem virilis vestimenti genere, deducitur *regilla*, ceu probe monuit Ian. Guilielm. *Verisim. II*, 5. Ap. *Nonium* autem secundo loco Cod. Vossianus *texillum* habet, quae lectio, etsi non proba, tamen nec prorsus sensu caret. Omnia enim haec vocabula, si verum fateri velimus, ab eadem voce *tego* descendunt, diversa forma et orthographia. Caeterum miratus sum, ad illustrationem Poetae non adhibitum esse locum, qui *Art. Poet.* vs. 279. legitur de Aeschylo:

... *modicis instravit pulpita tignis*

quem omnino prae oculis habuisse videtur Iuvenalis.

47. *orchestra.* Spatium in Theatro dicit, qui Pantomimo saltanti vacat. Eiusmodi autem et poetae legit in quo stans recitet, aut tabulata [1].

1 Scribendum, *quod Pantom. saltanti vacat. Eiusm. autem et poeta eligit, in quo stans recitet ante tabulata.* Ita haec emendamus, etsi non approbamus; et sedit profecto, non stetit poeta, atque adeo in pulvino. Lipsius Epp. *Cent. II. ad Belgas. e p.* 48. — Haec sic concinna: *quod P. salt. vac. Eiusm. a. et poeta legit, in q. st. recitet. Aut tabulata.* Rutgers *l. c. I*, 16. — Leg. *quod Pantom.* et *legitur*. Gonsales ad *Petron. p.* 252. *Edit. Burm.* — Meo animo Schol. scripsit: . . *dicitur, quo Pant.* et, *ante tab.* Sch. — Henn. *quod* et *elegit*, expressit. Pithoeus astericum post *legit*, Schrev. ante *qui* posuit.

49. *et litus sterili.* Metaphora ab arantibus. Litus pro agro posuit, agrum pro auditoribus. id est, scribimus, et nihil commodi inde consequimur.

50. *laqueo tenet.* Poetici mores, ut vinculum [1].

1 Lege, *laqueo, ut vinculum. ambitiosi, poetici mores.*

51. *insanab. multos Scrib. cac.* Mali mores, mala consuetudo scribendi, quae [1] oblivisci non potest.

1 Pro, *quam* vel *cuius.* nempe passive utitur, ut Horatius suum *obliviscendus.*

53. *cui non sit p. vena.* Communis, sive vulgaris. qui nihil abiectum, subtile [1], et gracile, nihil trivialiter scribat, sive male.

1 Nemo non videt *futile* scribendum esse.

56. *Hunc qual.* Ordo hic est. Poetam bonum facit omni sollicitudine vel tristitia carens animus, ut nihil acerbi patiatur, qualem ego animo sentio, ostendere autem non possum.

58. *cupidus silvar.* Avidus. ut Horatius,

Bacchum in remotis carmina rupibus,
Vidi docentem.

60. *thyrsumq. pot. contin.* Insanire pauper non potest, aut moveri ad scribendum [1]: quia familiaribus rebus consulere cogitur. Dicunt nam, nisi insanum, poetam esse non posse.

1 Recte et plane ad Satyrici mentem, in membrana nostra legitur *sana Paupertas.* neque aliter vet. Schol. legit, qui interpretatur, *insanire pauper non potest. Insanire* est ἐνθουσιασμὸν seu furorem poeticum sentire. In fine scholii MS. liber habet, *nisi semisanum,* et *semisanus* dicitur Schol. ut Persio *semipaganus.* Sch.

62. *satur est c. d. Horatius.* *Id est, nihil defuit Oratio, sed tamen animos ad poetandum habebat.*

64. *et domin. Cyrrhae Nisaeque.* Apollini et Libero [1].

1 Hanc gl. omisit Henn.

65. *pectora vestra.* *V e s t r a, qui boni estis poetae.*

curas. *Poeticae egestates.*

66. *Magnae ment. opus.* *Perfecta pecunia unde codices emantur.*

69. *Nam si Virgil.* *Hic est sensus, quia non ita potuisset scribere Virg. si de illi fuissent res familiares.*

72. *Rubrenus Lappa.* Tragicus poeta.

73. *et laenam pign. Atreus.* Foenerator, vel quia A t r e u m scribit ut sumptus habeat, et res suas pignori dat [1]. A l v e o l u s est tabula calculatoria [2], lusoria.

1 Forsan voluit, *vel, qui ut Atreum scribat et sumtus habeat, res suas pignori dat.* Est enim duorum glossatorum interpretatio, quorum alter, confundens *pignerare* et *pignorari*, illud sumsit pro *pignore accipere*, ideoque Atreum putavit esse foeneratorem, alter autem rectius pro *pignore obligare*, sensitque, quod res est, Atreum dici pigneri opponere, quod auctor eius fecit. 2 Forte legendum, *aleatoria*, nam sic Festus et Glossae MSS. P. Danielis, *Alveolum, tabula aleatoria.* nisi tabula *calculatoria* dicta sit a calculis lusoriis. Burman. ad *Anthol. Lat. T. I. p.* 519. — Addo P a p i a m, *A l v e o l u s, diminutivum, vasculum quodlibet,*

vel alvearia, ubi videtur scripsisse, *aleatoria.* Apud eundem tamen est quoque, *Calculatorius liber, de numero tractans.* utramque igitur significationen Noster expressit, nec quidquam est innovandum. In Vocabulariis frustra hanc vocem quaeras, quae etiam in Cangiano desideratur.

74. *Non hab. infelix.* Animo, non facultatibus. nam dives fuit [1].

1 Haec quoque gl. apud Henn. incuria suppressa est.

75. *Quintillae.* Meretrici.

77. *constat leviori.* Ironia est. Leo levius pascitur, quam poeta: et ex indignatione hoc dicit. * quia leviori sumptu posset constare leo, quam poeta. plus enim comedet. *

79. *Contentus fama.* Ideoque [1] facile otium ad scribendum carmen habuit dives Lucanus.

1 Lege, *ideo quod facile.* Sch.

80. *at Serrano ten. Salino.* Nomina sunt poetarum pauperum: aut Sarrano vas fictile, in quo at Serranus solebat mendicare [1]. Saleio ut mendico catilum fictilem, in quo ea quae salsa sunt adponuntur. Si non sit, inquit, pecunia, gloria quid prodest?

1 An potius, *Aut Serranum vas fictile, in quo Attilius Serranus solebat manducare.* Attilium Serranum agri paterni iugera quatuor sedulo coluisse legimus; mendicasse non legimus. Pith. — Lege, *Serran. ten. Salino. Nomina sunt Poetar. pauperum. Aut: a Serrano, vase fictili, in quo Atil.* Serranus *sol. manducare. Salino tenui, ait mendicorum catillum,* caet. Sch. — Sua haec

fecit Rupertus. Simplicius videtur, *ait Serrano* (quod est) *vas fictile, in quo Att. Serr. sol. manducart, Saleio ait, mendici,* caet. Post *Serrano* Pith. asteriscum intulit. Verba ultima, *Si non sit,* caet. gl. singulorum constituunt, ad verba, *Gloria quantal.* et recte sic distinguuntur in Sg. uti et mox *Gratae* ad *amicae,* reliqua ad *Thebaidos* referuntur.

82. *amicae Thebaidos.* Gratae. significat poema Statii de bello Thebano.

85. *laetam fec. cum St. urb.* Laetam, ideo quid libenter audiebat. Est enim et poema ipsud [1] delectabile; et ipse dicitur bonam vocem habuisse.

1 Retine iterum veterem scripturam *ipsud,* quam iam supra defendimus. Scн. — Mutaverat Henn. in *ipsum.* Rectius idem *quod* pro *quid.*

86. *sed c. fregit.* Post tantum favorem audientium, nisi cantionem inauditam Pantomimo vendidisset, non habebat unde se sustentaret. *Salarium enim ob nimiam paupertatem ab eodem consequebatur.*

89. *Semenstri digit. vatum.* Id est, in modum lunae plenae, equitum de numero, id est, anulo. Semestris autem luna dicitur, cum mensis medium permensa est spatium. aut Xymam [1] dicit, hoc est, cui, ut plena sit, parum admodum deest. cum velut anulus in orbem collecta est.

1 Lego, *XVtam,* hoc est, *decimam quintam.* Rutg. *l. c. VI,* 18. — Ita lege, *Semenstri auro, id est anulo, qui est in modum Lunae plenae. Sem. autem l. dic. c. m. med. perm. est spatium, ad XV diem scilicet, cui, ut pl. sit, p. a. d. c. vel. an. in*

orbem collectus est. Proceres, equitum de numero. Sic apte cohaerent omnia, Sch. — In Sg. verba: *Semestris autem*, usque ad finem, plane deficiunt.

90. *Quod n. dant. proc.* *Id est, quod non praestant Senatores, Pantomimus dabit.*

91. *Et BAream.* *Nobiles illius temporis.*

92. *Praefectos Pelopea fac.* Neronem significat, qui scenicis ob turpem libidinem haec petentibus praestabat. Propter hunc versum missus est in exilium a Claudio Nerone [1].

1 Lege, *a Calvo Nerone.* Supra diximus, quae repetere non vacat. Sch. — De hoc multi multa hic, male, bene. tu consule in primis Franckium in *Vita Iuven. p.* 16 *sqq.*

94. *Quis tibi Mecenas.* *Isti fautores poetarum fuerunt.*

96. *Tunc par ingen. prec.* *Tunc bonus poeta bene remunerabatur.*

97. *toto nesc. Decembr.* Quo mense scilicet solet maxime lucubrari.

98. *Vester porro.* Ironia. *Transit ad historicos.*

99. *atq. olei plus.* *In scribenda storia.*

101. *damnosa papyro.* *Charta in qua scribitis.*

102. *rer. numerus.* Ordo historiae.

103. *Quae tamen inde seges.* *Metaforicos. id est, quid inde lucri habetis, qui scribitis storias.

104. *acta legenti.* *Quantum datur* Exceptori [1].

1 *Exceptores* erant tachygraphi, notarii, de quib. multa prodidit Dufresnius. At Iuven. *anagnostam* intelligit, aut saltim *actuarium*. Sch. — De ταχυγράφοις publicis nemo fusius egit Lydo III, 6 et 9. Eos tamen nonnunquam non tantum acta et sententias excepisse, verum etiam ex tabella deinde et periculo recitasse, videor mihi colligere posse ex Actis Martyrum Scillitanorum, quae memoriae servavit Baronius *T. II: ad an.* 202.

105. *Sed genus ignavum.* *Historicorum fingamus genus. ignavum, quia in uno loco sedere desiderant.*

106. *Dic igitur.* *Videamus quid consequantur advocati.*

107. *comites in f. libelli.* Breves significat [1].

1 *Breves*, expone acta notariorum, et vide hac voce Dufresnium. Sch. — *Brevium* vocabulum est maxime πολύσημον, unde nec dubitari potest, quin Notariorum acta iis contineantur. Sic sane accipi debet Lamprid. in *Alex. Sev. c.* 28 referens, *eum notarium, qui falsum causae brevem in consilio imperatorio retulisset, incisis digitorum nervis, ita ut nunquam scribere posset, deportasse Imp.* Sed ea significatio huc prorsus non facit, nec de ea somniare quidem Schol. potuit, cum de Caussidici libellis agat Satyricus. Hi autem libelli continent quidquid scripto compositum ad causam sive actoris sive rei agendam, fasciculo comprehensum, secum in iudicium adfert advocatus, quo nomine hoc tempore venit, qui ante causarum orator appellari consuevit.

108. *Ipsi magna sonant.* *Deest scilicet, quod divites se esse dicant, praesentibus creditoribus suis.*

110. *Qui venit ad dubium.* Cautionem habens multorum temporum. Creditorem argentarium significat, qui instantius debitum petit, si debitor ei coeperit esse suspectus [1].

nomen. *Debitum. hoc est, cum dubium est nomen in legendo; ex quo significat olim eum esse de victorem [2].*

1 Duae sunt gl. quarum prima explicat, quare *dubium* sit vocatum nomen debitoris, altera *creditoris* nomen excutit, utraque in eo reprehendenda, quod nimis ad certas species divergat, nempe *dubium nomen* simpliciter est pro litigioso et quod in controversiam venit, id quod multis ex rationibus fieri potest; *creditor* autem actorem quemlibet notat et exactorem nominis, sive is argentarins sit, sive alius. Laborant igitur interpretationes hae, non tam rei ignorantia, quam intempestiva eruditione.
2 Lego, *esse debere victorem,* sed quod de superiore dixi gl. etiam in hanc alterius Interpretis quadrat. Ceterum in ipso hoc Poetae loco explicando mire aut trepidant aut allucinantur etiam recentiores commentatores plerique omnes. Comparat lucrum caussidicorum et eorum, qui publicis voluptatibus servitium praestant: horum magnum, illorum parvum esse lucellum. Et olim quidem ex L. Cincia qui causas orabant donum munusve capere plane prohibebantur, a qua severitate quanquam remissum fuit paulatim sub Imperatoribus, ipsum tamen advocationis lucrum ad certam eamque non adeo grandem pecuniae summam redactum est, de qua vide Tacit. *Ann. XI,* 7 et Brummer. ad *L. Cinc. c.* 4. Haec autem munera, etsi per se non adeo magna, nec consequi fingit caussidicos, nisi insigni laterum contentione, unde *magna sonare* eos dicit, eaque contentione tum in primis opus esse, quando in causa agenda ipsae praesto sint, quarum litibus praesint, partes, sive actor ipse, unde *Creditoris* vocabu-

lum, sive reus, qui defensorem suum multo adhuc magis premere amissaque caussa tenacior soleat esse, quam actor caussa cadens. Frustra igitur sunt, qui in verbis: *Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen*, creditorem actoremque intelligunt, cum sit intelligendus debitor ac reus, *acrior illo* scil. creditore, qui praecessit; quae sane pictura σαφῶς est hausta ex vulgari hominum ingenio. Dixit autem debitorem reumque *venire ad nomen* prorsus eadem ratione, qua eundem *ad vadimonium venire* dixit Cicero pro *Quint. c.* 16, et Seneca *ep.* 8 advocatum *ad vadimonium descendere*. Verum haec, cum mage ad illustrationem ipsius Iuvenalis pertineant, quam ad Schol. enucleandum, in praesenti praestat aliis relinquere altius examinanda deducendaque.

111. *Tunc immensa.* * Garrulitatem et superbiam advocatorum ait. *

folles. Buccas dicit.

112. *Conspuiturq. sinus.* Propter fascinum verborum [1] ter sibi in sinu spuunt, et videntur fascinum arcere. ut Persius de matertera. vel, incipiunt multa sibi promittentes, in sinum spuere, vel alloquendo [2] multum spuunt.

1 Addit Valla: *Quia homines sibi non promittunt prospera propter fascinum.* nos potius Vetussiss. exemplaris nostri auctoritatem sequimur. Pith. — Etiam a Sg. absunt ista, quae tamen nihil in se habent, cur reiicienda sint, si post *prospera*, στιγμὴν ponamus. 2 Lege, *vel a loquendo*. Sch.

114. *pone Lacernae.* Nomen aurigae abiecti; ex colore Russatus. Lacerna sub Domitiano auriga fuit [1].

1 Lege, *Lacernae, nomen aurigae abiecti. Russati, ex colore. Lacerna sub Domitiano auriga*

fuit. MS. cod. addit voculam, et legit, *auriga fuit russatorum*. Sch. — Henn. *russati* emendaverat. inde hi motus frustranei.

115. *pallidus Aiax*. Aiacem pro recitaturo posuit advocato. Hic vero Aiax auriga non ictilius temporius [1].

1 Non est difficile coniectare, *nobilis illius temporis*. Sed quod ait aurigam quendam Aiacem nomine hoc loco tangi, fides penes auctorem esto. Rutgers. *l. c. III*, 17. — Lege, deleto asterisco, *ICt. illius temporis*. Henn. — Legendum, *posuit advocato hic. Verus Aiax Graius, non ICtus illius temporis*. Sch. — Ita hercle e quolibet fieri quidlibet potest. Quid si transponamus, ut scripserit: *Hic vero Aiax non auriga, sed ICt. illis temporibus*. Fabricius in ora emendavit *ignobilis illis temp*. Post *non*, Pith. asteriscum ingesserat.

116. *bubulco*. * Rustico [1] *.

1 Recte, mea opinione. falli enim opinor, qui ad C. Attilium Bubulcum aut C. Iunium Bubulcum referunt, quorum tempora nimis sunt remota, quanquam videam id etiam fecisse Fornerium, ICtum magni ponderis, *Selection. II*, 23. Nec adstipulor Interpretibus hoc loci omnibus, qui verba, *dicturus dubia pro libertate bubulco iudice*, de iudicio liberalis causae accipiunt, quae sane gravissima habebatur, nec nisi apud summos magistratus disceptabatur, quos hic indicari volunt, dum poeta ait, rem actam esse praesentibus *ducibus*. Mihi vero contra sedet, σατυρικῶς hic elevari causam tenuissimam, quae ea propter coram Ducenariorum decuria agitaretur, quam Augustus, ut de levioribus summis iudicaret, teste Sueton. in *Aug*. c. 32. instituit, quaeque minimi census erat, ut facile in eam irrepere potuerint rustici. Hos satyrice *Duces* vocat, allusione facta ad nobilissimum procerum Graeci exercitus iudicium, et cum causa Aiacis comparat miselli debitoris de misella pecunia debita arbitrium, ut ad quantas di-

vitias advocatis spes detur, eo apertius in oculos incurrat. *Libertas* igitur non est illa a servitute exemtio, sed a debito liberatio, et centies in iure nostro *liberari* dicuntur debitores, pignora, caet.

118. *Figant. vir. scal.* Stationum scilicet, ad instar gladiatoriae. Scalas, armariola advocatorum, vel, ut quidam, caseae [1] et stationes. Cicero in Corneliana, *Conrepsit*, inquit, *in scalas.* Armaria nam advocatorum apud Veteres, scalas habebant.

1 Legendum esse *casae,* quod et Henn. in textum recepit, nemo non videt, ut et, quod de *armariolis* dicitur, non esse huius loci. Quod autem ex Corneliana adducitur e deperditis Ciceronis videtur esse. Aliter vero haec legisse oportet Vallam in suo Probo, qui sic habet: *scholar gloria, quia apud Veteres advocati scholas haberent et armariola, in quib. palmae praefigerentur, velut quaedam stationes. quod Sisenna* (m) *intellexisse volunt, quum in Corneliana, Correpsimus, inquit, in scholas.* Sed Sisennam Orationes scripsisse nusquam legi.

119. *siccus petasunculus.* Vocabulum piscium salsorum.

120. *epimenia.* Graece dixit. Nam Latine menstrua dicuntur dantium [1].

1 Hoc etiam verbi exstare in Eclogis Polybii de Legationibus, Scaliger noster admonuit. Illud miror non animadversum ap. Io. Cassianum *lib. IV. Inst. c.* 22 eadem forma *Menemeniana* dicta, quae in singulos menses, aut potius de mense in mensem, ut ita dixerim, parantur. *Epimenia,* quae ad mensem unum. Quod sequitur de *solido* et *quintis*, valde notandum, meliore otio eget. Pith. — Pro *dantium* lege *discentium.* Munck. ad *Fulgent. p.* 142. — Lege, *dicuntur donativa.* Isidorus in Glossis,

Epimenia, *senia*, *quae dantur per singulos menses*. Legendum *xenia*, quod vocabulum sine dubio ex hoc Iuven. loco hausit; ex Isidoro vero Papias, *Epimenia*, *exenia*, *quae dabantur per singulos menses*. Glossar. MSC. Latinum, ex Papia, Nonio, Servio, quod olim fuit in bibliotheca Menteliana, *Epimenia*, *ensenia*, *quae dabantur* per singulos menses. Aliud antiquissimum ex eadem, *Ephimenia*, *Senia*, *quae dantur per singulos menses*. In Papia nihil muto. Vox *exenium* ultimi aevi est, ut demonstravit Dufresnius. Sed in Glossis priorib. *exenia*, in posteriorib. *xenia* legerim, et adeo in Int. Iuvenalis, *nam a Latinis menstrua dicuntur xenia*. Sch. — Ianuensis ita, cum additamento, *Epimenia*. *epi componitur cum mene, quod est defectus, vel lunae, vel mensis, et dicitur pluraliter haec epimenia, niorum. i. e. expensae, vel exenia, vel tributa, quae dantur per singulos menses post defectum lunae. i. e. post novilunium*. MS. tamen habet *xenia* non *exenia*.

121. *Tiberi devectum*. Non transmarinum, id est, cibarium [1].

1 Lege, *Bulbi*, *id est ciparium*. Possis etiam legere, *cichorium*. *Tiberi devectum*, *non transmarinum*. Sch. — Dixit *cibarium* pro cibo.

122. *Si quater egisti*. Id est, pro quatuor actionibus unum solidum.

123. *pragmaticorum*. Iurisperitorum, qui negotiales [1] causas agunt.

1 Hoc quid sibi velit, disce e Papia. *Negotialis*, inquit, *constitutio est*, *in qua*, *quid iuris ex civili more et aequitate sit*, *consideratur*.

124. *Aemil. dabitur quant*. Qui hoc pacto quintas acciperet in pretio consiliatorum clientum [1].

et melius nos. Pauperes scilicet.

1 Scribe, *in precium*, vel potius, *de precio consul-*

sultorum clientum. Vides in Juven. legisse Schol. *Aemilio dabitur quintum ut petet*, ut sensus sit: Tu quater egisti, et vix unum aureum extorsisti, quum pauper sis. Venit Aemilius, nobilis caussidicus: ille quintum agit, nec satis bene, et accipit quantumcunque poscat, quia scil. tria nomina habet; ut alibi loquitur. Sch. — *In precium* Henninii est et *consultorum* adoptionis lege suum facit Rupertus. Nobis alia sedent, nec diversam lectionem in suo habuisse Scholiastam credimus, persuasi, transpositis verbis, glossema ita constituendum esse: *Consiliatorum clientum, qui hoc pacto quintas acciperent*, et pertinere ad vs. 123. Interpretatur vocem *pragmaticorum*, hosque non male *consiliatores clientum* vocat, qui *in precio*, h. e. ex illo aureo uno, in quinas partes diviso, acceperint quintam, quatuor manentibus ipsi caussidico, pro quatuor actis caussis. Quod si ad Juvenalem commentaremur, parum abest, quin tentaremus:

Aemilio dabitur quantum licet. At melius nos
Egimus. Huius enim caet.

hoc sensu, ut verba: *Aemilio* ... *licet* sint poetae narrantis, illa vero: *At mel. nos égimus*, exclamatio pauperculi caussidici, cui respondeat Juvenalis: *Huius enim.* Et satis frequens est τὸ *enim* in respondendo, ut supra *Sat. III*, 208 et *VI.* 179.

128. *et statua meditatur.* Cuius oculus introrsus cedit [1].

1 Haec, quomodo ex forma oculorum, in statuis obvia, explicanda sint, dixit lumen olim illud Germaniae nostrae Lessingius in *Menstruis Berolinens. a.* 1788 *p.* 600 *sq.*

130. *magno c. rhinoceronte.* Id est, magno gutto. quod, sicut Rhinoceros, ingentis sit nasi [1].

1 Recte emendateque legitur, *quod, sicut Rhinoceros, ingentis nasi.* Nasus est orificium, quod e gutturnio erat exemtile. Charta Silonis regis Ove-

tensis in Hispania a. Chr. 777. apud Sandovallium, memorat *calicem argentum et patenam, cum aqua manili et cum suo naso.* Dufresnius male emendat *Vaso*, quod incongruum esse, vel hic locus docuerit. Adde porro C. Barth ad *Theb. Statii* 11, 14. Sch. — Nimirum omisit cum Henn. voculam *sit*; sine causa, cum sive adsit, sive desit, idem sit verborum sensus. *quod* est pro *quia*, nisi malis pronomen esse. Nam et Papias *guttum* neutro genere exhibet et masculino. A Sg. abest haec gl. cum binis insequentibus. Aliam autem longe habuisse videtur Januensis, ap. quem haec lego in v. Rinoceros: *dicitur quoque pro virili membro, quia rigeat, vel quia sit unicorne, instar rinocerontis; unde Juvenalis, et magno cum rinoceronte lavari.*

134. *stlataria purpura.* Illecebrosa. Ennius,

Et melior navis, quam quae stlataria portat.

Id est, multisonalis, quae vulgo dicitur Batalaria [1].

1 Quae sit *batalaria* vide ap. Dufresnium hac voce. Sch. — Glossa ipsa non unius auctoris esse videtur, quorum alter *stlataria* interpretatus est illecebrosa, alter, doctior illo, vim verbi a nomine stlatariae navis deduxit, adscito versu Ennii, quem frustra in Fragmentis Ennianis a Columna ac Merula collectis quaeras. In illo autem Ennii versu, quem, puto, rectius sic interpunges,

Et melior, navis quam quae stlatoria portat,

Hennin. rescripsit pro *navis*, quod Pith. recte habet, sine sensu *natus*, quod deinceps alii securo repetiverunt. De eadem nave Glossae Isidori, sed corrupte, *Stlataria, vestis piratica.* legendum et distinguendum: *Stlataria navis, piratica.* Noster interpres omnino latius cepit, pro quovis bellico navigio, quae vera esse videtur significatio verbi *Batalaria*, vel *Battalaria*, quam non adsecutus est Dufresnius, et ea quoque fortasse ratio est, cur *multisonalem* vocaverit, qua voce potest

ditari idem Cangius. Quod autem alter Interpres *stlatariam purpuram* interpretatus est, *illecebrosam*, cohaerere videtur cum illa Gl. graeco-latina: *Stlatarius*, ἐργόμωνος, si verum est quod Vossius in *Etym. h. v.* putat, *stlatam* etiam fuisse navem ad onerandas alias naves comparatam, quales nos Lichter vocamus. Caeterum ad hunc quoque Juven. locum, ut saepe, respexit Papias: *Stlata, inquit, genus navigii latum., et a latitudine dictum. inde stlataria purpura, id est, marina, vel navis piratica*, ubi ultima verba, *vel navis pir.* male ad finem reiecta, post *dictum* inserenda videntur, purpuram autem stlatar. quando *marinam* interpretatur, transmarinam vult, adeoque peregrinam.

143. *Togati ante pedes.* Togati, nominativus est pluralis, ut sit sensus: An togati sint tibi ante pedes, qui litigent, qui te consulant [1].

1 Valla: *consultent.* De sequentibus Juvenalis verbis, iam ante Casaubonum, quem producunt alii, scitissime egit, qui omnia scite, Cuiacius ad *L.* 194. *Dig. de Verb. Sign.*

154. *cambre repetita.* Proverbium de Cambra et Anatho [1] omnibus tritum, cum nihil sibi tam fuisse cognitum significare voluerint. tractum a nimis frequenti relatione historiae, sive fabulae, ab aliquo tum scriptae.

1 Scio haec a Politiano derisa quondam, nec tamen contemnenda putavi. Pith. — Henn. ad mentem Politiani *Miscell. c.* 33 pro his, *de Cambra et Anatho*, posuit graecum proverbium, δὶς κράμβη θάνατος, eumque plerique ideo laudant, sed praeter rationem mentemque eius Schol. qui, quod in Juvenale suo invenerat, a nomine fabulae deduxit, sive titulo historiae frequenter relatae. Vt autem, quae de h. l. sentiam in aperto sit, haec accipe. Scripserat procul dubio Juvenalis *crambe repetita*, ut

concinne animadvertit primus Politianus, eamque lectionem, qua erat eruditione illustraverat vetustissimus Poetae Interpres, sive is Probus nomine fuerit, sive alius, his verbis: *Proverbium Δὶς κράμβη θάνατος, omnibus tritum, cum nihil sibi tam fuisse cognitum significare voluerint* (Henn. *voluerunt.*) Insederat interim Juvenalem prava leetio *cambre*, quae etiamnum plerosque omnes MSS. Codd. etiam Hafniensem, occupat, in quo *Cambrae* aperte extat. Eam secutus alter Scholiasta, graeci sermonis ignarus, et propter similitudinem literarum utriusque linguae Graeca pro Latinis habens, ex istis exsculpsit *de Cambra et Anatho,* et ne nescire videretur, quid illud nihili sit, de suo iecore adiecit, *tractum a nimis frequenti relatione historiae sive fabulae ab aliquo tum scriptae,* quod deinde, post Calderinum a Politiano refutatum, rursus, sed infido auctore, tueri incepit Scopa *Collect.* 11, 2. ap. Gruter. in *Lamp. Crit. T.* 1. Esse autem illam lectionem *cambre* antiquissimam, nec minus vetustam secundi Int. explicationem fictitiam, vel Papias testis est, qui ad h. l. alludens, scripsit: *Cambre, nomen fabulae.* Similiter in Hafniensi ad vocem *Cambre* in glossa interlineari legitur interpretationis vice, *fabula.* Eandem propterea in textu dare constituerat Pithoeus, sed operariis non audientibus re ipsa *crambre* excusum habet.

159. *Scilicet arguitur.* Id est, quid magister peccat, si tu cor non habes.

160. *Arcadico.* Asino, ac per hoc stulto, hebeti [1].

1 Burmann. ad *Anthol. Lat. II, p.* 454. e Vossiano Cod. hanc gl. adfert: *Arcadici vocantur magni Asini, quales sunt in Arcadia; unde in Ambigenis legimus: Mulus ab Arcadicis et equina matre creatus.*

162. *an petat Vrbem.* Id est, deliberativa eius, quam recitat.

163. *an post nimbos et ful.* Cum a tertio ab Vrbe lapide castris positis, fulmine territus, eo quod propius accederet [1].

1 Scribe, *Tum a tert.* id est, quia contra Numinis voluntatem propius Romam accesserat. Vel lege, *ne qua prop. acced.* sensu prono. Sch. — Henn. pro *Cum,* dedit Dum. Sed nulla omnino emendandi necessitas, si quis stilum glossarum attenderit.

164. *Circumagat.* Retroducat ad Africam.

165. *Quamtumvis stipulare.* Proroga [1], quantum tibi dem.

1 *Proroga* elegantissime usurpatur de emtione, quae rogando et respondendo contrahitur, ut iubeatur venditor ita rogare pretium, ut possit eidem detrahere. Hinc venditores olim dicebantur *prorogatores,* quomodo *prorogatores tritici, casei, vini* ap. Cassiod. *lib. X. ep.* 28. legimus. Sch. — Vellem probasset, quae dixit vir doctus. Contra enim iuris disciplinam est, rogandi et respondendi vim Emtioni tribuere, cum sit própria Stipulationis. Prorogare, quasi contracte, loco proërogare, est, cadente aevo, quod promissum est in antecessum dare et hac ratione ad omnes contractus pertinere potest dationes. Ita *sumtus prorogare,* in *L.* 53. *D. de pact.* et *evectiones prorogare* in *L.* 12. *C. Th. de cursu publ.* et apud Cassiod. *prorogatores tritici vini et casei* non sunt venditores, sed erogatores et procuratores annonae publicae.. Bene Vet. Int. Persii Sat. II, 59. *prorogatores dicti dispensatores.* Cf. Steweeh. ad *Veget. IV,* 7. et Pignor. *de Serv. p. m.* 308. Sed *prorogare* et *praerogare* centies in libris confunduntur et paene promiscui usus sunt. Praerogare autem nativo sensu est ante rogare, quod superest in formula *tribus* et *centuria praerogativa.* Jam Stipulationis haec est natura ut prior roget stipulator, deinde spondeat promissor, hac que significatione *proroga* dixit Schol. nisi reipsa scripserit *praeroga,* interpretaturus illud stipulare ap. Juvenalem.

167. *Vel plures.* Omnes scilicet professores.

conclaman. * Scientiam dandam *.

168. *Et veras agit. lites.* Cum mercedes reposcunt. alii exponunt, transeundo ad causas, relictis controversiis scholasticis.

raptore relicto Fusa ven. Themata, quae in auditoriis recitantur deliberativarum et controversiarum. ut, si uxor venenum triverit, maritus recipiat oculos [1], etc.

1 An potius, *marito, ut recipiat oculos.* Pith. — Legendum est, *deliberativarum controversiar. ut si ux. ven. triv. maritique capiat oculos*, nisi tamen alia aliaque controversia indicetur. Sch. — Et hoc verius videtur. Paullo plenius Sg. *Themata huiusmodi, si uxor* caet.

171. *dabit ipse rudem.* * Desinat docere *.

172. *diversum iter.* Alia qualibet.

173. *Ad pugnam.* * Ad militiam *.

qui rhetor. d. ab umbra. Esse nam Academiam sectam, quae rhetoricam in se continens militiam [1].

1 Divido et lego, *Ad pugnam, In se natum*, nisi tamen malis legere, quod mihi etiam videtur, *E scena in militiam. Ab umbra, Academica secta, quae Rhet. in se continet.* Sch. — Forte legendum, *Isse dicitur* ad *Acad. sectam, quae in se Rhetor. contemnit militiam.* Archaintr. — In eodem luto, uti plerumque, Sg. quoque haeret. Pith. post *Esse* stellulam locavit. Quid si scriptum fuerit: *Esse relinquendam ...... contineret milit.*

174. *Summula.* Ne annonam perdat. sic mola medium significat gradilis panis [1].

1 *Summula modum signif.* Sic omnino legendum,

non, *sic mola medium.* Cuiac. *Observ. XXVI*, 17. — Lege, *Summola modum sign.* Rutgers. *l. c. I*, 16. — Suaviter nugatur interpres vetus, qui *summulam* exponit, *ne annonam perdat. Simola medium significat gradilis panis. Sumolam*, vel *sumulam* vocat, quam veteres *similam*, unde nos dicimus, *semoule.* quod autem eius aetate panes vulgo distribuerentur; putavit sic semper fuisse et *tesseram frumenti* apud poetam, pro panaria tessera accepit. Salmas. ad *Vopisci Aurel. c.* 35. — Henn. vestigia Salmasii legens, sed propria, at falsa orthographia usus, *Symola medium sign.* edidit. Iuepte, nisi omnia fallunt. Quid enim hic *simila* (quam nusquam *sumulam* aut *sumolam* aut *Symolam* scriptam reperio) h. e. similago, quae lautiorum hominum fuit, pistori apta et coco, ut canit Martialis? cum poetae sermo sit de tenuissima caussidicorum mercedula, et frumento *vili.* ad vocabulum enim *frumento* hoc epitheton referendum est, non ad vocem *tessera.* Praeterea, nec quid *medium* gradilis panis sit, intelligi recte potest, ut adeo reiecta Salmasii emendatione, interim praestet Cuiacianam sequi, quae et Rutgersio in mentem venit et probata est Jac. Gothofredo ad *L.* 2. *C. Th. de annon. civic. XIV*, 17. Sed ut verum fatear, nec quid *modus panis* sibi velit, satis perspicio, aut qua ratione esse possit interpretatio τοῦ *summulae*, apud poetam. Quare rem certam mihi docere videor, si pro vitiosis illis, *sic mola medium*, scripsisse Interpr. dicam, Summula, *modicum significat gradilis panis*; aut, si mavis, *modicos sign. gradiles panes.* Constat enim, ex quo tempore, loco frumenti, distribuerentur popello panes gradiles, hos et diversi ponderis et diversi adeo generis fuisse, alios lautiores, alios minoris pretii, quos *Secundos* panes vocat Horat. *Epp. II*, 1, 123. et *caninos* Noster supra, *Sat. V*, 11. quo pertinet Valentiniani Senioris Constitutio, distinctionem faciens inter *panes sordidos* et *buccellam mundam, in L.* 5, *C. Th. de ann. civ.* De panum diverso genere, prae ceteris docte egit Guil. Budaeus *de Asse Lib. V. p.* 468 *sqq. edit. Colon.* 1528.

176. *Chrysogonus quanti doc.* Per diversos vadunt magistros, ubi vilius possint studere, tentantes.

177. *artem scindens.* Dividens.

178. *Balnea sexcentis.* Balneas [1] et porticus aedificant, ubi gestentur, ne eos pluvia contingat, et mercedem pro filiis suis dare non possunt.

1 Non damno *balneas*, cum sic dixerit infra etiam ad vs. 233. non possum tamen, quin scriptam lectionem *balinea* habere dicam. Sch. — De suo Juven. Codice loquitur, qui, inter alia scholia, etiam Pithoeana quaedam habuit. Post *contingat* Henn. *et* omisit, quod potius in *at* erat mutandum.

180. *spargatque luto.* *Ne inquinent [1] pedes animalia de luto*.

1 Leg. *Et inquinent.*

181. *Hic potius.* *In porticu*.

183. *rapiat coenatio.* Solaria in superioribus hiemalia, marmoribus et columnis ornata.

184. *qui fercula docte.* Structura, ut cocus [1].

1 Palam est legendum esse, *Structor aut coquus.* Papias, *Structor dicitur incisor carnium, vel infertor.* Non intelligitur h. l. posteriori significatione ὁ τραπεζοποιός, quem Graeci vocant, sed priori, *scindendi obsonii magister*, ut Senecae nuncupatur. Sch. — Scite, et longe aptius quam quod Henn. dedit, *Structurus ut coquus.*

186. *Hos inter sumptus.* *Cum illis tantum daretur, oratori exiguum dat*.

188. *Constabit patri.* *Id est, parvo sumptu constant filii*.

unde igitur tot. Anthypophora. Vnde tantum possidet Quintilianus, si parum accepit?

189. *exempla novor. Fator.* Contingit, ut unus sit fato felix, rhetor vel orator.

192. *Adposit. nigrae lun.* Patricius [1] Senator est, lunula nam adsuta calceis discernuntur patricii a noviciis.

1 Verbum *patricius* ad vocem *nobilis* pertinere videtur, ut duplex gl. sit.

194. *Et si perfrixit.* Infrigidatus fuit [1].

1 Potest tolerari lectio. Sed *infrigdatus* magis velim, quo passim utitur Alexander Jatrosophista. Sch. — E Cangio hausit. sed inter *infrigidare* et *infrigdare* nihil interest, imo illud magis analogicum.

195. *Sidera te excip.* *Interest enim fortunae, quae [1] non prout meretur quisquam, ab eadem excipitur*.

1 Leg. *quia.*

196. *a matre rubent.* Mox ut natus fueris.

197. *de Rhetore.* *Ad Consulatum perducit*.

198. *Si volet haec.* *De Consulatu ad Oratorem*.

199. *Ventidius quid enim?* Ventidius ex munitione [1] Caesaris Dictatoris fuit, ut Tullius in Epistolis et in Philippicis loquitur, opitulante Antonio Augusto usque eo provectus est, ut ei crederetur Parthicum bellum.

1 An, *ex mulione?* et paulo post, *Antonio et Aug.* Ventidii huius mentionem reperio in Epistola qua-

dam Bruti apud Ciceronem. PITH. — Leg. *ex mulitione.* Mulitio, pro cura mulorum. Adiicit *ut Tull. in epist.* recte. nam Cic. *Fam. X.* vocat *mulionem.* Mox subiungit Schol. *opitul. Antonio Aug.* accipit autem *Augustum* pro Octavio. nam tum Octavius nondum Augustus. D'ORLEANS. — *Mulione* lege, ut recte dixit Pithoeus, non cum Aurelio *mulitione*, quae vox nauci est. SCH. — Heinsius tentabat, *ex mutatione Caesaris Dictator is fuit*, addit enim Glossator, Parthicum bellum ei creditum fuisse. Ego conieceram, *ex mulione Caesaris Dictator fuit*, ut Caesaris mulos antea curaverit, et ab eo Consul factus atque in bellum Parthicum missus fuerit. vel, *Ventidius ex mulione, Caesaris dictator is fuit.* ut *Caesaris dictator* sit, qui *Caesaris legatus* dicitur ap. Jul. Caes. *de B. G.* 26. 11, 34. vel cum Cel. Oudendorpio statuendum in vulgata lectione *Dictatoris fuit*, excidisse *Cos.* adeo ut fuerit *ex mulione Caesaris Dictatoris Cos. fuit.* BURM. ad *Anthol. Lat. T. I. p.* 307. — Legatum, nomine Dictatoris venire posse, contra omnem vetustatis morem esse videtur, contra nihil certius correctione Pithoei, modo recte intelligatur. *Ex mulione Caesaris Dictatoris* prorsus Latine dicitur Ventidius, ut qui olim mulio fuerit, ea rat. qua *Ex Consule* dicitur et *Ex Praefecto Praetorio*, qui Consul fuerit aut Pr. Pr. Caeterum loca Ciceronis, quae commemorat Int. indicat Ernest. in *Clave Cic.* aliorum autem scriptorum diligenter Harduinus ad *Plin. H. N. VII*, 42.

quid Tullius. [1] Is captivus in urbem perductus, postea triumphavit.

1 In Henniniana haec gl. male refertur ad voc. *Ventidius.*

200. *potentia fati.* *Id est, fortuna faciente ad hoc provenerunt.*

201. *Servis regna dab.* Servium Tullium et Ventidium significat.

202. *Felix ille.* Quintilianus.

corvo q. rarior albo. *Cur [1] hoc contingit rare, ut albus corvus non potest inveniri.*

1 Leg. *Cum hoc.* vel scrib. interrogative: *Cur hoc?*

203. *Poenituit.* *Oratores.*

204. *Sicut Thrasym.* Rhetoris apud Athenas, qui suspendio periit.

206. *Nil praeter gelid.* Socrates [1] veneno periit, cum fugeret paupertatem.

gelidas. Mortiferas. mors enim frigida est.

1 Lege, *Sec. Carinas veneno per.* Nemo de Socrate prodidit, paupertatis causa eum periisse, omnes Anyti scelere. Sed, quia de cicuta incidebat mentio, qua tamen reos quoscunque moris erat Athenis exstinguere, ad Socratem applicuerunt ex tempore librarii, cuius historia ipsis erat notior, ut mirer Grangaeum sequi inemendatam lectionem potuisse. Sch.

208. *Spirantesq. crocos.* Notandum, quia masculino genere dicit Crocum, ut Virgilius:

crocumque rubentem.

Sallustius dicit neutro, *In qua crocum gignitur* [1].

1 Locus Virgilii est *Georg. IV*, 182. Sallustii ex deperditis Historiarum libris, ut Servius refert, e quo doctrinam suam hausit Noster.

210. *iam grandis Achilles.* *Id est, Chyronem timebat Achilles.*

212, *citharoedi cauda.* Chironis.

215. *Sed Rufum.* Qui Gallus fuit, et valde disertus.

caedit sua. *Oratores caedunt discipuli sui.*

214. *Allobroga dixit.* Allobroga, Gallia [1].

1. Hennin. *Allobrogam e Gallia.*.

216. *Quantum grammaticus.* °Non igitur, inquit, tantum mercedis consequuntur grammatici, quantum labor eorum exposcit.*

218. *Discipuli custos praem.* Eunuchus paedagogus, aut, communi carens sensu. proprium papatis [1].

1 Melius, *Papae.* Marcil. ad *Pers. Sat. III*, 17. — Schol. vetus, quando exponit, *communi sensu carens*, legit, *acoenonoetus*, ut exprimat Gr. ἀκοινονόητος. Membrana et vett. edd. *acenetus* praeferunt, quod, quid verbi sit, enarratores explicare nondum potuerunt. *Proprium Pappatis* ait esse Scholiasta. *Proprium*, τὸ κύριον, neque mutandum quicquam, etsi fecerit Marcilius. Consule Dufresnium voce Papas. Sch. — Locus est Poetae, si quis alius difficilis et paene depositus, ad quem non habeo quod afferam novi. Scholiasten apparet duplicem proponere explicationem, ex diversa credo lectione, quarum altera, quod in nodo est verbum, proprium nomen Eunuchi cuiusdam paedagogi esse declarat, altera ex origine vocabuli rem tangens, indigitari ostendit hominem communi sensu carentem, et suspicioni locum facit, interpretamentum esse lectionis *acoenonoetus*. In Hafniensi est: *acoenetus ipse*, quod et alii Codd. habent, ut videre est in Excursu Ruperti, ad h. l. ubi varietas lectionis refertur. Eam

augeri posse verbo inaudito *aceronitus* prima specie putabam, cum apud Januensem sic scriptum deprehenderem: *Aceronitus, qui nulli communicat*, quae quin Juvenalem respiciant, nemo dubitare debet. Ipsa tamen eius verbi interpretatio satis certum facit, mendum subesse, et *acenonitus* legi debere. Quod denique ultima Schol. verba, *proprium papatis*, attinet, equidem scio ea a plerisque ad priorem interpretationem referri, et *proprium* de Nomine proprio paedagogi vulgo accipi, sed parum feliciter. Separatam potius gloss. constituunt et trahenda sunt ad verbum *praemordet*, hoc sensu: Verbum *praemordere* proprie et accommodate de papa, seu *papate*, ut solebant loqui ruente in peius sermone, usurpari. Nimirum, qui haec scripsit, memor fuit eorum, quae *Sat. VI*, 633 legerat: *Praegustet pocula papas*. Eodem sensu *praelambere* Horat. *Sat. II*, 6, 109. dixit.

219. *Et qui dispensat.* Et qui erogat, de eadem sorte tollit sibi.

221. *Institor hibernae tegetis.* Negotiator, qui pro qualitate temporis mercem suam distrahit. Sic Terentius:

scisti uti foro.

niveique cadurci. Cadurcum quidam cucullum dicunt candidum, propter hiemes et nives comparatum; alii, tabernaculum aut tentorium dixisse [1] quibus merces suas protegere consueverunt. Hibernae autem tegetis, est aedificii frigidi. Virgil.

qualis ob hibernam Lyciam.

1 Lege, *poetam dixisse contendunt*. Achaintr. — Scil. vocem *dixisse* duabus stellulis circumscripsit Pith. unde alter Gallus, illo stomacho fortior, novum caput novamque caudam trunco corpori addere

laboravit. Modestior Henn. qui *dixere* vulgavit. In Sg. rectius *dixisse* abest. De *Cadurco* supra *Sat. VI*, 537. Notissimus Terentii locus est, *Phorm. I*, 2. 29. Virgilii, *Aen. IV*, 143.

223. *nemo faber.* Ferrarius.

224. *Qui docet obliquo.* Aut lanarius [1].

1 Lego, *ut lanarius.* De lanario iterum adde Dufresn. SCH.

225. *Dum modo.* *Vigilasti a media nocte*.

olfecisse lucernas. Cum quibus nocte veniunt ad grammaticos, ut lectiones accipiant.

227. *Flaccus et haer.* Codex Horatii et Virgilii, in quibus legebant. quia et Horatius et Virgilius nigri coloris dicuntur fuisse. Ideo diasyrticè [1] dixit detrahendo.

1 Male *diasytrice* nunc editur. (ab Henn.) *diasyrtice*, διασυρτικῶς. supra *figura diasyrtica.* SCH. — Adde, si placet, Januensem.

229. *sed vos.* Rarae sine lite magistris redduntur merces. Sed enim vos, o Tribuni, duras conditiones magistris imponite, ut et sine vitiis loquantur, et omnes historias et poetas teneant, et quacumque sint hora [1], etiam de rebus exiguis et impossibilibus statim respondeant.

1 Lego, *et quac. quaesiti sint hora.* SCH. — Henn. *sit.* Erat cum legerem, *assint.*

233. *aut Phoebi aa baln.* Privatae balneae quae Dafnes appellantur.

224. *Nutric. Anchisae.* Tisiphone.

nomen, patriamque. *Duras et exquisitas causas.*

237. *Exigite ut mores.* *Bonos mores ut habeant filii ipsorum a magistris exposcant.*

240. *Ne faciant vicib.* Ne se corrumpant.

241. *Observare manus.* Ne praeputia ducant.

242. *et cum se vert. an.* Haec exposcunt a magistris, *ut etiam mores eorum corrigant, et ne turpiter vivant aut corrumpent se,* et post haec omnia unum solidum accipient.

243. *victori populus.* Vt in theatro solent petere quinque aureos [1]. Nam non licebat amplius dare.

1 De quinque aureis vide Lipsium ad Tac. Ann. I, 83. et Salmas. ad Solin. p. 911. Sch. — Add. Domin. Georgi *de locatorib. scenicor.* in Gorii *Symb. litter. Vol. II.*

IN SATIRAM VIII.

DE CLARITATE NATALIUM.

In eos qui maiorum suorum nobilitate confisi, nimis se iactitant, cum ipsi nihil suae virtutis ostendant.

1. *Stemmata.* Stemma est generis ordo, ut gradus [1].

1 Lege *aut gradus.* Scн. — Sic quoque Bynkersh. *Obs. V*, 10. exemplis ostendens gradum pro linea et ordine poni, quod idem iam ante docuerat Brissonius.

3. *maiorum.* * Id est, avorum. *

5. *nasoque carentem.* Vetustate picturae ita effectum: aut quia breviorem nasum habuit.

tabula iact. cap. Imagine perpetua.

7. *multa cont. virga.* Multis fascibus, dignitate.

8. *c. Dictatore Magistr.* * In qua magister equitum et dictator est pictus. *

9. *Si coram Lepidis.* Ante imagines Lepidorum.

10. *alea pernox.* Per totam noctem si luditur. Virgilius:

Dura iacet pernox in strato [1].

1 Non de pernoctatione, sed de perseverantia sermo est *Georg. III*, 230. ubi ita legitur: *dura iacet pernix in strato*, id confirmat Servius loco Horatii. sunt tamen qui *pernox* legi voluere, Almelov. — Consule ibi Interpretes, qui varie sentiunt et edunt.

12. *Lucifero.* *Scipiones ab ortu quoque surgere.*

13. *Cur Allobrog.* Gallicis possessionibus, aut titulis victoriarum, aut aedibus.

14. *Natus in Herculeo Fab. lare.* Magna ara ad Herculem dicitur Romae, iuxta Circum Flaminium. Fabius ex genere Herculis.

15. et *Euganea.* Tarentina, Calabra, aut Veneta.

16. *Catinensi pumice.* Catina oppidum Siciliae. usque ad probra dissolutum notatur, ut et [1] Bibaculus:

Oste senex, Catinaeque puer, Cuna meretrix [2].

1 Citra dubium legendum, *unde et Bibac.* Wesseling. ad *Vet. Rom. Itiner. p.* 87. — Schr. et Henn. ediderunt, *ut et Bibac.* Sane etiam Sg. partim mendose, *ut et Vibalus.* 2 An potius: *Osce senex, Catinaeque puer, Cumana meretrix.* quem versum, aut ego fallor, aut memini legisse me inter meliores Servii reliquias, quas P. Daniel, amicus noster, vir optimus et erud. ex suis nostrisque exemplaribus pridem collegit et publico debet. Pith. — Versum Bibaculi Cod. MS. qui eundem refert, legit, *Tusce senex* et postea *Cymana meret. Cymana* pro *Cumana* scriptum. Vide doctos viros ad init. Valerii

Flacci. Scn. — Ad mentem Pith. ediderunt Schrev. et Henn. ille adeo, retento asterisco Pithoeano ante *Cumana.* In Servio frustra Bibaculi versiculum quaesivi, et forsitan est ut is lateat inter promissa, quibus ditare novam editionem promiserat P. Daniel, post infeliciter susceptam priorem. Vtinam vero exsurgat tandem aliquis, qui nobis purgatum locupletatumque det hunc Servium, omnium Scholiastarum Latinorum, post Asconium, doctissimum et utilissimum, absque quo esset, ut multa antiquitatis eruditae capita, in primis autem iuris pontificii et auguralis disciplinae, in quibus ille mihi omnium princeps esse videtur, prorsus ignoraremus. Patent in eam rem subsidia plurima, nondum excussa, ipsa quoque, ni fallor illa, quae secundae editioni comparaverat P. Daniel, translata post eius mortem in bibliothecam Bongarsianam et cum hac deinceps in Bernensem publicam, ubi huiusmodi multa me olim vidisse recordor, moerentem tum, tempore me excludi, quin diligentius inspicerem inque usuram verterem.

17. *traducit avos.* Dedecorat parentes suos.

emptorq. veneni. Ἀπὸ κοινοῦ.

20. *nobilitas sola.* * Id est, nihil prosunt parentum facta, nisi suae virtuti aut nobilitati [1] se ornaverit. *

1 Leg. *sua virtute aut nobilitate.*

21. *moribus esto.* * Nobilis moribus, ut illi factis. *

22. *Hos ante effig.* Mores tuos antepone virtuti eorum, et praecedant mores boni, fasces.

24. *Prima mihi deb.* Κατὰ κοινοῦ. debes animo bonus et iustus esse.

26. *Adgnosco.* * Id est, si honestus fueris, tunc te principem meae civitatis dicam, non si

imagines maiorum tuorum, ut [1] consulatus, ostendas. *

1 Leg. *aut consul.* perpetua est τοῦ *aut* et *ut* confusio in MSS. Sequentem gl. fateor me non intelligere.

27. *de sanguine rarus.* * Id est, quod tales vel visum habeat. *

29. *pop. quod clamat Osiri inv.* Tibullus de Osiri dixit,

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et cinerem ferro sollicitavit humum,
Primus inexpertae commisit semina terrae,
Pomaque non notis legit ab arboribus [1].

Populus Aegypti [2] invento Osiri dixit, εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν.

1 Tibulli locus est, I, 7, 29 sqq. ubi tamen editi et cum his Schrev. et Henn. pro *cinerem* habent *teneram.* 2 Jul. Firmicus in libello *de errore prophan. relig.* et alii. Pith.

30. *Invento.* * Vir bonus invenitur. ut [1] inpatienter et cum clamore appellatur. *

1 Lege, *invenitur ubi, impat.* transpositis, ut saepe, vocabulis.

31. *et praecl. nom. tantum.* * Non per se. *

32. *nanum cuiusd. Athlanta voc.* Vt cum indignus sit, maioris alicuius eum nomine nuncupemus: ut si *nanum* gigantem vocemus, κατὰ ἀντίφρασιν.

33. *Aethiopem cygnum.* Id est nigrum hominem, Aegyptium, cycnum voces, ut candidum.

34. *Europen.* Vt formosam.

36. *si quid adhuc est.* *Ostendit poeta, homines teterrimos hac re magna nomine habere consuere.*

38. *ne tu sis Cret. aut Cam.* Hoc est, ne sis tantum nominibus nobilis, ac turpiter vivas.

40. *Blande.* Nam Blandus Rubellius dicebatur.

tumes. *Superbus es nobilitate generis tumidusque feratur [1].*

1 Verba ultima, *tumidusque feratur*, videntur esse laudata e poeta, nescio quo.

41. *propter quod.* *Quasi ex virtute tua sis nobilis factus.*

42. *quae sanguine ful. Iuli.* Nobilis de genere Troiano.

43. *cond. sub ag.* Plebeia mulier [1]. pauper, in castris natus.

1 Henn. *Plebeia muliere pauper.* Aggerem interpretatur *castra*, propter ea quae ad Sat. X, 95 habet.

44. *Vos humiles.* *Hoc veluti a personali cuius [1] nobilis loquitur poeta.*

1 Leg. *e persona alicuius nob.*

45. *Quorum nemo.* Plebeii aut peregrini.

46. *Cecropides.* Nobilis. Cecrops rex fuit Atheniensium.

48. *Facundum iuven.* *Id est, tu nobilis tantum et inperitus. nam de plebe, id est, de humili

familia eloquentes exeunt, qui nobilium inperitorum causas defendunt. *

49. *de plebe togata.* Id est senatoria.

50. *legum aenigmata.* Quaestiones obscuras [1].

1 Bene Schol. aenigmata de obscuritate verborum et inde ortis quaestionibus controversis capit. Glossae Cyrilli · *αἴνιγμα*, *Quaestio, prodigium.* Eadem sententia Imp. Justinianus *Nov, CVIII. Praef.* §. 2. de quodam Papiniani loco disserens, *ἐκεῖνο μόνον*, ait, *ὥσπερ ἐξεπίτηδες ἐν αἰνίγματι προσθείς.* Minus recte Plathnerus apud Rupertum de siglis intelligit, etsi verum sit, eas quoque interdum hac voce venire.

51. *Eufraten.* Fluvius est in Oriente. id est, nomen militiae dat, et curam cohortis sumit. Batavi, gens Galliarum. Lucanus (I, 431.):

... *Batavique truces.*

53. *Nil nisi Cecrop.* Quasi Alcibiades, infamis et nobilis.

truncoq. simill. Hermae. Hermae, effigies aeneae, aut marmoreae, sine manibus, quales videmus in Circo. Hermas Athenienses ante januas pro religione positos habuere. In hoc igitur tantum distas ab Hermulis [1].

1 Disseca, et posteriora verba, *In hoc igitur* caet. appone ad verba, *tua vivit imago.* Sch.

56. *animalia muta.* Etiam in animalibus virtus quaeritur, non genus.

57. *volucrem.* * Velocem. *

58. *plurima palma.* * Id est, qui frequenter vincit. *

61. *in aequore.* Aut in Circo, aut in Campo, quando bellum est, de quocunque venerit armento.

62. *Coryfe posteritas.* Coryfeorum, id est, equorum, in Achaia prima nobilitas fuit [1].

1 Lege, *Coryphaeorum equorum in Ach. pr. nob. fuit;* SCH. — Haec Nota cum textu Vet. Schol. non concordat. ARCH. — *Id est,* pro *scilicet,* capit. nec est, cur non concordet.

63. *Hirpini.* In ivitio Sabinis: Hirpinus mons est [1], ubi optimi equi nascuntur.

1 Scribe, *In interioribus Sabinis Hirp. mons est.* Ita Jo. Baccacius, ante tria et quod excurrit secula, libello *de montibus* ex his scholiis retulit. Adde Barthium ad Gratium p. 106. SCH. — Lege, *in vicino Sabin.* ARCH. — Sg. *in inuitio.* Henn. *In initio,* inutili medicina. Valla h. l. non habuisse videtur scholion, quanquam habuit Papias, apud quem sic est: *Hirpinus mons est in Sabinis equorum bonorum ferax.* Quid Grangaeus legerit, qui bene dicere, ait, Vet. Int. Hirpinum dici ab oppido eiusdem nominis, nemo facile dixerit. Sed quidquid sit et Grangaeus errat et Vet. Int. Papiam secum trahens. Nam neque oppidum neque mons eius nominis usquam legitur, neque ipsi Hirpini in Sabinis quaerendi sunt. Potest autem erroris fons, ni fallor, recte ostendi. Hirpini, populus Italiae fuere, contigui Samnitibus, ipsi adeo origine Samnites, et secunda regione Italiae constituti, Apennino proximi. Ab his diversi Hirpii, haud quaquam populus, sed familiae singulae, haud procul ab Vrbe, in Faliscorum agro Sabinis adiacenti, celebres ob sacrificium quotannis ad montem Soracten oblatum, auctore Plinio *H. N. VII,* 1. Hos Hirpios cum Hirpinis, Sabinos cum Samnitibus confundens, et Soracten montem a Sabinorum vicinia transferens ad Samnitum fines Servius ad *Aen. VII,* 696 et

XI, 585. nostrum Schol. qui illum auctorem non semel presso pede sequitur, secum in traversum rapuit, induxitque ut traderet, Hirpinum montem esse *in confinio Sabinis*, sic enim eum scripsisse coniicio. Errorem Servii tetigit Salmas. ad *Solin. p. m.* 59 *sq.* Apud Barthium *d. l.* frustra quaeras, quo proficias. de propriis autem nobilium equis egit Lipsius, non, ut vulgo tradunt, qui se non inspectis autoribus mutuo exscribunt, *Miscell. Epp. III*, 26., sed *Ep. ad Ital. et Hispan. XXVI.*

64. *gratia nulla.* Non attendit [1] de quo armento venit. Nihil praestant parentes, qui quasi umbram quandam videntur praebere.

1 Melius Sg. *Non attenditur.*

65. *Vmbrarum.* * Maiorum mortuorum. * *domin. pret. mut. iub.* Distrahuntur.

66. *ephiredia.* Ornamenta rhedarum [1], aut plaustra.

1 Vet. exemplar habuit *redarion.* Pith. — In Sg. aperte redarum, quod de coniectura tantum dederat Pith. Sed de *epiredio,* seu *epirhedio,* quanquam plures dixere, in his praecipue Scheffer. *de re vehic. vet. II*, 19. amplius tamen disputandi materia superest. Et duplicem quidem rarissimae voculae, de cuius Graeca et Gallica compositione egit Quintil. *I*, 5. notionem hic tradit Schol. quarum postrema, a qua incipere lubet, plaustrum significet, quae interpretatio adsensum plerorumque, Turnebi, Scaligeri, Vossii, Schefferi, adeo tulit, ut alteram fere silentio praetermiserint. Inter antiquiores, praeter Nostrum, ea auctores habet Papiam et Hugotionem, quem Januensis secutus est, ut tamen inter illos de genere vehiculi non conveniat. Papias, *Epiraedia,* inquit, *maiora sunt vehicula.* Hugutionis autem sequax Januensis, *Epyredium,* ait, *e epy componitur cum reda, et*

dicitur hoc epyredium, ii; et dicuntur proprie epyredia, minora vehicula. Sic enim hic locus restituendus est e membrana Bibl. nostrae publ. misere corruptus in editis. Quae significatio, uti non adversatur ei analogiae, qua ab epistola fit *epistolium*, et a toga, *epitogium*, ita satis bene convenit loco Juvenalis. Sed nec minus bene eidem respondet altera, quam e Glossographis Noster solus protulit, ut epirhedia etiam sint *ornamenta redarum*, ubi olim *armamenta* corrigebam, non ignarus apud Cyrillum in Gl. legi, Ῥυμὸς ἁμάξης, *temo, plerum, armamentum.* Nunc nihil muto, cum quaelibet rei cuiusdam accessiones et instrumenta, si ornatus aliquis accesserit, ornamenta dicantur, unde et *equi ornati* pro instructis instratisque saepe ponuntur. Eadem *iuncturae* simpliciter vocantur ap. Vlpianum *L.* 19. *D. de aur. et arg. leg.* quod Basilica commode vertunt, τὸν τῶν μούλων κόσμον, ut iam animadvertit Leunclaius *Notator. II,* 75. Hanc autem *epirhedii* significationem adoptarunt e recentiorib. Gesnerus et Forcellinus, nec ipsi parva nomina, uterque tamen alio atque alio eandem trahentes. Nam ille quidem id potissimum intelligi existimat, quod aliter helcium vocatur; hic praeterea quoque lora ac funes quibus equi alligantur, in quo neuter rectum vidisse videtur.. Helcium enim et lora funesque magis equorum mularumque sunt accessiones, quam rhedarum, quod tamen voluit Vet. Int. et analogia svadet adiectivorum in *ium* desinentium, et confirmat a Dufresnio laudatus versiculus e Jo. de Galandia in Synonimis,

Sunt supra redam partes Epiredia dictae.

Quam partem dum altius investigo, non ad vectabula Romanis solita antiquitus descendendum sed quaerendam puto in peregrinis, adeoque hic Gallicis. In ipsa autem Gallia etiamnum, uti et in Germania inferiore, plaustrorum et ad transportandas merces vehiculorum, nullum genus rhedarum aut antiquius est, aut usitatius, quam illud quod *monocosmum* Papiae, Isidoro autem fortasse rectius *monacosmus* apellatur, quia uno plerumque equo

trahitur, aut, si pluribus, ita tamen ut alter alterum praecedat. Huiusmodi vero currus temonem habet in modum furcae figuratum, utroque latere equum ambientem, quibus lateribus arcus ligneus ad eorum maiorem firmitatem superimpositus cernitur, supra equi dorsum ascendens, pannis plerumque rubris et tintinnabulis nolisque distinctus atque ornatus, ut vel ideo recte *ornamentum rhedarum* dici possit. Sed satis quidem de re levi satis et obscura.

67. *molam versare.* Molere in pistrino.

68. *Ergo ut mir.* * Vt miremur facta tua, non te. *

69. *quod possim.* * Vnde possim titulos tibi dare. *

incidere. * Scribere. *

70. *omnia debes.* * Quos imitari debes, id est, parentes tuos. *

72. *Nerone propinquo.* De quo magis debuit erubescere, * quia ad propinquitatem eius pertinet. *

73. *Rarus enim ferme.* * Rarus, inquit, est animus non inflatus in nobile. *

74. *censeri l. tuor.* * Haberi maiorum. *

77. *ne collapsa ruant.* * Metafora ab aedificio, quod columnae sustentant. *

78. *Stratus humi.* * Iterum metaforam a vitibus fecit, quae ab arboribus pendent, nec se possunt sustinere sine arboribus, nisi fuerint adnexae. *

81. *Phalaris licet.* * Qui tyrannus ferebatur tauro aeneo candenti homines includere [1]. *

1 Praeter hoc schol. aliud adhuc habet Cod. Sg. in glossis miscellaneis ipsi commentario praemissis, quod tale est: *Faleris, Rex Siciliae uno eodemque ritu in poenis* (non) *delectabatur. Vnus ex civibus ipsius, aerarius, cupiens placere, fabricatus est vaccam aeream. Obtulit principi. interrogatus a rege: istud quid proficeret? ille respondit:* (in) *calefactam missus reus, voces paene ipsas reddit. Istud placuit regi. iussit calefaci et ipsum ibi mitti.*

83. *Summum crede nef.* * Vt fugiens tormenta falsum dicas. *

84. *Et propter vitam.* Dum vis vivere ita agas, ut [1] vita indignus videaris.

1 Henn. *ne vita.* quod sententia postulat.

85. *Dignus morte.* Sic habendus qui morte dignus est, quasi iam perierit, licet quotidie copiose vivat.

coenet lic. ostrea cent. Habeas licet tripodas aeneos, ubi Heroes lavabantur, et Ostrea a lacu Luccino. Cosmus luxuriosus fuit, qui solium in quod [1] descendebat, multis diversorum unguentorum odoribus miscebat.

1 Male Henn. *in quo.* sed nec legendum, *in quo sedebat,* quod in mentem temere venit Kobierzycko *de luxu Rom. I, 7.* in Graevii *Thes. T. VIII.*

89. *inopum socior.* Provincialium.

90. *excucta medullis.* Exhausta a rectoribus.

93. *Et Capito et Numitor.* Spoliatores sociorum. Cilices nam piratae sunt. ergo principes piratarum, aut spoliatores latronum. Bene igitur Capitonem et Numitorem, nescio quem, poeta, repetundarum damnatos a Senatu, dixit piratas Cilicum: sive propter depraedationem iniustam, sive ut eos facinorosiores ostenderet, qui piratas olim Cilicas exspoliaverunt.

96. *Praecon. Chaer. tuis.* Sensus hic est, Quid tibi prodest, Chaerippe, si damnatur iudex, quem tu damnandum accusasti, cum illius successor plura ablaturus sit tibi? Magis provide tibi praeconem, et auctionem fac rerum tuarum, quae superaverunt: ut in pecuniam totum conferas, ne et ipsos pannos tuos perdas, qui remanserunt. Nam nec accusatio tibi proderit, et insuper naulum perdis [1].

1 Schrev. *perdes.*

97. *Non idem gemitus.* Olim non sic gemuerunt provinciae a Romanis afflictae spoliataeque iure bellorum, quando sunt devictae, quomodo nunc cum sunt a iudicibus depraedatae.

101. *conchylia Coa.* Metaphora. purpura Graeca, Coa.

103. *Phidiacum.* Pictorum, fictorum et sculptorum [1] sunt nomina, qui olim magni artifices fuerunt. Phidias statuarius fuit.

vivebat ebur. Cum ἐκφωνήσει pronunciandum. * ut siquidem vivere videantur. *

1 Debebat esse, *et fictorum seu sculptorum*, qui inter se tantum distant, quantum genus a specie.

104. *rarae sine Ment.* Sine toreumate. * id est, quae a fabro nobili non sunt factae. *

105. *Inde Dolab. atq. hinc Anton.* Antonius trium Antoniorum corruptor ille Salustius, qui orae maritimae qua Romanum esset imperium, contrarius piratis [1]. Hi omnes socios et maxime Graecos, Asiaticos ac Siculos, fortunis omnibus spoliaverunt. C. Antonius a Caesare accusatus.

1 Est hic locus talis, qui alterius, quam haec mea est, dextram requirere videatur. Fortassis tamen legendus sit hoc modo: *Anton. trium Antonior. COSS. pater. ille qui orae marit. qua Rom. esset imp. praefuit, contrar. piratis. Sallustius.* Scio quidem C. Antonium Consulem non fuisse, sed tamen proconsulari dignitate Macedoniae praefuit, teste Asconio. Neque in hoc scriptorum genere rationes tam curate putandae sunt. Possis etiam hoc modo: *Antonius Antoniorum, Triumviri et Coss. pater.* Rutgers. *l. c. III*, 17. — Minus bene tentatum a Rutg. sic corrigendum videtur: *Antonius Triumviri Antonii, pater, curator, ut ait Sallustius, orae marit. qua Rom. esset imp. contra piratas.* Ruhnken. ad *Vell. Pat. II*, 31. — Pith. post *Antonius* asteriscum collocat, quem Henn. male post *trium* transtulit, nec melius *Si omnes*, pro *Hi omnes* editum est, in Fragm. Sallustianis edit. Havercampi.

106. *Sacrilegus Verres.* * Qui Siciliam depraedatus est. *

109. *Et pater arm.* Taurus aut admissarius [1].

1 Per *admissarium* equum intellige, ἐπιβαίνοντα. Vide Dufresn. Sch.

111. *Si quis in aedicula.* *Haec sunt preciosa, quae remanserunt.*

113. *Forsitan imbel. Rhodios.* Vt ostenderet has civitates gymnasiis, hoc est exercitationi palaestrae, deditas. putes, inquit, has civitates furtus [1] non esse accusaturas, quod de resina [2] pilos sibi tollant, ut cinaedi.

Chorinto (sic). *Quod nocere tibi non poterint.*

1 Leg. *furta.* PITH. — *Furtus* dixit, ut supra *lorus*, et alia multa etiam duriora. Nam *furtus* quidem etiam in lege Salica, et Legg. Luitprandi Regis occurrit, notante id dudum Dufresnio. SCH. — Henn. *furti.* 2 Pro, resina pilos tollere. Marcellus, *de fascia constringere,* idem, *de canna occidere,* pro canna. Servius, *tornavère, de torno composuere.* SALMAS. ad Lampr. in *Alex. c.* 37. Divellenda est gl. Verba, *quod de resina* caet. singulare schol. constituunt, et pertinent ad illa Poetae, resinata iuventus. quare post *deditas*, tollenda est distinctio maior. In Schrev. edit. post cinaedi, adiectum est, de praecedenti Salmasii animadversione, emblema hoc, *Sic de canna occidere* Marc. Empir.

116. *Horrida vitanda.* His parce gentibus, ne pro iniuria rebellent, aut accusent repetundarum.

Gallicus axis. *Septentrionalis pars.*

117. *messorib. illis.* Afros significat. Et tenues, quod nuper eos Marius spoliaverat, de quo superius (I, 49): *Exul ab octava Marius bibit.*

118. *vacantem.* *Id est, spectaculis operam dantem.*

119. *praemia culpae.* *Pecuniarum repetundarum.*

120. *discinxerit.* *Qui ibi bella finierat. id est, quid tolles his, quos Marius spoliavit.*

121. *Curandum.* *Cogitandum.*

123. *relinquas* (sic). *Quibus facillime possit repugnare.*

125. *non est sentent.* Non sunt nuda verba [1], in sententia nam solet interdum aliquid esse falsi, sed est oraculum verum.

1 Petron. *Sententiarum vanissimus strepitus*, et, *audirem sententias, id est, vitream fractam et somniorum interpretamenta*, item, *fabulosum sententiarum commentum.* Pith.

127. *Si tibi sancta cohors.* Si nemo servorum tuorum actus tuos vendit. Si e rebus [1] intonsus non est puer, pro quo sententia distrahatur, si uxor tua te administrante nihil rapit, denique, si vir es bonus, patiar, ut, falso licet, tamen ex quovis genere nobili, tibi fingas originem, vel a Pico, qui Fauno pater fuit.

1 An, *ephebus.* Pith. — Receperunt in textum Schrev. et Henn. ille etiam in fine, *Fauni* dedit, pro *Fauno.*

131. *altaque si te.* *Ex ipsa antiquitate.*

137. *hebetes l. lict. secur.* Retunsae, [1] feriendo capita damnatorum, id est, si crudelis nimium sis.

1 Lege, *retusae,* pro *obtusae.* Sch. — Pax! Etenim utraque forma in usu fuit scribendi et eloquendi, illa autem, retenta littera *n* antiquior, quod non

mihi sed doctissimo Grammaticorum credas velim. Is vero ad Virgil. *Georg. I,* 162. ita: *Antiqui, n, litteram addebant, quod nos propter euphoniam in aliquibus detraximus, ut obtusus; in aliquibus, n, remansit, ut tunsus.* Scio quidem contrarium narrare *Cassiodorum* in *Orthogr.* sed eius quae sit vis adversus Servium, nemo nescit. Scio etiam libros MSS. variare, indeque factum ut Edd. recentiores euphonisticam illam labentis aevi extrusionem *τοῦ n* elegerint. Id vero iure factum sit, nec ne, quaeri potest et magis est, ut iniuria accidisse existimemus in his scriptoribus qui ad optimam Latini sermonis rationem sese composuerunt. Certe apud Plautum constanter *retuNsam* legitur, *Pseud. I,* 2, 26 et *IV,* 4, 8. atque *obtuNsum* in *Casin. V,* 1, 8. Eodem modo apud Virgilium antiquissimi optimique Codd. *retuNsum* retinent *Georg. II,* 301. *obtuNsum* ibid. *I,* 262. et *obtuNsior* ibid. *III,* 135. Similiter ap. Liv. *V,* 18 praestantiores MSS. *obtuNsi* exhibent, et apud Valer. Max. *VI,* 9, 1. et *VII,* 3, 2. praestansissimus P. Danielis liber, Colero teste. Gellius quoque *N. A. XIII,* 24. *obtuNso ingenio* profert, in omnium Codd. Gellianorum principe, Regio Parisiensi, ubi plerique *obtuso* habent, etiam Hafniensis Regius, nondum collatus, caeteroquin satis bonae notae. Eadem ratione in *περὶ στεφάν.* 972. *retuNsis* Prudentio restituit Nic. Heinsius, recepitque, prudens alioqui in huiusmodi novationibus cunctator, Cellarius. Possem etiam ad vocabulum *obtuNsionis* provocare, quod pro *obtusione,* Tertull. solemni, vel optimi Lexicographi in scenam producunt, sed nolo, destitutus auctoritate vett. librorum. Possum quoque ad Lamprid. in *Commodo c. x.* sed nolo. Locum tamen exscribo, quia nondum persanatus videtur. *In iocis,* ait, de Commodo loquens, *quoque perniciosus. nam eum, quem vidisset albescentes inter nigros capillos quasi vermiculos habere, sturno apposito, qui se vermes sectari crederet, capite suppuratum reddebat. Obtunsi oneris pinguem hominem medio ventre dissecuit, ut eius intestina subito funderentur.* Sic editi vett. et MSS. in his omnium optimus et anti-

quissimus Palatinus, quem nunc Bambergae extare supra me dicere memini. Corruptum locum esse in verbis *obtunsi oneris* in oculos incurrit, praeterea quoque mala distinctione laborare. Inventus est magnus Casaubonus, qui emendaret: *reddebat obtunsionibus. Pinguem hom.* caet. traxitque secum Gruterum. Placuit idem dein Salmasio, sed, quod erat ingenium hominis sui tantummodo admiratoris, ne pedarius videretur Senator et tacito pede in sententiam descendisse Principis Senatus critici, *obtunsione* maluit, quam *obtunsionibus*, effecitque ut id in contextum reciperetur editionis Haackianae, quae L. B. 1671. lucem vidit, deinde propagaretur in alias, demumque Lexica insideret. Recte, an secus, alii iudicent. Mihi enim, ut libere dicam, neutrum ita placet, ut bonam copiam eiurem Quid enim, si ita scripserit Lampridius: *capite suppuratum reddebat, obtunso ore*, aut propius ad litteram, *capite suppuratum, reddebat obtunsi oris?* Quid etiam, si *supputatum* scripserit? certe Catoni *supputare* est, identidem caedere.

139. *Nobilitas, clar fac.* Hoc, quod et Sallustius dixit, *Maiorum gloria posteris quasi lumen est. Neque bona, neque mala in occulto patitur* [1].

1 Schol. hoc et sequens sic conforma: *Claramq. facem, Hoc est, quod et Sallustius dixit; Maiorum, qui magno imperio praediti, gloria posteris quasi lumen est. Neque bona, neque mala in occulto patitur. Omne animi vit. Pro persona crim. admissum culpatur.* Sic clara sunt omnia. Sch. — Imprudentissima haec, ut solet fieri non consultis fontibus. Prior Sallustii locus extat in *Bello Jug.* c. 88. Alter e *Bello Catil.* c. 50. abruptus est, pleneque sic audit, *qui magno imp. praediti, in excelso vitam agunt, eor. facta cuncti mortales novere. Ita in maxuma fortuna, minuma licentia est.* Omnia igitur recte se habent.

140. *Omne animi vitium.* Pro persona crimen

admissum culpatur Sallustius, *Qui magno imperio praediti.*

142. *Quo mihi te sol.* κατὰ κοινοῦ.

145. *Tempora Santonica.* Id est, birro Gallico [1]. Nam apud Santonas, oppidum Galliae, conficiuntur.

1 De *birro*, i. e. lacerna, nolim recoquere, quod post Salmasium, variis locis congessit Ferrarius, et, non sine suspenso animo legendus, Solerius, *de tegument. capitis p.* 130 *sq.* Schol. *birrum* et *cucullum* idem facit, quem contra est *L.* 1. *C. Th. de hab. quo uti oport. intra Vrb.* et recte.

cucullo. Galero fusco et horrido ardeliunculo [1], quales sunt latrunculatorum [2], aut ex lucerna turpi intincto [3].

1 Ego, quid hoc loco faciendum sit, ignoro; nisi fortasse *albeliunculo*, ut id tegumenti capitis nomen sit. Certe vestigia eius vocis extant ad illa *Sat. IX. textoris pectine Galli*, ubi, *Veneti aut albedine caduroo, cadurco cucullo,* caet. Videtur enim legendum *albelione.* Rutgers. *l. c. VI,* 18. — *Ardeliunculus* quid sit, divinare non possum, nec Rutgersio assentiri. Illud certum est, bardocucullum hic a Juvenale notari, quod vilissimum tegumenti genus fuisse apparet. Ferrar. *l. c. P. II. L. I. c.* 21. — Legendum *bardocucullo,* qui *horrebat,* cum esset ex lana crassiore, aut caprarum pilis et cilicio confectus, ut notum. Henn. — In Rutgersii sententiam utroque ivit Voss. *de Vitiis Serm. Lat. I,* 16. habuissentque ii suae temeritatis excusationem si *albelionis* usum testimonio vel tantillo monstrassent. Jam cum et ea vox inter ἅπαξ λεγόμενα foret, quid iuvat *ardeliunculo*, qui tamen matrem ciere potest, partum subiicere plane vulgivagum? Cangius lectores manifeste ludos facit. Postquam enim dixerat *arderiunculum* (sic scribit) vestis speciem fuisse,

quá caput operierint ardeliones, remittit nos ad voc. *Cucullus*, in qua cucullum *ardeliunculum* ap. Nostrum vocari dicit. Quodsi illud vocabulum a v. *Ardelio* descenderit, dici posset fuisse vestimenti genus famelicorum a coena ad coenam noctu per plateas vagantium Extat ap. Phaedrum et Martialem, sensu non abhorrente. Exserte autem Ianuensis: *Ardelio, ab ardeo i. e. leccator, qui ardens est in leccacitate.* Glossae Isidori: *Ardalio,* (l. ardelio) *gluto, vorax, manduco.* Papias. *Ardalio, gluto.* 2 Latrunculatorum mentio non nisi ap. Vlpian. *L.* 61. *§.* 1. *D. de iudic.* et Julianum in *Novell. interpr. cap.* 60, ubi ita transfert, quod in Graeca Nov. VIII. c. 8. ληστοδιωκτῶν nomine venit, unde Gl. Gr. Lat. ληστοδιώκτης, *latrunculator*, pronum enim est, sic legi debere, non *latroniculator*. Addit Heineccius ad Brisson. *de Verb. Sign. h. v.* idem vocabulum praeterea exstare ap. Euseb. *Hist. Eccles. IV*, 15. et Hieron. *Epp.* 159 *sq.* sed frustra quaesivi, nec credam, nisi oculatus testis. Sed nec nostrum Int. eius mentionem fecisse securus dixerim. Describit horridum et incultum vestimenti genus, quod quare tribuerit latrunculatoribus nulla subest ratio, cum hi fuerint a missione, sive ipsis Imperatoribus, sive provinciarum Rectoribus, et nisi magnae dignitatis, tamen publici homines. Quare neminem dubitaturum existimo, restituendum esse, quod et Valla habet, *latrunculorum*, latronibus enim iste vestitus bene adiicitur. 3 Possis legere, *aut et lacerna turpive cinctorio.* Sch. — In *lacerna* fortasse verum vidit, de reliquis magis dubitari potest. A Sg. nullum auxilium, in quo haec gl. exulat, sed nec a Valla, qui *luna* habet, maiore ulcere. Nigrum fuisse cucullum refert Papias. Quid igitur si Noster putavit, turpiter intinctum fuisse lucernae fuligine. Noster tamen supra ad *Sat. VII*, 221. de cucullo candido retulit.

147. *Lateranus.* *Et ipse luxuriosus quidam.*

148. *Ipse rotam adstr.* Sufflamen, vincu-

lum ferreum, quod inter radios mittitur [1], dum clivum descendere coeperit rheda, ne celeres rotae sequantur et animalia vexent.

1 Adde ex Vet. Ex. *in catabathmo*. Pith. — Migrarunt dein ad Edd. Schrevelii, ubi iam legitur, *mittitur in catabathmo M. V. C*, quibus siglis indicari videtur *Vet. MS. Cod.* Valla e Pseudo-Probo suo longe aliam profert gl. *Sufflamen illud machinae genus est, quo in catabathmo, hoc est, in descensu vel procursu nimio rota solet retineri. nam flamen genere masculino sacerdos, et neutro, voci ducta foramina musicorum instrumentorum. Horat. Cur berecynthiae cessant flamina tibiae.*

150. *honoris.* * Cum ei successum fuerit in consolato. *

152. *et occursum.* Non gravioris * aetatis * amici occursum timebit.

153. *atque maniplos Solv.* Mannas [1] foeni. vino nam solet fessis animalibus infundi hordeum.

1 Lege, *manuas*. Isidor. *Gloss. manua*, (malim *manuae*) *manipuli*, nisi volueris *manipulus*. Adiuvant excerpta e Glossar. vet. Gr. Lat. Philoxeni, *Manipulus*, δράγμα. *Manipulum*, δράγμα. *Manua*, δράγμα. Sic Cyrilli, δράγμα, *manipulum*, *manua*; *dragma*. Almelov. — *Manuas* recte restituit Dufresn. in *Gl. h. v.* ut deinde *infundi* sit irrigari, perfundi, quo modo saepe a medicis ista vox accipitur. Adde si lubet de *manua* quae Salmas. ad *Solin. p.* 266. dixit. Sch. — Adde Salmas. ad Vopisc. in *Tacito c.* 6. Quod autem Schol. de hordeo vino resperso narrat, nullum habet argumentum in Juvenale. Res tamen ipsa a vero non aliena, nam et legi ap. Capitolinum potest, aliquando passas uvas ad vicem hordei in praesepe positas fuisse, meminique me non semel equo meo, quotidiano labore fesso, languorem disiecisse porre-

cto panis frustulo, mero aut sublimato vino consparso, cum ante aliquos annos, sola coniuge itineris comite, per Germaniam iter facerem, et, quod ipse agasonis parte fungebar, ab Hugone nostro Aurigae iuris per iocum nomen mererer, Bartolo tamen, cui id olim haesit, in eo dissimilis, quod, quam ille tenebat iurisperitiam, ego quaerebam.

155. *robumque iuvencum.* * Id est, robustum, rufum [1]. Vnde Herculis r o b u s dictus est. *

1 Haec gl. Cod. Sangallensis incognitam eruditis hactenus lectionem praestat, eamque, ni fallor, unice veram, *robumque iuvencum,* pro quo nunc editur *torvumque,* et ex aliis MSS. laudatur, *furvumque, probumque,* praeterea a Valla et Pithoeo, *rursumque,* quarum lectionum pars, *furvumque,* ex mera veri verbi interpretatione, reliquae ortae esse videntur de coniectura, propter obscuritatem vocabuli. Nec fugit haec ex lectt. varietate exoriens suspicio de vera et antiqua lectione ipsius Poetae, omnium Juvenalis interpretum criticorum κριτικώτατον, *Petr. Pithoeum,* qui ad h. l. sapienter scribit: „Et hic quoque optimus noster stilum passus est, ut dubitare quis non abs re de vera lectione possit." Bene igitur est, quod *robum* teneamus, quod verbum rusticum, fortasse et sacrum et ex ima antiquitate adeo est petitum, ut eius vestigia hodie vix supersint. Princeps qui eius mentionem injicit est F e s t u s, cuius verba, quia corrupta, adscribo: *R o b u m, rubro colore, et quae rufo significari, ut bovem quoque rustici appellant, manifestum est. unde et materia, quae plurimus venas eius coloris habet, dicta est r o b u r. hinc et homines valentes, et boni coloris r o b u s t i. R o b u s quoque in carcere dicitur is locus, quo praecipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robustis includebatur.* Pro *et quae* emendat *et quasi* ad Solinum S a l m a s i u s, loco quem Festo meo adscribere neglexi, cui auctoritas conciliari potest tum e Cod. MS. Biblioth. Monacensis, liberaliter mecum communicato et a me collato, vetusto satis et probo, tum ex edit. Festi

Aldina, quae prodiit 1513. Est tamen illud *quasi*, ibi *ἀπροσδιόνυσον*, et propius est ut substituamus *atque*. posthac quoque pro *robur* malim scribere *dicta est robus*. Denuo eadem vox extat ap. Servium ad Ecl. VI, 22. *Multi ob hoc dictum putant, quod robus color Deorum sit, unde et triumphantes facie miniata, et in Capitolio Jupiter in quadriga miniata.* sic enim h. l. quo tempore scribebat nondum editum, extulit e suis schedis Scaliger ad *Varron. de R. R. II*, 5. ubi nunc, e non ita emendatis P. Danielis, *rubeus* legitur. *Robus* igitur *ἀρχαικῶς* est rufus, robusque iuvencus Juvenali, de victima Jovi oblata loquenti, plane convenienter dictus. Carissima enim Diis destinabantur, rufi autem boves, Varrone et Columella testibus, antiquis in primis in pretio erant. Accedit, quod robus Deorum color esse putabatur, quod praeter Servium ostendit literatissimus lapis ap. Gruter. *LXI*, 3. de quo mox. Apage igitur iuvencum *torvum*, vel propter hanc sui naturam ad placandos Deos parum aptum. E *robus* vero successu temporis factum *robius* et *robeus*, ut et in aliis iisdemque adiectivis utraque forma inolevit, unde et *coerulus* dicimus et *coeruleus*. Hinc in lapide commemorato, quem attulit iam Scaliger, legitur: PRAETOR . . . LITATVRVM SE SCIAT . . . VOLCANALIBVS . . . VITVLO ROBIO ET VERRE. Prope tamen est ut e libris formis excusis evanuerit ea vox, ac restiterit modo in scriptis, sed probatissimis. Sic ap. Varr. *l. c.* nunc, *colore rubeo* est, sed in Popmae libro MS. *robeo*. ap. Columellam *VI*, 1. nunc *rubros*, et *VIII*, 2. legitur, *matrices probi coloris*, sed utroque loco MS. Goesii emaculatissimus, idemque, ut probabile, quem toties ad Ovidium commendat Heinsius, exerte *robios* habet et *robii*, quod ultimo loco restituendum esse, vel ipse contextus fortissime suadet, priori autem iam recte asseruit Pontedera. E *robeus* procedente deinde tempore factum est *rubeus*, et e *robus*, ni male fallor, *rufus*. Nihil enim frequentius est mutatione litterarum *o* et *u*; ut vel e solo MS. Pandectarum Florentino integer catalogus contexi possit,

praeterea etiam litterarum *b* et *f*. Vide, si lubet, ut alios taceam, Politian. *Epp. V*, 3. et Salmas. ad *Solin. p*. 775. neque audiendus est Vossius in *Etymol.* qui *rufus* descendere iubet a Gr. πύῤῥος per metathesin, et *rubeus* a Gr. ἐρυθρὸς per aphaeresin, quibus figuris sinistre adhibitis nec difficile est, ex Agerio facere Numerium, h. e. e quolibet quodlibet. Habet autem *robus* et *robeus*, *rubeus* et *rufus* primam sui syllabam longam, unde dignosci potest, ab hac stirpe, modo retentis litteris *o* et *b*, modo mutatis, modo promiscue positis, defluere vocabula haec, et quidem substantiva, *robur* duplici significatione et arboris et virtutis; *robus* et Dei nomen, et generis tritici; *robigus* item Deus, et Dea *robigo*, horumque festivitas *robigalia*; praeterea *roborarium* et *robigo* (sic enim scribit, teste Pierio, vetussimus omnium Virgilii Codd. Romanus) seu *rubigo*. Ex adiectivis sunt, *roboreus* et *roborosus*, *robustus* et *robusteus*, et a *rufus* diminutivum *rufulus*. Verba denique haec sunt, *roborare* et *roborascere*, *rufare* et *rufescere*; quae singula in eo conveniunt cum stirpe sua, ut primam syllabam producant. Nam quod *rubígo* ap. Prudentium in *Psychom. vs.* 101. correpte legitur, caeteris poetis in contrarium euntibus, vel propter auctorem nullius haberi debet ponderis. Alia autem et multum diversa est ratio vocabuli *ruber*. Quod, qui cum Becmanno ab Hebraeo בוש, *erubescere*, derivant κατὰ πρόσθεσιν, non minus ludibrium faciunt, quam qui id eiusdem originis faciunt cum *rufo*, Gellium testem proferentes *N. A. II*, 26. Sed in Gellii loco et magna est corruptela librorum scriptorum, et ipse Gellius, ut plerique veterum Grammaticorum parum idoneus in Etymologia auctor. Censerem potius, vocem *ruber*, etsi eiusdem fere potestatis, propriam tamen sui naturam habere ac per se stare, quod et syllabae primae quantitas, quae brevis est, et constans ac perpetuus litterae *u* in derivatis usus, demonstrare videtur. Ab ea vocula probabile est descendere, tum e substantivis, *rubor*, *rubedo*, *rubrica*, *rubeta*, et *rubus* indeque *rubetum*; tum e numero adiectivorum, *rubeus* h. e. spine-

sus, (a voce *rubus*; non ab oppido *Rubos*, quod Servius vult ad *Georg. I*, 266, eumque secutus Schol. Horatii Cruquianus,) porro, *rubicundus* et *rubicundulus*, *rubellus*, *rubricus* et *rubricatus* et *rubricosus* et *rubiginosus*; denique e numero verborum *rubere*, *rubescere*, *rubefacere*, *rubricare* et *rubiginare*, quae omnia suae stirpis et scripturam et quantitatem constanter servant. Vt autem ad Schol. nostrum revertar, bene ille *robum* interpretatus est *flavum*, et *robustum* non prorsus male, quatenus, qui valentes sunt, vividi rubeique coloris esse solent. Sed quod additur, *Vnde Herculis robus dictus est*, ineptientis alterius glossatoris est, vocabula *robus* et *robur* confundentis.

156. *Solam Eponam.* Quia mulio est, qui confulitur. Epona dea mulionum est [1].

1 Huc referenda est antiqui lapidis inscriptio ad Helvetica balnea, quae nunc quidem ad manum non est. Pith. — Est ea, ni fallor, quam habet Gruter. *IV et V. p.* 87. HERCVLI. ET. EPONAE. LEG. XXII. ANTONIANAE. P. P. F. AVGVST. PRO. SALVTE. IMP. CAES. M. AVREL. ANTON. PII. FELICIS. INVICTI. Henn. — Sg. *Epone*, de qua Dea et eius nominis scriptura, si plura cupis, adi Barth. *Advers. XXVI*, 11. et inprimis de Lingen, libro docto, sed parum lecto, kleine Schriften, *T. II. p.* 87 *sqq.*

159. *udus amomo.* * Unguento olens. *

160. *Currit Idumaeae.* Idume civitas Orientis. ideo currit [1] Damasippo tabernarius, qui prope portam manet, tabernam volenti intrare.

1 Scribo, *Vnde occurrit.* Rutgers. *l. c. VI*, 18. — *Occurrit* etiam Sg. habet, et *Damasippo*, utrumque bene; Schrev. in secunda ed. *inde occurrit.* Henn. *Damasippus.*

162. *Et c. venali Cyane.* Nomen tabernariae, pro qualibet. Scortum.

163. *Defensor culpae.* Qui contra haec defendere voluerit.

164. *Haec iuvenes.* * Id est, eo tempore fecisti, quo possis mereri veniam, in iuventute. *

166. *prima resec. crim. barba.* * In prima aetate defini [1]. *

1 Lege, *desine.*

167. *Lateranus ad il.* Sive Damasippus.

168. *inscriptaq. lintea.* Hoc est; pictis velis popinae succedit, aut linteis cabsariciis tergit [1]. vel ubi esculenta publice venduntur.

1 Restitue et lege, *aut linteis carbasineis.* nam *carbasus* genus lini est, teste Servio ad *Aen. III.* repertum in Hispania, Plin. *XIX,* 1. quo texebantur vestes magni pretii, antiquis in deliciis habitae. Nonius enim in *cap. de vestem.* *Carbasum,* inquit, *esse, pallium quo fluvii amiciuntur, vel opulentiae causa, ut sericum, aut lino teni.* Virgil. *Lib. VIII. cum tenuis glauco velabat amictu carbasus.* Idem *lib. XI. tum croceam chlamydemque sinusque crepantes Carbaseos fulvo in nodum collegerat aura* Curtius quoque *lib. VIII.* narrat, Arabes et Indos *carbasinis vestibus velare corpora,* quae auro et purpura distinctae sunt. Tabernacula etiam carbaso tegebantur. Cicero *Act. VII. in Verr. Tabernacula carbaseis intenta velis collocabat,* et Nonius ex Varron. *lib. IV. de vit. pop. Rom. Eadem postea carbasinea magis, ut pelleis tegerentur togae.* non igitur mirum, si luxuriosi homines talia lintea ad corporis detersionem adhibuerint, cum ad luxuriem, mollia enim erant, tum ad pompam, quippe serica fere. Almelov. — *Lintea capsaricia* sint forte, quae capsas tegunt, ut *tegit* legatur, non *tergit.* Dufresnius *cannabicis* suspicatus est, Barthius, *aut linteis sericis abstergit.* Sed intelligit Poeta lintea cauponum, quae

in aedium portis affigebantur, ciborum, quos apparabant, picturis inscripta. Sch. — De huiusmodi ciborum pictura, vellem locum adscripsisset veterum. In Sg. *capsariciis* est, verba vero *vel ubi ... venduntur,* absunt. ap. Vallam contra desiderantur illa, *aut lint. cabs. tergit.* ipse malim, mutata distinctione, *linteis carbaseis. Tendit vel ubi* caet. nam formam *carbasineus* Schol. notam fuisse, quia semel tantum, nec nisi ap. Nonium occurrit, vix credibile est; *carbaseus* vero poetis pluries dictum. Ipsum quoque Nonium corruptum existimem, nimis enim hoc poeticum, *Carbasus, pallium, quo fluvii amiciuntur* etsi sciam Servium ad *Aen. VIII,* 34. perhibere *vestem laneam fluminibus tanquam proprium dari.* prorsus deinde ineptum, quod sequitur, *vel opulentiae causa. ut sericum, aut lino tenui.* Idem tamen Servius, cum e Plinio narret, *linum melius inrigatione fluminum, quam pluvia nasci,* patet linum in rivis seri solitum, quod et alia suadent ap. Plin. *H. N. XIX,* 1. ubi longa est de lino dissertatio, nec tamen a Servio laudata verba, facile in eam opinionem adducor, ut existimem Nonium traiectim scripsisse: *Carbasus, quo fluvii amiciuntur, vel pallium opulentiae causa, aut sericum, aut lino tenui.*

170. *Amnib. et Rheno.* Armeniam Tigris proluit, Euphrates Parthos, Hister Sarmatas et Ponto influit. Rhenus inter Alamanniam [1] et Gallos Oceano influit.

praestare. * Servare, obsistere gentibus. *

1 Spartian. (scr. Vopiscus) sub Proculo: *Alemannos qui tunc adhuc Germani dicebantur.* Pith.

172. *legatum quaere pop.* Παρὰ προσδοκίαν, pro oastris.

173. *cum percussore.* Sicario, aut gladiatore.

175. *Inter carnifices.* * Vbi nobiles inter sceleratos, putas (l. *puta*) fabros. *

et fabros Sandapilar. Si sandaliorum, sutores, ac per hoc abiectae sortis homines. Si Sardanafallo [1], infamis hominis nomen est. Si sandapilarum, eorum [2] in quibus gladiatores mortui de amphitheatro eiiciuntur.

1 Emendo, *Sardanapali.* Nimirum hoc dicit: in aliis, pro eo quod h. l. *sandapilarum* legitur, *sandaliorum* legi. in aliis etiam *Sardanapali*, ac utramque lectionem explicat. Ruto. *l. c. I*, 16. — In gl. etsi variae istae lect. ineptae sint, legendum tamen est, *sardanapallos.* Sch. — Forte, *Sardanapalus.* Achaint. — Ap. Schrev. *sandanafallo* est, ap. Henn. *sardanafallos.* sed quam ineptiam ineptiae subornes, ego teruncium non interduim.
2 Sandapilae *lecti* non erant, sed arcae ligneae, *σοροί* Graecis dictae, ut docuit Salmas. Forte *loculorum* scripserat. Muncker ad *Fulgent. p.* 167. — Scil. pro *eorum* legerat in Schreveliana, *lectorum*, quod et Henn. recepit. nec id damnandum, si lectos generaliter pro feretris sumas, ut licet.

176. *Et resupinati.* Ebrii, aut turpia patientis.

177. *Aequa ibi libert.* Popinae, ac per hoc communis est.

179. *talem sortitus.* * Qualis est Damasippus scilicet. *

181. *At vos Troiugenae.* * Nobiles propter Aenean. Vos libenter flagitiis ignoscitis. *

182. *Turpia cerdoni.* Graece dixit turpem,

vulgarem, lucri cupidum [1]. Si pauper et popularis adulterium committat, crimen admisisse dicitur; si dives, iocosus appellatur.

cerdoni. * Populari, passivo. *

1 Scribendum est meo animo, *Graece dixeris αἰσχρόκερδον, turpem vulgarem,* (vel, *vultecrem*) lucricupidum. Sch. — Nihil mutare necessum. Hoc vult enarrator, e Gr. *κέρδος*, unde Latinum *cerdo,* procedere cuias sit cerdo, nempe pauperem et popularem et, ut alter Schol. ait, passivum. Ianuensis adeo fingit vocem *Cerdon*, quae respondeat Latinae *corium*, unde cerdo profluxerit. Hunc autem popularem dicit, quia paulatim ita de gradu suo deiecta est *populi* appellatio, ut fere non nisi plebeculam denotaret vilesque homines, et populares opponerentur tum militibus, tum his qui altiore loco haberentur constituti, unde et *populos* appellat Cassiod. *Var. III,* 1. Is usus verbi iam ante lapsum saeculi secundi a Chr. n. Vide L. 1. §. 12. D. de Praef. Vrb. L. 24. C. Eod. L. 5. C. Th. de annon. neque alio sensu accipiendi sunt *populares animi* ap. Paulum *Rec. Sent. XIV,* 17. Pro his demum invaluit passivorum appellatio, in quam rem palam scribit D. Augustinus *contra Adamant.* c. 24. *Opp. T. VI. p.* 144. *Edit. Erasmi,* his usus verbis: *Dominus ait, Nolite cogitare de crastino ... Si hoc ideo dictum est ut non servetur panis in crastinum, magis hoc implent vagi Romanor. quos passivos appellant, qui, annona quotidiana satiato ventre, aut donant statim, quod restat, aut proiiciunt, quam vel Domini discipuli, qui etiam, c. ipso Domino coeli et terrae, in terra ambulantes loculos habebunt.* caet.

184. *Quid si nunquam.* * Id est, quidquid dimittati [1] fuerimus, peius superest. *

1 Corrupto loco sanando non unum emplastrum in promptu est. Scripserit *demetiti*, messem enim

vitiorum fecit Poeta, aut *dimetiti*, est enim *dimetiri*, Papia teste, pro largiri. Magis tamen placet pro genio glossographi, *dementati*. *Demento*, verba sunt Januensis, *a demens, dicitur furere, vel furiosum esse, et dementor, aris, deponens, in eadem significatione*.

185. *Vocem Damas. locasti.* Id est, praeco fuisti in mimo. Siparium [1] velum est, sub quo latent paradoxi [2], cum in scenam prodeunt: aut hostium mimi, aut quod appellatur comicum [3].

1 Conferam Donati verba, sed emendatiora ex Vet. Ex. *Aulaea quoque in scena intexta sternuntur, pro quibus Siparia aetas posterior accepit. Est autem mimicum velum, quod populo obsistat, dum fabular. actus commutantur.* Pith. — Plenius de *sipariis* egerunt Bulenger *de Theatr. I*, 29. Nic. Calliachus *de ludis scen. c.* 2. Gesner. in *Opusc. I*, 8. 2 Παράδοξοι, sunt histriones, qui se spectatoribus non exspectantibus ex inopinato produnt, e siparii latibulo prodeuntes. Henn. — Non patiar hac doctrina quemquam decipi. *Paradoxi* potius omnes sunt, qui in publicis certaminibus alibs vicerunt, *contraque omnes*, ut est in veteri lapide, *coronati sunt*, ut dudum erudite, ut solent, ostenderunt Petr. Faber *Agonist.* III, 21. disertius autem Scaliger de *Emend. temp.* p. 483. disertissime iam antiquitus D. Augustinus, vel quod propius verum est Curius Fortunatianus ap. Caperoner. in *Ant. Rhetor.* p. 326. παράδοξον, ait, *quod nos, opinionis malae, possumus dicere. tametsi quidam, purum diligenter Graece loquentes, paradoxa pro his quae sunt bonae opinionis accipiunt. Vnde vulgo etiam Olympionicas et caeteros victores sacrorum certaminum, paradoxos vocant, magis consuetudine, quam ratione ducti. Nam, ut opinor, παράδοξον est, quod παρὰ τὴν δόξαν, i. e. contra bonam opinionem.* Atque ad hanc

vulgo ortam appellationem respiciunt, opinor, Gl. Gr. Lat. παράδοξος, *mirus*, *excellens*, et Papias, *Paradoxus, qui se ad gloriam parat, vel admirabilis.* Noster adeo ad omnes scenicas personas protulit mimosque, nec fortasse iniuria, siquidem verum est, quod Salmas. ad *Vopisc. Aurel.* c. 42. docet, mimos non solum μιμολόγους dictos fuisse, sed et παραδοξολόγους. 3 His verbis occasio data videtur inquirendi, quid in Scena appellaverint *Comicum.* Verum mihi non dubium est, quin legi debeat, *ostium mimi, quod appellatur comicum.* Voss. in *Etym.* — Lege, *aut ostiarium mimi ait, quod appellatur conopeum.* Ostiarium, παραπέτασμα ostii est, ut Dufresnius monstravit. Conopeum dixerat supra Sat. VI, 80. Sch. — Sequitur Schurzfleischium Gesnerus loco paullo ante laudato, et recte, quod ad ostiarium, nam comicum servari potest, cum de re mimica sermo sit. Si *ostium* voluit Schol *siparium* interpretatus est de parasceniis, quae Hesychio sunt αἱ εἰς τὴν σκηνὴν ἄγουσαι εἴσοδοι. Ap. Schrev. *ostio* temere substitutum est *hospitium.* Valla verba, *aut quod appellatur comicum,* plane non agnoscit. Sequens porro Schol. incuria ap. Hennin. omissum est.

186. *ag. ut Phasma Catulli.* Nomen est mimographi, et Fasma nomen fabulae.

Catulli. Q. Lutatium Catullum [1] dicit, qui Voranum [2] servum furacissimum habuisse fertur, de quo hic posterius: (*sc. Sat.* XIII, 111.) scurra Catulli. De quo etiam illud traditur, cum deprehensus a nummulario esset, cuius de mensa nummos subtractos in calceos sibi infercíverat, quidam iocans in eum, *Belle*, inquit, *si te nummularius in ius vocet, tu ei aes ablatum ex calceo abiiceres* [3].

1 *Q. Lutatium Catullum* dicit, quem *Catullum Vr-*

bicarium decebat. Ille enim *Catulus* dicebatur, et tam procul a *Catullo* mimographo abest, quam *Catullus Veronensis*, quem tamen ex eodem fonte, quod nempe *Q. Catulus* librariis esset notior, *Quintum*, non *Caium*, Cuiacii Codex vocavit, ex quo male *Quinti* nomen Catullo vindicare sategit Scaliger, cum Th. de Simeonib. e veteri lapide, ap. Malvasiam ad *Marm. Felsin. p.* 503. contrarium demonstraverit. Etiam in Agellii quibusdam Codd. *Q. Catullus* male laudatur, quum carmen ibi *Quinti Catuli*, ut etiam legit Macrobius, proponatur. Sch. — 2 Forte, *Coranum.* Rupert. — Sed causam non video et est contra libros. 3 Forte, *obiiceres.* Almelov. — In scommate, sane nihil invenio scommatis. Legerim, *Belle, inquit, si tu numularios in ius vocares, tute aes ablatum ex calceo abiiceres.* Cogitent eruditiores. Sch. — Sed nec his hariolationibus quidquam proficitur, nec aliis, et ipse in causa est scholii auctor, qui et Catulum confudit cum *Catullo*, et, quod fuit scomma, non perspiciens, insulse retulit, et verborum negligens et sensus. Poterat tamen doctos viros in viam reducere Vorani nomen, si meminissent, illud apud Horat. *Sat. I*, 8. 39. occurrere, ibique inspexissent vetusta Commentaria. Ibi enim Cruquianus Commentator haec refert: *Aiunt Voranum, Q. Luctatii Catuli libertum, fuisse adeo furacem, ut nummos subreptos a nummulario in calceos demiserit: a quo cum deprehensus esset, quidam subridens, Belle, inquit, si te non ἐκχαλκεύσῃ, hoc est, verberibus, tanquam aes, recudat, alludens ad calceos.* Ita habet edit. Cruquiana, quae Antverp. 1579, prodiit. In altera vero, quam ibid. 1611. procuravit Fr. Dousa, p. 691. aliter et melius sic legitur: *Voranus, Q. Luct. Catuli libertus, omni loco, omni tempore furacissimus fuisse dicitur, de quo etiam illud traditur: Cum deprehensus a nummulario esset, cuius de mensa nummos subtractos in calceos sibi infarciverat, quidam iocans in eum, Belle, inquit, si te nummularius ille exchalciaverit, cum adspiratione secundae syllabae, simul ut χαλκὸν, id est, aes ablatum ex calciamento ob-*

iloeret. Ad hanc autem normam fere fabellam eandem iam olim retulit Coel. Rhodiginus *Variar. Lectt. XIX*, 9. nullo allato auctore, fortassean ex Acrone aut Porphyrio, nondum edito Cruquiano interprete. Videant quibus illi ad manum sunt, mihi enim nunc non licet esse tam beato.

187. *Laureolum.* Hoc ideo, quia in ipso mimo, Laureolo figitur crux. Vnde vera cruce dignus Lentulus, qui tanto detestabilior est, quantum ille gestum imitatus est scenicum. Hic Lentulus [1] nobilis fuit, et suscepit servi personam in agendo mimo, et deprehensus in falso crucifixus est.

1 Meminerunt Tertull. in *Apologet. c.* 15. et in lib. *de pallio. c.* 4. Hieronymus *ad Sabinian.* alii, Laureoli etiam Joseph. *XIX. Antiq.* Pith.

189. *Ignoscas pop.* Qui patitur nobiles agentes mimos spectare.

190. *triscurria patricior.* Locos tres currus nobilium fabulas agentes: dictum, quia tres simul exeant, quamvis aliquit quaerentes [1].

1 Legerim proxime ad Pithoei editionem, *iocose*, et, *quamvis alii quaerant ista.* Sch. — Pith. post *simul*, asteriscum posuit, quem retinuit Schrev. omisit Henn. praeterea uterque edidit, *Iocos, tres scurras*, Henn. autem insuper *quasi aliquid quaer.* In his, *iocos* defenditur a scriptura Cod. Sg. quae in caeteris Pithoeo convenit; nec emendari debet, ne Interpreti pereat derivatio vocabuli ἅπαξ λεγομένου, a *curru*, quamvis ea vera non sit, et potior sit ratio Papiae a *scurra* derivantis, et Guiberti apud Chesnium, transcurria non male explicantis, *ubi nil nisi iocularia sonant, et oculorum nutus et lingua.* In Cod. Hafn. quoque est glossa interlinearis, *scurrilitates,* quamvis ipse textus habeat, *tris-*

curia. Quae Salmasii de *triscurriis* sententia fuerit in eius libris editis nusquam proditum legi, suspicari tamen eam licet ex Epist. ad eum Sarravii XCV. in Gudiana Collect.

191. *Planipedes audit Fabios.* Nobiles neaniscologos [1].

1 *Neanicologos.* quid νεανικὸν Graeci appellant, notum est Graece peritis. SALMAS. ad *Tertull de pall. p.* 298. — Videndum num legi praestet *nealeschologi;* illud enim *neaniscologi,* quo magis cogito, magis evilet. Certe qui delicet, optem PONTANUS ad *Macrob. Saturn. II,* 1. — Lego, *mimologos,* ut ad *Sat. VI,* 275. Mimologus, μιμολόγος, ut ὑμνολόγος. MÜNCKER ad *Fulgent. p.* 96. — *Neaniscologos* retinet Dufresnius, et forte rectum, quum Graeci etiam νεανισκολογεῖν sibi indulgeant. SCH. — Apud neminem tamen reperio, etsi bene formatum. Caeterum transponenda est glossa: *Nobiles* enim ad *Fabios* pertinet, *Neaniscol.* ad *planipedes.*

192. *Mamercor. alapas.* Turpitudinis crimina. [1].

1 Scribendum divisim, *turpitudines, crimina.* SCH.

193. *nullo cog. Nerone.* Tyranno scilicet.

194. *Celsi praetor. vendi ludis.* Ignobilioris, quam ipsi sunt.

196. *Quid satius?* Vtique mori, quam mimum agere. nec debet quis mortem sic horrere, ut in arena se locet, sed ut mimum agat [1].

1 Henn. *seu ut.* ἀνωφῶς. hoc enim, nisi vecors sim, Poeta vult: in pari turpitudine et conditione gladiatorum et mimorum, illorum (*gladios finge*) tamen paullo esse meliorem propter abiectum mortis horrorem, quam horum (*pulpita pone*) vitam prae-

ponentium. Et ad hunc sensum commode Cod. Sg. *ut non in ar. se loc. sed ut m. agat.* Caeterum nota, non ulterius processisse Probum Vallae. Ipsius haec verba sunt: „Hic nos iam deserit Probus, nec „ultra hunc locum, quantum ad me pervenerit, in- „terpretatus est quicquam."

198. *Res haud mira.* Non est turpe, nobilem mimum agere, cum ipse Imperator citharaedus sit, et in scena cantaverit. Non est mirum si haec mavult sequendo ludium Principem, quam mori, quando ipsum imitatur Neronem.

199. *quid erit nisi ludus.* *Nisi ut gladiatores sint nobiles.*

200. *nec mirmillonis in arm.* Mirmillo armaturae Gallicae nomen, ex pisce inditum, cuius imago in galea fingitur.

201. *aut falce sup.* *Per falcem supinam,* Thracum armatura intelligenda est, quibus proprium telum sica est.

203. *movet ecce trid.* Infamis est, sicut gladiator, aut indicatur, aut verba sunt Gracchi [1], spernentis armaturam secutoris.

1 Lege, *aut indicatur, ut verba sint Gracchi.* Sch.

207. *Credamus tunicae.* Tunica de faucibus quidam vestem gladiatoriam dicunt, quam fibulam pugnaturis mordet a faucibus [1]. Alii, qua Galli utuntur in sacris, in modum organi utrimque decrescentibus [2] virgulis purpureis, nam fortuiti sunt veluti indicantibus partem corporis esse

amputandam. hi dubii habebant qui munera edebant, ut extremas partes tunicae ad guttur ornarent, quo famam haberent [3].

1 Corruptissima haec, ita puto legenda, *quam fibula mordet faucibus pugnaturi.* Ferrar. *l. c. P. I. L. III. c.* 15. — Nihil certius illa emendatione Ferrarii. Sic *mordere fibulam* Virgil. Ovid. Symmachus, dixere, *morsumque* eidem adscribunt Corippus, Calpurnius, Tertull. de Pallio. Hinc et G. J. Vossius *de Vit. Serm. III,* 12. illud Matthaei Parisii ad a. CIↃCCL. *firmaculum quod vulgariter morsus dicitur,* recte ad fibulam refert. Adde his elegantem Hieronymi locum *Select. Epp. III. p.* 543. Almeloveenio nostro observatum. *Itaque,* inquit, *furens et anhelans lictor, paludamento in cervicem retorto, dum totas exserit vires, fibulam quae chlamydis mordebat oras, in humum excussit, ignarusque rei, ensem librabat in vulnus.* Henn. — Schrev. recepit coniecturam Ferrarii. Pith. stellulam adpinxit ante, *pugnaturis,* et mox ante, *nam.* 2 Vet. *descrendentibus.* Pith. — In Sg. aperte est *decrescentibus.* mox ibid. *virguleis,* sed nec in reliquis ulla lux emendationis; ut vere dixerit Salmasius, Interpretem hic nugas blaterare. 3 In his ultimis quasi per nebulam verum vidit Int. partim tamen vera sunt, partim falsa. Verum enim est, tunicam illam qua Gracchus indutus est, ad guttur ornatam fuisse, h. e. segmentatam; sed neque ipse edebat munus, qui in arena habitu retiarii pugnabat. Voluit igitur dicere, vel intellexit, in praetexta fuisse, qui munera edebant. Salmas. ad *Vopisci* Aurel. c. 46. — Eadem est reprehensio Ferrarii, *l. c.* Ego tamen illis non temere velim auscultare. Quid enim? Annon verum est, eos qui munera edebant, quos muneratores appellat Florus, id studii, (sic enim omnino legendum) habuisse, ut pugiles gladiatoresque suos quam ornatissimos populo sisterent? et quis alius sumtus in eam rem erogasset, cum, qui se in arenam darent, ipsi non essent in ea causa, ut de suo peculio

possent? igitur hactenus sanus Interpres. Vellem autem dixissent quid mediae sententiae faciendum sit, verbisque, *nam fortuiti . . . . amputandum*, in quibus frustra elabendi rimam quaero. neque enim Schurzfl. medicina uti, nisi in illis, *id studii*, placet; in caeteris summa imis miscet et totum glossographi corpus, etiam qua integrum est, axungiis suis collyriisque inungit. Ita enim, nequid omissum queras, ille h. l. refingit potius, quam curat: *Tunicam de faucib. q. v. gl. dicunt, quam fibula in pugna aurata m. a. faucibus, ornamentis forte ibi hanc veluti indicantib. part. corp. esse amp. Id studii habebant q. m. ed. ut ex. p. t. ad gutt. orn. q. f. haberent. Alii qua G. ut. in sacris i. m. o. u. d. v. purpureis.*

208. *et longo iact. spira gal.* Pilo [1], quem habent retiarii [2]. Galerus est humero impositus gladiatoris huiusmodi aliquid, quo citius sparsum funem, vel iactatam retiam colligat.

1 Legendum, *Pileo*. Rutgers. *l. c. I*, 16. — Deleta nota (Pithoeus enim asteriscum praeposuit,) legendum est, *pileo*. nam Retiarii sine galea, et solo pileo tecti pugnarunt. Ferrar. *l. c.* — Forte, *pilleo*. ita enim dictum pileum, *a pelle hostiae, unde fiebant*, teste Isid. *Origg. XIX*, 30. Videtur ita leg. quia dicit *galero*, quod etiam pilei genus est. nam Isid. l. c. inquit, *Galerium, pileum ex pelle caesae hostiae factum.* dicitur etiam *Galerus* et *Galerum* imo *Galeria* Isidoro in Gl. Almel. — Recepit pileo, Schrev. in secunda Edit. Quod autem Schol. galerum humero impositum dicit, nugatur, nec paullo meliora quae sequuntur, in quibus non tam *galerum*, quam *spiram* explicare voluisse videtur. 2 Retium rete minutum denotat. Glossar. priscum: *δίκτυον, retium.* et in alio Glossar. Latino Graeco: *δίκτυον κυνηγετικὸν, plagula retium.* Retiam dixit sequior vel et plebeia meliorum temporum Latinitas. Barth. *Adv. LVIII*, 6. — Consule Additt. ad Dufresnium. Schrev. et Henn. *iactatum retium* substituerunt.

212. *Senecam praef. Neroni.* Ignobilem, sed virum bonum.

213. *Cuius supplicio.* Hoc ideo, quia parricidis in culleo clausis, ad poenam simia et serpentes[1] iungi solebant. A Nerone autem mater occisa est, et amita et uxor et Antoni Claudi illa[2], quae illi pro harum morte[3] nubere noluit. Sed apertius dixit, quia et matrem occiderit et uxorem Octaviam, eandemque sororem adoptivam, et Britannicum fratrem adoptivum filium Claudii peremit.

1 Infra ad *XIII*, 156. meliuscule *serpentem* numero singulari dixit. *μετὰ ἐχίδνης καὶ κυνὸς καὶ πιθήκου καὶ ἀλέκτορος*, verba sunt Dosithei ap. Schulting. in *Irspr. Antei. p.* 876. et Impp. Constantinus *L. un. C. de his qui parentes vel lib. occid.* ac Iustinianus §. 6. *Inst. de publ. iud.* tantum viperam commemorant. Interim et Seneca *de Clem. I*, 15. *non culeum*, inquit, *non serpentes decrevit*, et Plutarchus in *Gracchis*, *συνεμβαλόντες ἐχίδνας καὶ δράκοντας*; facileque in ea re variare mos potuit. 2 Lege, *Antonia, Claudii filia.* Tacitus *Ann. XV*, 53. ubi de coniuratione Pisoniana egit, *comitante Antonia, Claudii Caesaris filia.* Sch. — Praeterea et in verbis, *sed apertius*, unde alterius gl. incipit, ulcus latet. 3 *post h. mortem.* Pith.

216. *quippe ille Diis auctorib.* Orestes, qui et matrem occidit, sed ut patrem ulcisceretur et defenderet.

218. *aut Spart. Sanguine.* Helene, vel Hermione[1].

1 Id est, *Helenae* et *Hermionae*, ut Sg. et Henn.

221. *Troica non scripsit.* Hoc ideo, quia Nero Troados libros scripsit, unde et maxime insanivit, quia poeta fuit. Virginius autem unus de coniuratis, qui Neronem occiderunt [1].

1 Alia hic scholia e Vossiano prodit Burmann. ad *Anthol.* Lat. T. I. p. 461.

222. *Debuit ulcisci.* * Hoc est qui apem (f. Neronem) occiderunt. *

226. *Graiaeque apium.* Quia apud Isthmios Agones victores apio coronantur. Nero autem Isthmiaco certamine inter citharoedos certans, apio, uti mos erat, coronatus est.

227. *Maiorum.* * Tuorum maiorum habendi laudem vocis tuae, ad quam ipse Nero dicat de se. *

habeant ins. vocis. Voci missaria [1].

1 Infima Latinitas *missa* et *missaria* pro praemiis certaminum usurpavit. Ut enim ὁ ἆθλος est certamen, τὸ ἆθλον praemium certaminis et brabeum: sic ad hoc exemplum, quum missus equorum sit certamen, et *missum* et *missarium* de praemio missibus proposito dictum. Glossae ἆθλον, *missum.* Salmas. ad *Solin. p.* 693. — *Missarium*, quod praemii loco mittitur poetae, qui praeconis voce victor pronuntiatur in scena. Est igitur a mittendo, ea forma, qua *emissarius* dicimus. τὸ κήρυκτρον intelligi manu sua adscripserat Ios. Scaliger. Sententia poetae est: Alii ante maiorum effigies collocent hostium spolia: tu, Nero, ante eas colloca coronam ex apio, ac similia ornamenta, quae missa tibi, cum vicisses citharae cantu. Sed quid si Schol. non *missaria* scripserit, verum *missoria?* Voss. *de Vit. Serm. III*, 26. — Forte, *missa.* Philoxeni Gl. ἆθλον, *missum* dicit. Almel. — Legendum forte *misso-*

ria. Vide Dufresnium et Salmas. et meliora, si potes, exsculpe. Sch. — Post *missaria* Pith. asteriscum collocavit, unde, quasi a Schol. esset, Schrev. sic gl. hanc edidit: Vocis missaria *hoc est ἆθλα, *missa.* Henn. autem: Vocis missaria* h. e. ἆθλα. — De praecedentis Schol. e Cod. Sg. vitiositate quaerere, vix operae pretium est.

228. *Ante p. domiti.* Alii Domitium Senatorem volunt, qui a Nerone coactus est mimum agere.

229. *Syrma.* Vestis tragica est. Has autem personas Nero saltavit. Menalippus est, qui Tydeum occidit.

230. *Et de marm. c. s. Colosso.* Colossum, statuam ultra mensuram, suspende statuae citharam, non trophaeum: ut Nero scilicet.

231. *Quid Catilina.* * Exempla omnia collegit, quibus nobiles nihil virtutis fecerunt. *

234. *Vt braccator. pueri.* Gallos significat, et deest, teneant [1]. Allobrogae, Galli sunt. Ideo autem dicti Allobrogae, quoniam brogae Galli agrum dicunt. Alla autem, aliud. Dicti igitur quia ex alio loco fuerant translati [2].

1 Fortasse *tenent* scripsit, et falso proverbii loco accepit, quasi de re omnibus, etiam exterarum gentium puerulis nota. 2 Refutat Sch. Bochartus, *Geogr. Sacr. p.* 753. ubi docet Allobrogas dictos montanae Sabaudiae incolas, quoniam *bro* regionem vel agrum, τὸ *al* vero excelsum notat. τὸ *alla* enim Schol. est ἄλλο, non Gallice, sed Graece. Obiter nota, vocem illam *broga*, pro *agro*, in Celtica lingua superstitem. Certe in Batavia multorum pagorum et agrorum nomina terminantur in *Brock.*

Heyn. — Lege Dufresnium voce *Broga*, qui ἄλλα emendavit ex *alla*. Sch. — Si de nominis derivatione virorum doctorum somnia nosse cupis, adi inter alia *Diction. de Trevoux* et Menagii *Diction. Etymol. de la Langue Franç.* edit. noviss. Est vocabulum mere Germanicum, ex *al* sive *el* et *broeck, broock, bruck*, et etiamnum alnetum nostris rusticis *ellbroock* appellatur.

235. *tunica punire molesta.* Vestis ex charta [1] facta, pice inlita, in qua ignibus poenae addicti ardere solent. Aut, si estis id conati, quod hoc pacto debent puniri [2].

1 Quid hoc, *ex charta?* Scripserat, vix enim est dubitandum, *ex sparto.* Servavit rei memoriam Isidorus in Gl. *Culleus*, inquit, *tunica ex spartho in modum crumenae facta, quae linebatur a populo pice et bitumine, in qua includebantur parricidae cum simia, serpente et gallo mittebatur in mare: et contendentibus inter se animantibus, homo maioribus poenis afficiebatur*, ubi scribendum, *et mittebantur.* Confudit quidem cullei poenam cum illa vivicomburii, quod et annotavit Casaubon. ad *Sueton. Aug. c.* 33. attamen, quae in hac reorum vestis fuerit, unus prodidit exserte, quisquis eius Glossae auctor fuit. Isidori enim non esse, ut nec multas alias in Isidori glossis, satis certum est ex his, quae idem in *Origg.* de cullei poena tradit. 2 Aptius legeris, *Ait, si estis id con . . . . punire*, vel potius, *debeat puniri.* Sch. — Legendum, *Ausi estis* et *debeat.* Wakefield ad *Lucret. III*, 1030.

239. *et in omni monte.* Quia in montibus condita est Roma. Legitur et pontibus, propter Molvium [1], ubi Catilinae coniurati et Allobroges deprehensi sunt.

1 Mallem *Mulvium* aut *Milvium.* Vid. Sallust. *Catil.* c. 45. Henn. — Emendatius est scribere,

legitur et, in ponte, propter Mulvium, vel etiam, *Milvium*. Sed prius rectius. Μούλβιον enim Zonaras, Paeanius, alii. Sch. — De orthographia nominis cf. Drakenb. ad *Liv. XXVII*, 51. et Intt. ad Sallust. *l. c.* Pro *Molvio* stat hodiernum nomen, *ponte Molle*. In Sg. est, *Molbium*.

240. *non Leucade.* Propter Antonium et Cleopatram, quia bello navali sub Leucade, promontorio Epiri, devicti sunt ab Augusto.

242. *Thessaliae campis.* Ibi nam ab Augusto victi sunt Brutus et Cassius et Pompeius a Caesare.

244. *Roma p. p. C. libera dix.* Non per adulationem, ut Augustum. Hoc nam differt ab Augusto Cicero, quia alia armatus, alia pacatus [1] defenderit libertatem et civitatem. ut Lucretius

. . . . Romani maximus auctor
Tullius eloquii, cuius sub iure togato [2] *etc.*

1 Lege, *aliter arm. aliter pac.* vel etiam *alter.* Sch. — Forte, *quia alius arm. occupaverit, alius pac. defenderit.* Achaintr. — Nempe *alius* utroque loco iam Henn. dederat. 2 Grotii editio *VII*, 63. habet *togaque.* Almel. — Scil. apud Lucanum, quod nomen pro Lucretii, recte iam restituit Schrev. eumque secutus Henn.

247. *Nodos. p. h. frang. v. vitem.* A Centurione vapulando suo vertice frangi patiebatur Marius vitem, cum militat [1].

1 Malim, *cum militabat.* Sch.

251. *Atque ideo.* Mario, inquit, debellando Cimbros, corvis avibus [1] fuit miraculum ire ad

maiorum cadaverum praedam, quia grandi statura sunt Galli. Virgilius, (Aen. VIII, 662.)

. . . *Scutis protecti corpora longis.*

1 Malim reponere, *corvos ex avibus*, ne striбligo committatur, quam tamen interdum huic Grammatico, Afrismis dedito, indulgere debemus. Sch.

253. *lauro collega sec.* Secundo, per Marium, familia nova. Nam primo per Ciceronem nobilitati, hoc est, ut triumpharet. vel secunda lauro dixit, quia secundo loco triumphavit post collegam suum [1].

1 Turbata sunt omnia. Legerim, *Arpinates*, ea vox exciderat, *secundo per Mar. familia nova (nam primo per Cic.) nobilitati, hoc usque, ut triumfaret. Vel sec. lauro dixit, quia sec. loco tr. post collega suus.* Vel lege, *post eum collega.* Sch. — Putem, verba *nobilitati, hoc est, ut triumpharet,* interpretationem esse verborum Poetae, Nobilis ornatur, *hoc est, nobilitatus, ut triumpharet* eamque glossam alteri incuria mistam.

254. *Plebeiae Decior. animae.* Decii, pater et filius, somnio moniti, pro incolumitate Populi Romani se devoverunt, alter bello Latino, alter bello Gallico. Nam pater cum esset Collega L. Menelii [1] Torquati, essentque somnio admoniti, eam partem victricem fore, cuius dux in proelio ceciderit, Decius, calcaribus equo incitato, in medios hostes inruit, ibique pugnans interfectus est. Cuius cum corpus milites liberare contenderent, cum plena sunt reversi victoria. Hoc exemplo patris pro bello Samnitico et Tusco, bello Gal-

lico ab hostibus est filius interemptus, de quibus et Virgilius,

Quin Decios Brutosque [2] . . . .

1 Legendum *Manlii.* RUTGERS. *l. c. VII,* 18. — Recepit HEYN. 2 Virgilii Editt. VI, 825. *Drusosque.* ALMELOV.

255. *pro totis legionib.* * Id est, pro salute omnium ad mortem se obtulerunt. *

258. *Pluris enim Decii.* * Plus meriti habentur Decii apud deos, dum hi se pro patria voverunt, quam habet ipsa patria apud deos meriti, quae servata est. *

259. *Ancilla natus.* Ocriculana [1] captiva. Servius Tullius.

1 Emendo, *Corniculana,* duabus primoribus literis transpositis leviter, et una inserta. MEURS. *Crit. Arnob. V,* 7. — Quod praeter Festum et Arnobium claret e Livio *IV,* 3. In secunda Schrev. editione hinc ipsi scholio adiecta sunt verba: *an Corniculana,* de Meursii emendatione.

260. *regum ult. ille bonor.* Nam fuerunt reges postea superbi [1]. Sextus a Romulo: nam septimus Tarquinius fuit Superbus.

1 *Superbi* notant extremi malos, malitiosos. Et ita *superbia* pro malitia medio aevo sumta est. Nam quod Dufresn. *dolum* vult esse, in eo quidem errat, et exempla ipse producit sibi contraria, in quibus nempe a dolo superbia separatur, et etiam arcetur. Lex enim *Longob. I,* 16. §. 5. '*Si quis dolose,* ait, *aut per superbiam mulierem percutere praesumserit.* Et quid significet in Capit. Pipini *c.* 37. commatium, *qui per superbiam iurare noluerint semoti,* si qui-

dem ibi Superbia notet dolum? Sed nos in re clara λογομαχεῖν nunc quidem nolumus. Sch. — Sed vel sic scabrum manet Schol.

262. *iuvenes ipsius Consulis.* Ipsius Bruti filii, qui a patre securi percussi sunt, portas aperiebant, ut Tarquinius Superbus intraret.

264. *cum Coclite.* Horatius Cocles cum fessos milites suos ab Etruscis videret, pontem sublicium subduci iussit, ne protinus hostes ad urbem irent, et ipse solus interim exercitum Porsennae sustinuit, dehinc armatus Tiberim transnatavit ad suos.

265. *virgo natavit.* Cloelia virgo inter obsides data Porsennae a Romanis, simulans ritu patrio velle se in ripa Tiberis cum caeteris virginibus sacra facere, ablegatis custodibus transnatavit, et a Porsenna recepta in tanto honore habita est, ut cum caeteris obsidibus in patriam remitteretur. Huius rei caussa et statuam equestrem meruit inauratam.

267. *Matronis lugendus.* Propter Lucretiam scilicet vindicatam, vel quia Superbo sub tyranno vim patiebatur castitas matronarum. Vindicius, servus, qui indicavit filios Bruti Tarquinio velle portas reserare, quos pater securi feriit, servum autem, ut conservatorem patriae manumisit, et ut delatorem dominorum cruci adfixit [1], quod factum matronae planxerunt.

1 Hanc Vindicii necem nemo alius veterum scripto-

rum memorat, nec genus poenae, plane servilis, convenit personae Vindicii solemniter manumissi et civis Romani facti. Fabula forte ex illo nata, quod apud Orosium *Histor. V*, 19. legitur, in Mariano tumultu Sulpicium, Marii collegam, servo suo prodente, prostratum esse: servum ipsum, quod hostem indicaverat, manumitti, quod vero dominum prodiderat, saxo Tarpeio deiici Consules decrevisse. Ea autem vel in cives antiqua poena fuit et ratio iustissima. Huic enim servo proditionis causa lucrum turpissimum, Vindicio reipublicae imminens periculum. Pessime autem hanc gl. corrupit Schrev. edendo: *non manumisit, sed ut delat.*

268. *prima securis.* Quia primus Consul Brutus secures accepit.

273. *Nomen ab infami.* Romulus, ut augeret populum Romanum, secutus Atheniensium morem, asylum in loco [1] constituit.

1 An, *in luco*. Pith. — Facit Livius *I*, 8. *locum, qui nunc septus descendentibus inter duos lucos est, asylum aperit*, et Dionysius μεθόριον δυοῖν δρυμῶν appellat. Aliud ad h. l. schol. exhibet Wasse ad *Sallust. Iug.* c. 88. Apud Henn. male *in eo loco* excusum est, Schrev. autem tacite recepit Pithoei emendationem.

275. *Aut pastor.* Quos collegit Romulus.

quod dicere nolo. Servus, aut infamis, vel latro. Nam latronum, aut perditorum collegit populum.

IN SATIRAM IX.

QUERELA NAEVOLI DE RE INPUDICA.

In hac Satira Nebulo Philopygista [1] queritur, quod divites cinaedi avarissimi sunt, et nihil de obsequio libidinis possit adquirere.

1 Lege, *Naevolus, φιλοπυγιστής.* Pith. — Receperunt *Naevolus* Schrev. et Henn.

2. *Marsya victus.* Aut proprie ab eo [1] quem Apollo vicit, aut advocatus temporis illius.

2 Legendum, *Marsya, Ab eo, quem Ap. vicit.* Non multi momenti additio notae est, quam in MS. invenimus, quia tamen additio est, ponemus, *et excoriatum ad obsequium deduxit.* Sch. — In Sg. *adeo.*

4. *Ravola dum Rhod.* Fecisti vultum tristem, qualem Ravola fecit, cum deprehenderetur lambens.

Rhodopes. Turpia. Rabula, a facto etymologiam nominis sumpsit poena [1].

1 Melius, *Poeta.* Pith. — Legendum, *cum deprehenderetur lambens Rhodopes turpia.* Turpia eadem quae in Luitprandi Legg. *turpitudo,* natura sequior. Postea in iis glossis sequatur, *Ravola, aut proprium est. a facto etymologiam nominis sumsit Poeta; aut advocatus illius temporis quili-*

bet. Sic in libro nostro haec fere leguntur. *Ravulus*, raucedine laborans. Sic a facto τὸ κύριον sit. Sed placuit deinde *Ravolam* dici eum, qui hodie *rabula* scribitur, pro qua voce tamen *ravola* constanter scriptum in MSS. Symmachi Codd. invenit Fr. Iuretus ad *L. III, ep.* 23. et in Warnerio MS. Poeta, Dufresnius. In glossis scriptis additur, *Rhodope regia femina, meretrix.* Sch. — In Sg. quoque binae Pithoeanae glossae in unam contrahuntur, sed minore motu, hoc modo: *Ravola dum Rhod. Talem fecisti vultum tristem, qualem Ravola fecit, cum deprehenderetur, cum lamberet Rodopae Turpia. Ravola, Rabulà, a facto aethimologiam nominis sumpsit poeta*, sic enim habet, etsi secunda manus mutavit in *poena*, superscripta littera *n* τῇ *t*. Ultimis autem verbis ostendere vult, diversam tantum esse scripturam nominis *Ravola* et vocis *rabula*, et de industria factum esse nomen propter etymologiam. Utrum autem *rabulae* vocabulum a *raucedine* deduxerit et in ea re Festum secutus sit, an, quod rectius videtur, cum Nonio, a *rabie*, non patet.

5. *Nos colaphum.* Sensus talis est, Servus colapho percutitur a nobis, si placentam linguat: rabula [1] autem cum lambat inguina feminarum, impunitus incedit. Crustula, species operis pistorii. Lucullus,

Crustavi crustula solus,

placenta [2].

1 Legendum, *Ravola*, is enim est, quem Poeta exagitat. Rutgers. *l. c. III*, 17. 2 Lege, *Lucilius,*

— gustavi crustula solus,

id est, placentam. Refertur et a vet. interprete Horat. ad *Lib. I. Sat.* 1. Pith. — Legitur eodem MS. libro, *matronarum,* ubi editum est *feminarum.*

Reliqua bene constituit Pithoeus, nisi quod moneo, in scripto libro extare *crustravi*, non *gustavi*, ut ille voluit, et addi post vocem *placenta*, verba, *vel et omnia, quae comedi possunt*, ut videlicet *crustum* exposuit Servius. Sch. — *Gustavi* recepit Schrev. et idem voluisse videtur Henn. ap. quem *gustravi* extat. Emendationem *Lucillius* firmat Cod. Sg. in quo a prima manu est *Lucillus*. ante id nomen praeter rationem post Pith. stellulam adiiciunt. Obiter monendi sunt, qui hunc versiculum pro spurio habent, eundem bis in testimonium advocari a Servio et *Georg. III*, 360. et *Aen. VII*, 115. et qui de συνυφείᾳ solliciti sunt, eam non longe quaerendam esse, si sumamus tertio versu, non, *Quid tibi*, sed, *Quid mihi*, scripsisse Iuvenalem, ut respondeat Naevola, tantum abesse ut habeat lambentis inguina Ravolae vultum, ut colaphis adeo excipiat servos lambentes crustula.

8. *et fatuos.* Qui ei scilicet pecunias credant non soluturo.

10. *Vernam equitem.* * Civem intra urbem natum hilarem te faciebas. *

11. *Et salibus.* Id est, facetiis urbicis abundas. id est, urbanus. id est, qui solebas in conviviis iocis omnes fatigare [1].

pomaeria. Loca appellantur, quae intra muros sunt, hoc est pone muros.

1 Lege, . . , *abundans eras urbanus, itemque sol.* caet. Sch. — Schrev. *abundas, id est, es urb.* Henn. *abundas, et es urb.* Sg. recte *abundans, id est, urbanus*, nec quae sequuntur agnoscit, quia sunt ex alterius Glossographi penu.

12. *nunc contra.* * Id est, contraria laetitiae. *

14. *fascid visri.* Psilotrum significat, dropacem quo solebat se accurare [1].

1 Vet. ex. habuit, *accusare.* Pith. — Lege, *quo se solebat accurare.* Sch. — Ita vero etiam Pith. sed solet fere Schurzfl. tantum prae oculis habere Henn. editionem, in qua illud *quo* incuria omissum est. *accusare* etiam in Sg. est.

15. *Sed fruticante.* * Populante, virente. *

16. *Quid macies aegri vet.* Ita macer et decolor, tanquam quartanarius [1].

1 Quartanarius est, febre quartana laborans, non solum apud hunc auctorem, sed et apud alios complures, satis etiam vetustos, quorum loca indicavit Dufresnius. Sch.

17. *domestica febris.* Consueta, familiaris.

18. *Deprendas.* Id est, omne vitium corporis, sive aegritudo, ex faciei colore deprehenditur.

animi tormenta. * Quia animo aegrotat, non corpore. *

19. *sumit utrumque.* Id est, et laetitiae et aerumnarum.

20. *flexisse vid. Propos.* * Id est, excessisse institutum. *

22. *fanum Isid. et Ganym.* Statuae, ad quas conveniebant cinaedi.

23. *et advect. s. palat. matris.* Matris Deum mysteria, cuius templum in palatio est.

25. *Notior Aufidio moech.* * Famosior moechus, quam Aufidius quidam. *

26. *Quodque taces ipsos.* Solebas scilicet [1], quod non confiteris. Hoc autem vult; ex persona poeta eorum refert, qui divites se inclinant viros, et tam modica consequuntur [2].

1 Clara sunt priora verba, *Solebas scilicet*, hodie diceremus, *τὸ solebas ἀπὸ κοινοῦ.* Sed noster Schol. ἀπὸ κοινοῦ aliter usurpare solet. Sch. 2 Melius, *qui divitibus se inclinant viris.* Pith. — Emenda, *Hoc a. velut ex pers. poeta eor. ref. qui divites inclinant viros.* Rutgers. *l. c. I*, 16. — Lege, *velut ex pers.* Reliqua optime emendata sunt. Sch. — Nimirum ap. Henn. legitur, *qui divites scilicet inclinant viros et tamen mod. conseq.* Schrev. in secunda ed. *τὸ se* abiecit retenta stellula, quam ante eam vocem posuerat Pith. In Sg. *inclinans.*

27. *Vtile et hoc.* Naevolus hoc refert.

28. *pingues aliq. lucernas.* In alio *pingues*, ut ostendat grossas [1] et per hoc pluviales, quae muniant a pluvia, non quae ornent.

1 Lege, ut in veteri libro offendo, *lanae filique pinguis, ut ostendat crassas.* Britannicus, cum *pinguis* explicat *crassioris lanae et fili*, eodem modo legisse videtur in suo codice. *Togam crassam* Horatius dixit. Tamen *grossa* pro interprete retineri poterit, quod et alibi de vestimentis legitur, ut observavit Dufresn. Sch. — Esto. Sed qui scripsit, *In alio, pingues*, aliam in suo cod. habuisse debuit lectionem, hodie ignoratam. Nam quod Pith. in sua edit. *pingueis* scribit, antiquum, ut solet, pronunciandi morem secutus, vix pro diversitate habendum est. Cogitent doctiores. De re vid. Salmas. ad *Lampr. Alex. c.* 27.

30. *Et male percussas.* Male textas.

textor. pect. Galli. Veneti, aut albedine [1] cadurco cucullo. ut alibi

Veneto duroque cucullo.

1 Videtur legendum, *albelione*. Ruperti. *l. c. VI*, 18. — Legendum, *ait albidum cadurcum, ut alibi, Institor hibernae tegetis niveique cadurci, et alibi de Veneto cucullo, Atque ibi contentus Veneto duroque cucullo.* Prior locus est Sat. VI, 221. posterior Sat. III, 170. ubi tamen legitur, *Contentusque illic Ven.* Sic sana planaque sunt omnia. Sch. — Schrev. et Henn. *Veneti, ut albidum cadurcum cucullo. ut alibi, Atque ibi contentus Veneto duroque cucullo.* Ille praeterea subiungit, *Niveique cadurci, alibi*, quae omnia vim maiorem inferunt, modo distrahendo, modo augendo. Lenius videtur, *Galli* (i. e.) *Veneti, aut albidi cadurci*, (sive) *cuculli, ut alibi* (III, 170.) *Veneto duroq. cuc.*

31. *tenue arg. venaeq. secundae.* Modicum, aut leve, aerosum [1].

1 *Aerosum*, in *erosum* vel certe *aeruginosum* mutaverim. Sch. — Bene *erosum*, quod iuvatur Cod. Sg. in quo est *rosum*. sed *aeruginosum* non est huius loci, cum sit quod *aerugine* abundat, unde et descendit, quare etiam errare Forcellinum dicamus, qui *aerosum* et *aeruginosum* eiusdem significationis facit.

33. *Quas sinus abscondit.* Penem dicit.

nam si tibi sid. cessant. Si te non adiuvat fatum.

34. *mensura inc.* Ante non visa, quae excedat opinionem hominum.

35. *spumanti Virro labello.* Quia salivosus fuit [1]. Virro nomen divitis. Quamvis, inquit, ille dives cinaedus penem tuum conspexerit, et cupiditate blandis te epistolis et clypticis [2] sollicitet, nihil tamen accipies, nisi stellas bene positas in genesi habueris, quae tibi hoc praestent.

1 Haec inepti sunt monachi. Veram causam, cur spumanti dixerit Satyricus, dixit Grangaeus ad vs. 4. Sch. 2 Lege, *dypticis.* Pith. — Legendum, *diptychis.* Isidori Gl. *Diptycha, tabellae quas ferimus.* Rutgers. *l. c. VI*, 18. — Scribe, *diptychis.* Isidor. *Diptycha, tabellae, quas ferimus,* magis vero ad rem Papias: *Diptycha, sunt tabulae quibus corruptores amorem suum inscribunt puellis:* erant et libri ecclesiastici duo, quorum alter complectebatur mortuorum, alter viventium nomina, ut pluribus Meursius docet, qui videndus p. 130. *Glossarii.* Almelov. — Scribe, *et tui cup. bl. te ep. et diptychis soll.* Notarunt iam alii. Vide praeter Rutgers. Salmas. ad *Spart. Adr. c.* 7. Dufresn. *h. v.* ante omnes Pith. *h. l.*, qui *diptycis* vel *dypticis* legit. Nam ita illo aevo scripsisse sciebat vir ille antiquitatis accuratissime peritus. Mirum autem sit, si Papiae verba non sint ex aliquo Schol. Iuvenalis vetere desumta, qui tamen, quid sit *Diptychum*, coniecit potius, quam novit. Sch. — De *Diptychis* multi multa, in his Vulpius *Divinat. in Dipt. eburnum Vaticanum, Patav.* 1750, *p.* 27. ubi ostendit, ea nihil facere ad h. l. nec respondere *densae tabellae* apud Satyricum. Dufresnius, qui multus est in eo verbo, recteque ostendit Ecclesiastica diptycha, non duum, sed trium generum fuisse, omisit Ianuensis locum, quem adiicio, ut simul e Cod MS. emendatior legatur: *Dyptica, ce, fe. ge. parva tabula manualis, quae et pugillaris dicitur et epymeris. Vnde quidam, Clerice dypticam lateri ne dempseris unquam. Et derivatur a dico, as. Vel dicitur dyptica a dya, quod est duo, et theca, quod est positio, quia duorum theca, seu tabulae duae. Si enim plures ibi sunt, non proprie dicitur dyptica, secundum Vgution. Papias vero dicit, Dypticae tabellae, quibus corruptores amorem suum inscribunt puellis. et producit, pti.* Schrev. et Henn. *dypticis* receperunt.

57. Αὐτὸς γάρ. Ipse ad se trahit [1].

1 Possis legere, *ipsum astrum trahit*, vel, *te trahit*,

ut legerit Int. σὲ γάρ αὐτὸν ἐφέλκεται ἄγρα κίναιδον. Sch. — Haec vir doctus, ut vel ex Int. fulciret suam in Graecis Poetae verbis emendationem, quam merito reiecit Rupertus. Quid pro antiqua lectione olim dixerit Danaeus vide ap. Sinner. in *Catal. MSS. Bibl. Bernensis T. III. p.* 218 *sq.* In Sg. nihil Graeci hic conspicitur, sed ad verbum, *Sollicitent*, refertur glossa, *ipse ad se trahit.*

38. *mollis avarus.* Id est, dives avarus, infamis. Virgilius,

Tristius haud illo [1] *monstrum, nec saevior ulla.*

1 Lege ex *Aen. III*, 214. *haud illis.* Almelov. — Cod. Sg. *illi.*

39. *Haec tribui.* In alio [1] tulisti. Verba divitis.

mox plura ded. * Adeo nihil aeque dedisti. *

1 Henn. *Multa tulisti.* Sed videtur ea gl. pertinere ad verbum Poetae *tulisti*, ut varietatem lectionis indicet, et in suo Cod. aliud quid habuerit, nempe, *dedisti*, ut ex seq. schol. apparet. Igitur sic legenda: *dedisti, in alio, tulisti.*

40. *Computat ac cevet.* Fiat computatio. Cevet, crisat.

43. *An facile.* An putas, quod et in corrumpendo labor non est.

45. *quis oderit* (sic) *agrum.* * Id est, non erit miser, qui in agro laborat, non in dominum. *

47. *Et pulchrum.* Hoc est, Ganymedi te comparas.

48. *Vos humili.* * Interrogative arguit. *

49. *Cultori.* Id est, tenui clienti quemadmodum [1] tu donabis, qui libidini tuae conferre dubitas?

1 Virronem et reliquos Virrones per apostrophen Poeta alloquitur: Quid dabitis aliis minus acceptis clientibus, si vestros amores defraudatis? In Schol. ergo legendum, *quaenam admodum.* Sch.

50. *Incultu* [1] *v. v. c. succ. mittas* **Grandia.** Gemmata dextroceria [2].

1 Scribe, *En cui tu.* Pith. 2 *Dextrocheria* nominantur, quae alias *dextralia* sunt. De iis vise Casaub. ad *Capitol. Maximin. c.* 6. qui Isidori locum refert. Id est *lib. XIX. Orig. c.* 31. ubi non *dextras*, sed *dexterias* scribunt libri scripti. Adde omnino de *dextrocheriis* Dufresn. h. v. Sch. — Adde et Salmas. tum ad *Capitol. d. l.* tum ad *Trebell. in XXX. Tyran. c.* 14. is vero, quanquam multa Isidori exemplaria se contulisse profitetur, *dexteriarum* tamen nullam facit mentionem, ut de fide MSS. dubitare liceat, cum praeterea sit vox plane insolens.

51. *aut mad. ver. Incipit.* Matronalibus scilicet, quae sunt Kalendis Aprilibus, quibus est natalis Veneris [1].

1 Erravit, qui haec notavit Glossographus, et rectius rem dixit alter mox ad vs. 53. Matronalia enim satis constat celebrata fuisse Kal. Martiis, non Aprilibus, neque in honorem Veneris, sed Iunonis Lucinae. Porro, quanquam sit fama mense Aprili natam Venerem esse, eius tamen natalis non in Kal. Apriles cadit, sed in tertium Nonarum Aprilis. Ipsis autem Kalendis illius mensis in templo Veneris Verticordiae agebantur sacra et lavatio Signi Veneris, nec non festum Fortunae Virilis, de quibus rebus omnibus ad nauseam dixerunt Antiquarii nostri, quorum allatis testimoniis non addo nisi

Servium ad *Aen. VIII,* 638. quoniam is huius ipsius loci nostri usuram fecit.

52. *et strata pos. lon. cath.* Cervicalibus stratis. scamnum dicit [1].

1 Scamnum quid est? dico idem esse, quod Sellam. Nam in Lectica iacentes fere vehebantur, in Sella sedentes, ideoque et Scamnum dixere. Haud saepe legas, sed in hoc Iuven. Vet. Schol. loco, huic sententiae firmamentum repperi. Eo auctore, idem Scamnum, quod Cathedra, sive Sella. De Scamno quoque Seneca *Epist.* 55. *a gestatione cum maxime venio, non minus fatigatus, quam si tantum ambulassem, quantum sedi, labor est enim diu ferri.* Posset quidem hoc etiam ad Vehiculum aptari, sed de Scamno verius, quia dixit *ferri.* Lipsius *Epp. Miscell. Cent. III,* 11. — Lege, ut est in libro scripto, *Cervicalibus stratum scamnium.* Scamnium et scamnum, idem est. Sic in libris Alchymisticis scriptis Arnoldi de Villa Nova, *lignium, signium* et plura huiusmodi, pro *lignum, signum,* perpetuo inveni scripta. Sch. — *Stratum* quoque Schrev. et Henn.

53. *Man. femin. t. s. Kalendis.* Kalendis Martiis, quibus Iunonis sacra celebrantur a Romanis: quia et tunc Ilia compressa est a Marte. Tunc nam Matronalia sunt.

55. *Tot milvos.* Vult ostendere magnitudinem possessionum Poeta, quam latae sint agris, ut nec milvi transvolare eas possint. lassos igitur, id est, volantes [1] in agris tuis.

1 Lege, *id est, ex volatu.* In MS. legitur, *id est volatificos.* Sic legerim, *id est, volatu factos,* vel certe, *volatu fessos.* Sch.

56. *Tripholinus.* * Nomen possessionis in qua vineae plures erant [1]. *

1 Prope adcedit ad nomen hoc ignoti agri, fundi *Trivinioli* nomen, quod extat in *Cod. Traditionum Eccles. Ravennat.* quem eleganter edidit Bernhartius, Custos nuper Bibliothecae Monacensis, vir non indoctus et in monumentorum typographicorum notitia nostro aevo, cum viveret, facile princeps, cuius vel ideo hic honorificam mentionem facere libet, quod eius opera liberaliter me adiutum fuisse in istius Bibliothecae vere Regiae usu, non sine grati animi sensu memoria recolo.

57. *Suspectumque iugum.* Quod immineat Cumis, valde altum.

et Gaurus. Gaurus mons Campaniae. Inanis autem, superexhausto, aut [1] transacto vindemiarum tempore: aut, quia vaporiferos specus habet: aut melius est sic intelligere, quia omni arbore exspoliatus est, et solis vinetis vacat.

1 Lege, *nuper exhaustus, trans. vind. temp.* Sch. — Schrev. et Henn. *superexhaustus, ut tr. v. t.* in ultimis bene MS. Sg. *qui omni arb.* attamen ex correctione.

58. *Victuro dol. musto.* Multum duraturo.

59. *lumbos don. cl.* Magis debes illi [1] donare possessionem pauperi clienti tuo, qui libidini tuae satisfacit, quam puero, qui in agro tuo natus est.

1 Legendum, *illius don. poss.* Sch.

61. *et conlusore.* * Vt solent infantes delectare. *

62. *Cymbala pulsantis.* Archigalli, cymbala percutientis: ac per hoc Gallo inquit, dixit. legetur, id est, legatario donabitur [1].

1 Scribendus hic locus ita, *amici, archigalli cymb.*

percut. Hoc puero Gallo inique, dicit, tegetur, id est legatario donabitur. Legatario, id est, *per legatarium.* Legatarius enim executor testamenti dicitur, ut iam notavit Dufresnius, aut cape ἐπιῤῥηματικῶς, aut denique *in legataria* lege, et subaudi *charta.* Sch. — Lego, *ac per hoc Gallum dixit.* Ach. — Bene Schurzfl. *inique,* reliqua per se in tuto sunt.

63. *sed pensio.* Tributum, aut quod conductum manet [1].

1 Lege, *tributum ait, quod in conducto maneat.* Sch. — Schrev. et Henn. *aut quod in conducto maneat.* simplicius, *aut quod conductum habet,* h. e. clamat tributum aut locarium, quod solvendum est.

64. *ut Polyphemi Lata'ac.* Vnicus oculus Cyclopis, quem Ulysses excaecavit.

66. *ambo Pascendi.* Id est, ideo peto, quia pueros pasco, et vestio.

67. *bruma spirante.* Hiemis tempore, cum petunt calcearium, quid dicam?

69. *exspectate cicadas.* Aestivum tempus.

70. *ut mittas.* Negligas, dimittas.

71. *quod ni tibi ded. essem.* Id est, nisi tibi omni animo devotus fuissem, uxorem tuam non devirginassem.

73. *quam s. rogaris.* * Nosti, quemadmodum me rogasti, ut hoc facerem. *

74. *fugientem s. puell.* Volentem recedere de domo tua.

75. *tabulas q. rup. etiam Signab.* Dotales tabulas frangentem, et repudium volentem tibi dare,

et signantem tabulas, sive ut alii nubat, sive ut alium faceret heredem, saepius revocavi, dormiens cum ea. satisfaciens.

78. *Ad quem perv. lecti s. et d. vox.* In coitu non tacentis, quod virgo erat, ut sit mariti maior infamia. aut, cum virginem imitatur.

79. *Instabile.* * Infirmum erit. * Exclamatio est.

80. *Coniug. in m. d. serv. adulter.* * Id est, divortium fieri, saepius adulteri non permittunt. *

81. *Quo te circumagas.* Quo te vertas ad haec quae dicturus est [1].

1 Lege, *quae dicturus es.* Sch.

82. *Nullum e. meritum est.* * Id est, tantorum beneficiorum, quae in te contuli, nulla gratia vel vices rependitur? *

84. *Tollis e. et libris actor. sparg. gaudes.* Nutris: et, libris actorum, propter professionem scilicet, quia apud aerarium patres natorum deferebantur filiorum. Vel, nominum noticiem devulgare contestatione publica [1].

1 Divide et lege, *Tollis, nutris. et libr. actor. propter profess. scilicet, quia ap. aerar. patres nator. deferebant filior. nomina. Vel spargere, nomin. notit. divulgare. Susp. coron. contestatione publica.* Sch. — Minore turba sic in integrum restitui potest, e Cod. Sg. *nutris, et, libris actorum, propt. prof. scil. quia ap. Aerar. patres nator. defer. filior. spargere gaudes, id est, nom. notic. devulg. contest. publ.* Iam ante Schurzfl. Schrevel. sed sine necessitate dederat, *deferebant nomina.* Henn. qui in illis Pith.

sequitur, non perspecta vera distinctione, *inseris*, post *professionem* intrudit. De hoc Rom. more institutoque a M. Antonino Imp. in primis exculto Vid. Capitol. *in eius vita* c. 9. et praeter Intt. ibi Arntzen. in *Act. litt. Societ. Rhen. T. I. p.* 147. Tropice ab antiquis Ecclesiae Patrib. ac Theologis adhibitum est ipso Apostolo praeeunte. Vnum adducam locum, qui nuper Mabillonii Vetera Anal. versanti in oculos incurrit meque huius admonuit. Offenditur is in Leodardi Episcop. Lugdun. libro *de Sacram. Baptismi c. VI. p.* 81. nec videtur vitio carere. *Duae sunt*, inquit, *pactiones credentium* (in Baptismo, quem Tinctionem appellat.) . . . *Has pactiones fideles in Curiam proferunt Angelicam nomina profitentium: in libro excipiunt vitae, non a quolibet homine, sed a superiore coelitus potestate.* Sublata interpunctione, quae sensum turbat, scribendum existimem: *Has pactiones fid. in Cur. prof. angelicam; nomina profitentium in libro excipiuntur vitae, non a quol. hom. sed a sup. coelitum potestate*, h. e. ab Angelo aliquo. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ, ut alia multa, quae si quis ut aliena a loco culpet, sciat a nobis proferri ut et nobismet ipsis scribendi, aliis vero fortasse et legendi taedium miscellanea hac doctrina levemus.

86. *quod famae opp. possis.* Ne dicaris cinaedus [1].

1 Imo ne *orbus* dicaris, cuius ex Lege Papia haud paullo initior conditio, atque ipsius caelibis erat. *Fama* apud Poetam est nota orbitati ex Legum censura inusta, quod monere attinebat, cum a plerisque male capiatur.

87. *Iura parentis habes.* Haec omnia ad ius civile poeta retulit. id est, meo labore habes filios, et scriberis heres, et non pateris poenas orbitatis [1].

1 Multa ad hunc locum Satyrici, e penitissimis iurisprudentiae Rom. penetralibus haustum, et ab Interpretibus ad unum omnibus pessime adhuc tractatum, dici poterant, inprimis post detecta Gaii ICti opima spolia Veronae suspensa, nisi diligentiam nostram nuper praevertisset industria et eruditio Viri Ampliss. Hugonis in *Hist. iurispr. Rom. p.* 557. Edit. octavae.

90. *Si numerum, si tres.* Si tres filios fecero [1]. Nam a tutela excusant liberi, et in fascibus sumendis prior est, qui praestat numero filiorum.

iusta doloris. * Id est, iustas causas doloris habes, tamen ad haec quid ille respondit. *

1 In nostro libro legitur, *Si tres tibi genuero. Tunc enim haberes ius trium liberorum.* Recte tamen dicitur *filios facere,* Graecismo. Graeci enim παιδοποιεῖν vocant. et Galli hodie ita loquuntur. Sch. — *Facere sobolem* eodem sensu dixit Iustinianus *L.* 23. *C. de agric. et censit.* et *liberos naturales facere* Iulianus in *Novell. c.* 241. Legitur adeo pro *parere.* Sic in *Novell. II. Praef.* §. 1. Gregoria quaedam fertur supplicasse Imp. φήσασα δύο ποιήσασθαι παῖδας, quod antiquus reddit, *duos fecisse filios.*

92. *Negligit atque al.* Non curat, sed alium quaerit, qui eum corrumpat.

93. *Haec soli.* Naevolus amico dicit, Tibi soli haec secreta credidi.

95. *Nam res mortif.* Periculosus est cinaedus iratus aut offensus.

96. *ardet et odit.* * Id est, tanquam secretorum proditorem odit. *

97. *sumere ferrum.* Occidere, aut incendere domum.

99. *nec contemnas.* Ne tibi despectae sint, quas habet cinaedus iras. * Id est, quamvis cara annona veneni sit, tamen. * venena dat, quanticumque distrahantur [1].

1 Scholia ita reforma: *Sum. ferrum, occidere. candel. appon. valv. incendere domum. nec contemn. Ne tibi despectui sint quas hab. cin. iras. nunq. cara est. venena dat quantic. distr.* Sic satis cohaerent omnia. Sch. — *Despectus*, adiectiva forma, est ex usu medii aevi, etsi ap. Dufresnium non legitur. Ianuensis: *Despicor, ex de et specio, ... unde et hic despectus, us, et despectus, a, um.*

101. *ut curia Martis Ath.* Quia in Areopago primus est accusatus Mars a Neptuno, eo quod filium eius Palinrothion [1] peremisset. vel, in Areopago Athenis [2], ubi sententiae feruntur graviores.

1 Apud Apollodor. *III. Bibl. Alirrhothium.* Pith. — Legendum *Halirrhothium* ex Apollodoro. *Palinrhotium* Graeca compositio respuit, quae παλιῤῥόθιος esset. Sch. 2 Lege, *Velut in Areop. Athensis.* Occulta, ait Poeta, tege, tanquam Areopagita sis, quibus nefas erat causas iudicatas in populum efferre. Sch. — In Sg. *vel* abest, et recte, duplex enim est gl. Id. Cod. *dabantur*, loco *feruntur.*

102. *O Corydon.* O stulte.

secret. div. ull. Esse putas. * Id est, nihil potest esse secretum, vel occultum. *

106. *nemo recumbat.* * Iuxta cubiculum nemo dormiat. *

108. *Proxim. ante d. c. sciet.* * Quicquid in-

tra domum factum fuerit, statim vicinis nuntiatur. *

110. *archimagiri, Carpt.* Infertores, qui inlata carpunt [1].

1 Hinc ille apud Petron. c. 36. *Carpus.* Pith. — Malim, *Infertores et qui.* Munck. in *Burm. Syll. Epp. T. V. p.* 405. — Papias, Archimagirus, *princeps coquorum.*

111. *ulciscuntur.* * Detrahendo. *

112. *Baltea.* Lora quibus caesi sunt. * Quotiens servi loris caesi, confingunt plura cum iunioribus malis, quasi verberati, et ita se putant vindicari, si crimina in dominos dicant. *

per compita. Quadruvia [1].

1 *Quadrivia* Schrev. et Henn.

113. *vinosus inebr.* Impleat te ebrius secretis dominorum.

114. *ante petebat.* * Vt tacere possint. *

117. *Pro pop. fac. qu. Saufeia.* Sacrificans virgo Vestae [1]. Virgilius (Ecl. III. 77.):

Cum faciam vitulum [2] *pro frugibus ipse venito,*

* i. e. cum pro frugibus sacrificem, tu venito. *

1 An quae *Damiatrix* Festo? Pith. — Scil. ap. Festum v. Damium, *Dea quoque ipsa* (Bona Dea) *Δαμία, et sacerdos eius Damiatrix vocatur,* sic enim restituendum esse ex antiquitus excusis, pro eo quod etiamnum legitur, *Δαμίας vocatur,* dudum edixerunt viri docti, et confirmari potest e Cod. MS. Monacensi. Sane autem huic loco Satyrici magis convenit Maiae sacrificia intelligere, quam Vestae, ut volebat Schol. 2 In versu Virgilii laudato

alii *vitula* habent, alii *vitulam.* melius Noster *vitulum.* Neque enim *faciam vitulam* dixerit, qui vocis *Damae* genus mutavit, ne faceret ὁμοιόπτωτον. Sch. Vide Intt. ad d. l. Virgilii, et de formula, *pro populo facere,* P. Merulam *de Sacrific. Rom. c. I. §. 5.*

118. *Vivendum recte est.* * Propter plurima quidem recte vivendum est, sed maxime propter servos, ut eos possit contemnere, nulla conscientia territus. *

126. *festinat en. decurrere.* Id est, iuventus decurrere et senectus properare [1]. Virgilius (Aen. X, 467 sq.):

breve et irreparabile tempus
Omnibus est vitae.

1 Lege, *Fest. iuv. decurr. et sen. obrepere;* Fest. i. e. *festinat. Obrepere,* quia infra dicit, *Obrepit non intellecta senectus.* Sch.

128. *dum serta, unguenta.* Coronas et aromata [1].

1 Recte *serta* legit Int. non *certa,* et *coronas* exposuit. *Vnguenta* idem ait esse *aromata,* penultima longa, id est, ex aromatibus confecta. Potest etiam esse ut legerit *certa augmenta* in Poeta sciolus, et exposuerit *accrementa,* de quo verbo Dufresn. egit. Sch. — Plurima esse possunt, quae tamen non sunt, et ex illis coniecturas capere otiosi potius est, quam frugi hominis. Saepe ita ludit Conradus noster et ingenio abutitur magis quam utitur. Quae si praetermittimus, ut fere solemus, et silentiosi sumus, ut Apuleius ait, nolumus propterea in suasorum censum adscribi.

130. *pathicus tibi d. amicus.* Corrump. volens, aut corruptus.

131. *his collibus.* Id est, septem montibus, supra quos posita Roma est, Palatino, Tarpeio, Viminali, Aventino, Esquilino, Caelio, Vaticano.

132. *carpentis et navib.* Ad corruptores et itinere [1] venient, et mari.

1 *Itinere*, id est, terra, per iter pedestre, quod quis nempe pedibus facere potest. Sch.

133. *Qui digito scalp. caput.* Cinaedi, cum muliebri more componunt crines [1].

altera m. Spes sup. Multos inberbes habes tibi crescentes.

1 Lege, *Cinaedi nam mul.* Sch. — *Cum*, est, quia. Pro *caput*, Henn. edidit, *crines*. Non minus recte *caput* componi dicetur, quam *crines* comaeque. Certe Caesar *de B. G. I*, 32. similiter *comere caput* dixit.

134. *tu tantum erucis.* Dicitur haec herba ad coitum inflammare et vires dare.

135. *Haec exempla.* Respondet Naevolus.

136. *si pasc. inguine venter.* Vsque adeo infelix sum, ut vix industria inguinis ad victum sufficiat.

137. *thure minuto.* Thus minutum manna [1] vocant. et [2] in invidiam Deorum penatium, minuto dicit.

1 Malim *mannam.* Sic consensu libror. vett. Plin. *XII*, 14. *micas concussas, elisas, mannam vocamus.* Sic etiam μάννης vocabulo usi medici, Dioscor. *I*, 74. Galen. et alii. Vid. Voss. *de art. Gramm. III*, 20. Henn. — E cuius horreo hoc spicilegium fecit Henn.- Adsuetus Schol. cantilenis

ecclesiasticis neutro genere exhibuit, ut et Iannensis, quod alii feminino. quare nihil mutandum. 2 Lege, *aut in inv.* Ait videlicet minutum tus vocare Poetam, quod maiora tura offerre inviderint Penates dii, οἱ γενέθλιοι καὶ πατρῷοι. Sch. — Vereor ut hoc senserit Scholiasta.

138. *exorare corona.* Id est, coronatus floribus precari.

139. *Quando e. fig. aliquid.* Constituam, componam, habeam. aut certe [1] quia in ceris vota figuntur apud templa; aut habeam ubi maneam, aut supra quod incumbam senex.

1 Membrana legit, *Quando figam aliquid.* In Gl. MS. est, *Quando ego comminiscar quid, constituam, aut quia certa in picturis vota figuntur.* Vides utramque lectionem eum novisse, neque abnuam legere, *Quando ego fingam aliq.* In edito schol. legerim, *aut voveam certe, quia* caet. pro, *habeam, aut certe.* Scriptum primitus fuit a librario *bobeam* pro *voveam*, inde alii fecerunt, *habeam.* Sch.

140. *A tegete.* Casa [1] mendici, a mendicitate.

Viginti millia. Deest, *ut sint.*

1 Aut *a casula* lege, aut *casam* minimum pro *casula* accipe. Papias: *Casula, vestis cucullata, quasi minor casa, eo quod totum hominem tegat.* Habet et Isidor. *XIX*, 24. Sch. — Ex Isidoro, ut solet, Papias sua derivavit, ipsa autem explicatio sive emendatio ut nimis quaesita, abest ab opinione Schol. qui *tegetem* pro tugurio, idque recte, cepit. Audi Ianuensem. *Teges*, inquit, *parva domus, quae et tugurium dicitur. scilicet casula, quam faciunt sibi custodes vinearum vel pastores ad tegmen sui, quasi tegerium vel tugurium.* hanc

rustici campanam vocant, quia unum tantum capiat.

142. *Sed quae Fabric.* Plus sibi decem libris argenti petit. Fabricius Censor collegam suum notavit in Senatu, quia supra decem libras argenti, unam fialam invenit. Antea enim non licebat Senatorem plus habere.

et duo fortes. Lecticarios ait, quorum laturus [1] locem et securus Circenses exspectem.

1 Puto mendi notam (positam ante *latur.*) delendam, et legendum *spectem.* Fuerunt suo cuique saeculo ut vitia, sic verba sua. huius generis sunt illa in his glossis, *mallare, manicare, minare, plagare, lenare, similare, decollare, acrum, coruscus, sabana, armilausia, catomum, desipes, luteum, consiliator, glutto, matta, armaria, concubium, calcearium, retrior, manciparius, gutturosus,* et illud *nam,* secundo tertioque loco positum: sed et scribendi forma, *thensaurus, formonsus, Spania,* aliaque, quorum nonnulla et apud antiquiores scriptores notari possunt. Pith. — *Quorum laturas locem, et sec. Circ. spectem.* Sic legendum. Glossae: *Latura, φόρετρον,* inde et geruli, *laturarii* dicebantur, qui laturas nempe faciebant dorso et humeris. Salmas. ad *Solin. p.* 239. — Voluit Pith. ut excudatur *quor. laturas locem,* ut emendarunt postea Salmas. et Dufresn. *Exspectem* etiam retinere possis, si capias, ad finem usque spectando Circensibus adsim. *Exspectare* sane hoc modo pro *spectare* sumitur ap. Innocent. Grammaticum, et *exspectaculum,* quae vox Dufresnium praeteriit, pro *spectaculum,* in *Actis Martyr.* a Luc. Holsten. editis p. 53. sumitur. Sch. — *Exspectare* pro simplici spectare dictum veterum etiam scriptorum exemplis doceri posse, nunc vel e Lexicis notum est. Vtramque Pith. emendationem in textum receperunt Schrev. et Henn. nisi quod hic vitiose. Illud praeterea adnotandum, *locem* dictum esse pro *con-*

ducam, quod non intellexit Schrev. qui post *spectem,* imperite de suo addit, *id est, quos locem, ut me ferant.* Scio equidem esse qui defendant promiscui usus quondam fuisse *locandi* et *conducendi* vocabula, idque aliquot veterum adeo ICtor. locis ostendisse Principem Iurisprudentiae contendere Muretum *Variar. Lectt. XII,* 1. Sed nec Cuiacius id unquam fecit, qui adeo contrarium tenuit *Observ. IX,* 15. et *XII,* 23. quid? neque etiam Alciatus *Parerg. V,* 15. aut Rad. Forner. *Rer. Quotid. IV,* 9. quos alii in praesidium evocant, modo ii subtiliter et ad animi sententiam legantur. Vnus modo locus est, qui remoram faciat, et in quo etiam nititur Burmannus ad *Phaedr. Fabb. p.* 219. *Qui insulam,* inquit Alfenus L. 30. Dig. de Loc. Cond. *triginta conduxerat, singula coenacula ita conduxit, ut quadraginta ex omnibus colligerentur.* Ita quidem Pandectae Florent. Sed si quis est locus, in quo fortissimae rationes nos iubeant ab eius Codicis auctoritate recedere, profecto hic est, praesertim tot urgentibus libris MSS. in quibus *locavit,* pro *conduxit* habetur, in quorum numero etiam video esse optimae notae Cod. Hafniensem Regium, cuius usuram habeo. Plura non addo. nam de vi ac potestate verborum *locandi* et *conducendi,* in quibus explicandis non nego plurimos vehementer errare, prolixius dicere hic locus non patitur, et egregie eam provinciam nuper ornatam memini a viro humanissimo Rostio singulari libello, *De Locat. et Conduct. ad Plautum. Lips.* 1810. In ipsis Poetae verbis, *qui me cervice locuta iubeant insistere circo* haerere potuisse Cl. Rupertum miramur, et magis quod coniecerit (in) *cervice locantes.* Se non lautitias optare sed mediocrem statum familiarem gloriatur Naevolus, sufficere domunculam, sortem non adeo magnam, sed, pignoribus positis, securam; auri non vasa sed vascula, nec tamen levissima, duo tantum cathedrarios, eosque conductos, et qui locent ipsi cervices suas, (ut illa Sat. VI, 352. Ogulnia, quae *Conducit comites, sellam, cervical, amicas,*) neque enim optat ut *sexta cervice feratur* (ut ille *Sat. I,* 64.), neque ut sui do-

minii habeat lecticarios; denique ne honesta suppellectile careat atque ideo ut praesto sit diligens caelator et fictor, nisi celeber, saltem celer. Haec sufficere, quia in fatis sit ut perpetuo in paupertate vivat.

145. *curvus caelator et alter.* Id est, opifices, servi argentarii, laboriosi anaglypharii [1].

1 Varia lectio in libro notatur *servus celator.* Eam, puto, etiam Int. novit, ubi ait, *id est, opifices, servi, argentarii, laboriosi, anaglypharii.* Nisi tamen in eo potius, quod mihi praeplacet, legendum est, *id est, opifices, argentarii scilicet, anaglypharii. Curvus, laboriosus.* Per *argentarios* fabros intelligit argentarios, qui argentea opera conficiebant, de quibus egit Dufresn. ut et de *anaglyfariis,* quorum mentio etiam apud Papiam. Scr. — Nihil moveor, nisi quod, distinctione et ordine mutato, legendum suadeam, *id est, opifices servi, laboriosi, argentarii, anaglypharii.* Sic ordine procedit. Primum genus nominat, *servos opifices,* constat enim ad artificia in primis servos adhibitos fuisse. Ii etiam communi vocabulo *laboriosi* vocantur. Neque enim accedendum esse existimo magno licet Salmasio, qui ad Lamprid. in *Alex.* c. 24. eam vocem ut specialem eorum, qui argenti vasa caelabant, obtrudere gestit. Recte Papias, *Laboriosus, laborator.* Hinc media aetate, *laborerium* et *laboratorium,* pro quavis fabrica et officina artis. Post genus, sequuntur species, *argentarii* et *anaglypharii.* Argentarii, qui ex argento rudi formam producunt qualemcunque, unde et *fabri argentarii* apud Iavolenum *L.* 39. *de aur. arg. legato,* qui inter artifices expresse referuntur *L.* 1. *Cod. de excus. artif.* et Graecis ibi Intt. ἀργυροκόποι appellantur. Huiusmodi ille *argentarius vasclarius* ap. Murator. *CMXLV,* 5. et *CMLXI,* 5. qui Iavoleno simpliciter *vascularius* est. Oppositos his legas *aurifices L.* 7. *C. de palat. sacrar. larg.* qui et *aurarii* in marmoribus et *aerarii* in *L. ult. C. de iur. immun.* *Anaglypharii* vox, qua qui cae-

laturae operam dant intelliguntur, rarissima est. Occurrit tamen *anaglyptarius caelator* apud Murat. *DCCCCLXXXI*, 9. Apud Papiam quoque et Iannensem, *Anaglyfarius, sculptor*.

146. *sufficiunt haec.* Plastae, archetypus [1].

1 Lege, *Qui multas, plasta. facies, archetypos*, vel certe *archetypa*. Sch. *Plasta* an pro *plastes* obtrudendus sit Int. nescio, neque eam formam usquam inveni. Legendum putem, *Plastae archetypi*, coniunctim, h. e. imagunculae fictoris. Papias, *Plastes, figulus.* Idem *Anchetypus, principalis figura.*

147. *Quando e. p. ero.* Non dico dives, at pauper, inquit, quando ero? Nam modo nec pauper sum, ut Terentius (Heaut. II, 1, 16.):

Nam mihi nihil esse, religio est dicere.

149. *Adfixit ceras.* Ad auriculas, id est, surda est.

illa de nave. Vlyxis, ut Sirenarum periculum posset evadere [1].

1 *Vlyxis* lege ex scriptura veteri, de qua Lipsius egit in Orthogr. neque *Sirenarum* in *Sirenum* muta, quum eodem modo infra occurrat, et tales metaplasmos medii aevi scriptores non raro sibi indulserint, quos si ex solo Eusebiano Hieronymi Chronico velis enotare, folium non suffecerit. Sch. — *Vlixis* etiam in Sg. Aliud et longe amplius schol. e Vossiano MS. in quo *Sirenum*, ad h. l. protulit Burmann. ad *Anthol. Lat. T. I. p.* 725.

LIB. IV.

IN SATIRAM X.

DE VOTIS CONTRARIIS.

1. *Omnib. in l. q. s. a Gadib.* Τρόπος συνεκδοχή. a parte totum. Nam cum Occidentem et Orientem significare vellet, locum posuit [1], Gades scilicet et Gangem, breviter complexus orbem. Nam Gades sunt in Atlantico mari, Hispaniae proximae, ubi se angustissimo divortio inter columnas Herculis in Mediterraneos sinus Oceanus infundit.

1 Lege, *loca II. posuit.* Scн.

5. *quid tam dextro pede conc.* * Quid tam merito credis optare. *

8. *Dii faciles.* Satyrice, ad mala peragenda faciles [1], vel ideo faciles, quia preces stultas audiunt.

nocitura toga. Optantibus dignitates. nocitura [2] in pace et in bello.

1 Hoc de alastoribus eape, Nemesi, Erynnisi omnibusque *numinibus malignis*. Sic enim vocat Poeta infra *vs.* 111. SCH. 2 *nociturae* ap. Schrev. in altera, et Henn.

9. *Militia.* * Figurate; verum non ad militiam, sed ad omnia retulit. quia superius comprehendit nocitura, toga, in pace, militia, in bello. *

torrens dic. copia. Abundans eloquentia, aut fluens [1].

1 Lege, *aut affluens*, vel simpliciter *affluens*; id enim est *torrens*. Infra ipse ad huius *Sat.* *vs.* 118. *affluens ingenium et eloquentia*. SCH.

10. *viribus ille Confisus.* Vt Milo Crotoniates, qui cum arbores manibus scinderet [1], brachia eius occupata sunt, et a lupis consumptus est.

1 Hoc est *discinderet*, ut etiam fortasse legi possit, ne aliud intelligamus. SCH. — Tamen Virgil. *Ge. I,* 144. *Nam primi cuneis scindebant fissile lignum*, sed et alii in ea re simplici pro composito, ut in aliis, utuntur. Cicero, *litteras scindere*. Legendum autem *arborem*, non *arbores*, res postulat a multis relata.

13. *Strangulat.* Apoplexin passi moriuntur.

14. *balaena Britannica.* Metaphora in Tiberium et divites.

15. *Temporib. diris.* Tyrannicis scilicet. cum iussisset Nero omnes praedari, ad domos divitum milites cucurrerunt, pauci ad domos pauperum.

18. *rarus ven. in coen. miles.* * Difficile in

domos pauperum vadunt, nec facilius periclitantur pauperes. *

19. *Pauca licet.* Licet modica tibi sit res familiaris, metuis tamen impetum militis a Tiberio missi ad proscriptionem tuam.

21. *Et motae ad lunam.* Vt Virgilius (Aen. II, 755.):

simul ipsa silentia terrent.

22. *coram latrone.* * Generaliter. intelligit hoc Poeta figurate in Nerone. *

23. *Prima fere vota.* * Iam de votis loquitur, quia homines decepti sunt per divitias. *

24. *ut max. t. Nostra sit a. foro.* Vsque ad Cerealem praefectum in foro Traiani arcas habuerunt Senatores [1], in quibus argentum aut pecunias tutius deponebant. Propterea et locus ipse, in quo erant arcae positae, Opes dictae sunt.

1 De arca Senatus locus est in Aureliani ad eum epistola apud Fl. Vopiscum c. 20. *Est praeterea,* inquit, *Vestrae auctoritatis arca publica, quam magis refertam esse reperio, quam cupio.* Pith. — De arcis in foro Traiani positis, adde quae infra dicat hic Schol. ad *Sat. XIV,* 261. ubi tamen in *foro Martis* positas affirmat. Sch. — Fallit imprudentes magnus Pithoëus, arcam miscens Senatus et arcam Senatorum, quae nimium quantum distant. Illa, ut ipse Aurelianus Imp. describit, *publica* fuit, h. e. pecuniae publicae et *auctoritatis Senatus,* adeoque sub dispositione amplissimi Ordinis posita, haec privata cuiusque Senatoris. Illam Casaubonus Salmasiusque *Aerarium* Pop. Rom. fuisse credunt, eamque diversam a *Fisco* Principis, quod factum nollem.

Quo enim tempore scribebat Aurelianus, inter Aerarium et Fiscum vix nisi umbra nominis interfuit, neque aerario minus, atque fisco imperitabant Caesares. Deinde, qui post tot belluas, quae usque ad Aurelianum Augusti solium occupaverant, et post tot de exhaustis aerarii viribus querelas, nisi per somnium Senatui opprobrare potuisset idem ille, *se magis refertum aerarium reperisse, quam cupierit?* quae verba non alium, quam prouti iacent, sensum recipiunt, quidquid occlamet Salmasius. Imo Aurelianus non aliam intelligit, quam arcam propriis Senatus necessitatibus destinatam, veluti solvendis scribarum et viatorum salariis, caet. Et sane nihil accommodatius dici potest magisque temporibus Impp. conveniens. Tunc enim, in *l.* 1. *§.* 1. *D. quod cuiusq. univ.* Gaio teste, *quibus permissum Corpus habere, Collegii, Societatis, sive cuiusque alterius eorum nomine, proprium fuit, ad exemplum rei publicae habere res communes et arcam communem.* Hinc *arcam* legimus *theatralem* apud Iulianum *Nov.* 57. et in marmoribus alicubi *arcam Pontificum.* In eandem necessitatem arcam habuerunt sublimes potestates, ut est in *L.* 6. *C. Th. de indulg. debit.* atque inde *arca Quaestoria* apud Symmach. *Epp.* X, 47. et *Vicarianae Sedis* ap. Cassiod. *Var. II,* 24. et apud iuris auctores frequenter illa *Praefector. Praetorio,* quae duplex fuit sec. *Nov.* 148, una γενικὴ, altera ἰδικὴ, et de qua ampliter legas ap. Zirardin. *ad Novell. Theod. p.* 224 *sqq.* Talis quoque *Arca Senatus*, publica illa quidem, nec tamen cum aerario coniuncta, aut eadem. Imo nec *Arcae* et *aerarii* nomen promiscuum. Scio quidem Salmasium e veteribus saxis obtrudere velle mentionem *Arcae publicae Populi Romani*, deque ea se alibi tractaturum promittere. Sed haesit in promissis, ut totiens fecit Salmasius, quo nemo eruditorum plus unquam aut praestitit, aut praestare promisit, et si voluisset, diffido eum praestare potuisse. Nam quae in eum censum fortasse vocari possent antiquae inscriptiones, eiusmodi sunt, ut aliorsum vertere videantur. Huiusmodi illa ap. Gruterum MXXXIII, 8.

HOC MONVMENT. SI QVIS
DONARE AVT VENDERE
VOLVERIT INF. ARKAE
P. P. ROM. HS. L. M. N.

ubi vulgo legunt, et explicant, INFERAT ARCAE PVBLICAE POPVLI ROM. cum possit et debeat: INFERAT ARKAE PONTIFICVM POP. ROM. Sed satis de arca Senatus. a qua longe diversa illa Senatorum, de qua, qui praeter nostrum Schol. retulerit ex antiquis, reperio neminem, quo maioris aestimandum, quod tum hic, tum infra ad *Sat. XIV.* memoriae prodidit. Summa autem relatorum, et quidem citra locorum inter se controversiam, haec est. Antiquitus iam moris fuit, ut qui pecunias suas securas esse vellent, illas aut apud Argentarium aliquem deponerent, aut in Aede Sacra, qua et ceteras res pretiosas et chirographa condere solebant, adducti inter alias hac quoque ratione, quod Populi Aerarium in Saturni aede collatum erat. Qui praeter tutelam quaestum quoque ut plurimum intendebant et ut in foenore collocaretur, ii pecunias suas plerumque ad mensarios deferebant, contra, qui praeter securitatem nihil vellent, depositionem in templis, ut honestiorem, praetulisse videntur. Iam in his Senatores praecipue fuisse, suadet, quod inter foeneratores censeri inhonoratum videri debebat his, quibus propterea ne maritimam quidem navem exercere licebat. Quodsi ita est, nec illud absurdum videri debet, cunctos Senatores in eam rem eodem templo usos fuisse. Ea primum fuit aedes Martis Vltoris, quae fuit in foro Augusti Caesaris, unde insolenter *Martis forum* dixit Schol. pro aede Martis in foro posita. In qua ubi per noctem, nescio quo tempore, arcae a furibus effractae fuerunt, eaedem ad Castoris translatae sunt, ut et Iuvenalis innuit, postea in forum Traiani et fortasse in templum Divi Traiani, quod ibidem regione VIII. Is mos duravit usque ad Cerealem praefectum, nec quare tum ab eo decessum sit, aut quorsum insequente tempore delatae fuerint, Schol. narrat vel quisquam alius, quantum inquirere licuit, commemoravit.

Fuit autem Cerealis Constantini aevo, Annonae Praefectus A. D. 328. et A. D. 352. Vrbi Praef. ut e Cod. Th. liquet. Locum, ubi huiusmodi pecuniae deponerentur, *Opes* dictum, sola fide Scholiastae constat; nec quidquam est, cur eam non sequamur.

25. *aconita bibuntur Fictilib.* Id est, pauperes venena non timent. Et bene Poeta, ut ostenderet paupertatem innocuam a crimine [1], et divitias malis oppressas, vasa potoria ad demonstrandam diversitatem posuit.

1 Lege, *a discrimine,* quia scil. paupertas venena non timet. *Innocuus, ἀμεταβάτως,* cui non nocetur. Sch.

27. *et late Setinum.* Vinum a Setio. In aurata, inquit, fiola cum vinum coloratum [1] acceperis, time venena. Et, ardebit, quia vinum splendescit in auro.

1 Vet. ex. habuit *coleratum.* Pith. — Sg. quoque, et mox *acceperitis.* Schrev. quoque, *inaurata,* coniunctis syllabis.

28. *de Sapientib. alter.* * Duo sapientes filosophi Democritus et Eraclitus erant, quorum Democritus actus hominum omnes ridebat, Eraclitus vero flebat. *

29. *Ridebat, quotiens.* * Qui hominum facta ridendo damnaret. *

32. *Mirandum est.* * Id est, non est mirandum adsiduos illius risus, sed mirandum est, unde lacrimae tantae habundarent Eraclito. *

33. *pulmon. agitare.* Quia ex splene risum dicunt gigni.

35. *Praetexta.* * In civitatibus illis non erant praetextae, * quarum Tarquinius Priscus usum invenit et Romae intulit. palmatam dicit.

38. *In tunica Iovis.* Mappam mittentem in Circo Consulem describit Poeta [1]. Nam tunicam Iovis [2], togam palmatam dixit, Tyria purpura confectam [3], hoc est, Sarrana [4], ut Virgilius:

Vt gemma bibat et Sarrano dormiat ostro.

1 Statuam togatam praetoris mappam mittentis videas apud Ruben. *Elect. c.* 30. et ex eo ap. Ferrar. in *Anal. c.* 34. 2 Nisi corruptus est Schol. male togam cum tunica confundit. Quare videtur addenda coniunctio *et*, inter *Iovis* et *togam.* Ferrar. *de re Vestiar. II*, 8. 3 *Confectam* pro *infecta* posuit, ut apud Vopiscum *confectores* sunt *infectores.* Et sane *inficere,* quod tingere significat, idem omnino est, quod facere vel conficere. nam *infectum* non solum, quod non factum est, sed et quod factum est, significat. caet. SALMAS. ad Vopisc. in *Aurel. c.* 29. et ad Solin. *p.* 330. 4 Lege, *Sarrana, hoc est Tyria purp. confecta, ut Virg.* SCH. — Non opus. Locus Virgilii est *Georg. II*, 506, ubi ex Mediceo cod. post Heinsium receperunt *indormiat.* Ciceronis qui mox sequitur, est e *Catilin. II*, 10.

39. *Ex hum. aulaea togae.* Eleganter aulaea, quasi latis velis. Cicero, *Velis amictos, non togis.*

40. *Tantum orbem.* Tantam multitudinem [1].

1 Scribendum *magnitudinem*, quomadmodum exserte habet Cod. Sg.

43. *Da nunc et volucr.* Virga, quam Consules portant, quia supra aquilas faciunt [1].

1 Puta, *super ea.* RUTGERS. *l. c. VI*, 18. — Lege, *quum supra*, et de virgis Consulum cum aquilis, vise Salmas. ad *Vopisci Aurel.* c. 13. SCH. — Sg. *Virgam.* Henn. *Virgae.* idem mox, *quam supra*, et in altera Schrev. *super ea* ex mente Rutg. sed praeter necessitatem. *supra*, est in summitate, in apice scipionis, id enim proprium nomen est huius insignis, quod, nisi Poetis, Graecos, et Grammaticis poetas secutis, *Sceptrum* appellatur. Addendum hoc illis quae Salmas. *d. l.* et Petr. Faber *Comm. de Magistr. Rom.* c. 1. de isto ornamento dixerunt.

45. *et niv. ad frena Quirites.* In candidis togis officium facientes [1].

1 Qui sint facientes in candidis togis officium, docet Rigaltius ad *Mart. I*, 56. SCH.

46. *quos sport. fec. am.* Non amor verus, sed sportula.

47. *Tunc quoque mat.* Tunc quoque invenit Democritus materiam risus, cum haec, quae in Vrbe fiunt, necdum essent reperta, id est, maior severitas, et minor vanitas esset.

50. *Vervecum in patria.* Apud Abderim, aut Megarim [1], quae fuit patria Democriti: nam ex coeli vitio regiones solent aestimari. nam fuit Democritus, ubi stulti solent nasci, id est, Achivus. Vult igitur, Democritum inter stultos prudentissimum natum.

1 Aut multum sibi indulsit Int. aut legendum potius *apud Abdera*, aut certe *Abderam.* Verba, *aut Megarim* libenter expunxerim, aut variam lectio-

nem crediderim notare. Postea lege, *id est Abderis.* Sch. — Etiam Cod. Sg. illud *aut Megarim,* omittit. Idem mox, *ut regiones adsolent aestimari a veritate.*

52. *c. fortunae ipse min.* Cum fortunam contemneret, nihil dicens se habere, quod ab ea exspectaret: quinimo infami digito ei turpiter insultaret.

54. *petuntur.* * Vt Democritus dixit. *.

55. *genua incerare.* In signis insignare [1], vota facere.

1 Demenda est asterisci nota, quam Pith. initio posuit. Significanter autem, sine exemplo tamen, *insignare* vocat, quod Graecis est ἐπισφραγίζεσθαι. Rutgers. *l. c. V,* 5. — *Insignare* exponitur σφραγίζειν. Glossae, ἐγχαράττειν, *insignare, incisare.* Possis tamen etiam legere, *In signis signare,* vel, *In signis assignare.* Apuleius, *Votum in alicuius statuae femore assignasti.* Adde Scalig. ad *Propert. p.* 272. Sch.

57. *honorum Pagina.* Aenea pagina, quae ante imaginem eorum stans, omnes eorum gradus honorum inscriptos continet: quam nunc dicunt, tabulam patronatus [1].

1 Huiusmodi plures exhibent hodieque veteres lapides, quorum aliquos retulit Onufr. Panvin. in *Comment. Fastor.* Pith. — Eiusmodi lapis ille apud Gruter. *MXI,* 1. et alter singulari Diss. illustratus a P. Pollidoro in Calogerae Raccolta d'Opusc. scientifici e filologr T. VII. p. 412 sqq. cuius initium, rem plane illustrans:

ANTONIO MAR
CELLINO
ET PETRONIO PROBINO COSS.
II NONAS MAIAS
SVCCLAMANTE POPVLOD EMPVRII NAV
NAE DED OFFERENDA TABVLAD AEREAD
INCISA·PATRONATVS. caet.

58. *restemq. sequuntur.* Trahuntur, ducuntur.

59. *inpacta securis.* Si intacta, nova: si, inpacta, percussa, ab eo, quod est inpingo.

60. *et immeritis f. c. caballis.* Quibus vecti sunt honorati. Nam Poeta equestres statuas et consulares dicit immerito poenam sustinere, aut ad restem [1] trahi. quod ait sequi, aut certe conflari eum fuerunt [2], propriis moribus dignam sustinuerunt sententiam, ex quo ostendit per hoc vitam nobilium.

1 Schrev. *aut recte.* 2 Vet. ex. *cum inimicorum*, ut fortasse legendum sit, *Conflari, cum ii quorum fuerunt.* Pith. — Lego, *conflari, cum qui fecerunt, propriis* etc. Rutgers. *l. c. I*, 16. — Lege, *conflari, cum, quorum fuerunt, propr. morib. dign. sust. sententiam. Et hoc ostendit propter nociva vota nobilium.* Vocat *nociva vota*, quibus sibimet ipsi nocent. Sch. — Asteriscum post *conflari* Pith. posuit. Sg. quoque *cum inimicorum*, unde Schrev. edidit, *qui inimicorum fuerunt. Cum illi quorum fuerint * propriis* caet. quibus tamen emendationibus omnibus frugi nihil inesse videtur. Fortasse sic melius in integrum restituetur: *ad restem trahi, quam ait sequi, haut certe conflari, cum inimicorum fuerunt. Propr. m. d. sust. sententiam. Ex quo ost.* caet. Argutatur nimirum Scholiasta, hocque vult, Poetam dicere statuas restem *sequi*, non dicere eas *conflari*, quia inimicorum sint effigies, et maior sit in restis commemoratione infamia, quam si narrasset eas conflatas fuisse.

61. *Iam strident ignes.* Conflatur statua, ut pecunia inde fiat.

63. *Seianus.* Seianus fuit Tiberio usque adeo carus amicus, ut nihil esset, quod ei a Tiberio

petenti negaretur; usque adeo etiam de eo cogitaverit necem, ut dispositis coniurationis [1] sociis occiso Tiberio ipse regnaret. cum hoc cognovisset Tiberius, super eius nomine Epistolam ad Senatum misit, et sic per Consules damnatus est, cum omni progenie sua: usque adeo ut filiam eius virginem iuberet Senatus a carnifice stuprari et sic occidi, ut iure videretur fuisse occisa.

orbe secunda. **Quia Praefectus Vrbi fuit [2], venerabilis, secundus a Caesare Tiberio.**

1 Schrev. *coniuratione,* sine causa. Caeterum, praeter Tacitum, Dionem et Suetonium, hic quartum habemus testem, causam, cur prius quam laquei poena afficeretur filia Seiani, ante vitiaretur, in eo ponentem, ne tanquam virgo id genus supplicii experiretur. Quare non audiendus videtur Lipsius ad Tacit. *Ann. V,* 9. rationem in eo quaerens, ne omnino morte punita videretur impuberis aetatis puella, moremque non tam virginitati, quam aetati indultum volens. Alia enim est aetatis, alia sexus ratio. Et generale quidem legis praeceptum fuit, infantes et infantiae proximos, quin et impuberes, quia doli incapaces, in crimen non incidere, quippe quos, ut scribit eleganter Modestinus in *L.* 12. *D. ad. Leg. Corn. de sicar.* consilii innocentia tueatur, eiusque rei constans fuit per omne Romanor. ius observatio. At ne virgines strangularentur singularis fuit earum praerogativa, in qua nullus aetatis earum habitus fuit respectus, et quae non lege constitit, sed more tradito, ut Suetonius refert, atque ex eo, quod inauditum haberetur exemploque careret, eiusmodi supplicio virginem affectam fuisse. Quid? ne ad laquei quidem solius immunitatem existimemus hoc privilegium esse coercendum, sed recepta consuetudine omnino nulli virgini capitis mortisque poenam infligi debuisse, suadent Taciti verba, *inauditum fuisse habitum virginem triumvirali sup-*

plicio affici. Est enim *triumvirale supplicium* quodquod mortis supplicium, non tantum laquei poena. Generatim quoque Dio *LVIII*, 11. οὐχ ὅσιον ὂν παρθενευομένην τινὰ ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἀπόλλυσθαι, ubi οὐχ ὅσιον, nolim cum interprete *impium* vertere, sed *contra ius.* Gl. Gr. Lat. ὅσιος, *sanctus, iustus,* et ὁσιότης, *sanctitas, sanctimonia, iusticia.* Hic tamen mos capitis periculo virgines haud subiiciendi, sub Impp. non tenuit, et ideo neque in iuris nostri libros migravit. 2 Immo potius *P. P.* Et quod mox de eodem Seiano, *tutorem haberi principis,* ad patritiatus dignitatem refert, Constantini magis seculo congruit, quo primum coepere patritii dici Patres Imperatorum, novo honoris titulo, ut Zosimus auctor est. Pith. — Hoc tamen Int. testimonio fretus inter Vrbis Praef. Seianum recepit Corsinus in *Serie Pr. Vrb. p.* 29. Et profecto multis exemplis constat, utramque Praefecturam ab eodem homine coniunctim eodemque tempore administratam fuisse, quamquam et illud vulgatum est, siglas P. V. et P. P. in MSS. libris saepissime confundi, eamque rem multis Inscriptionibus et lapidum litteratorum et Constitutionum Imperatoriarum fraudem fecisse.

64. *sartago:* * Conchae breves, aut vasa turpia. *

65. *Pone domi lauros.* Hoc quasi populus loquitur.

66. *Cretatumq. bovem.* Candidum. Quid tibi, inquit, prosint Dii, cum Seiano nihil profuerint. ut Lucretius: [1]

Cretatumque bovem duci ad Capitolia magna.

1 Credo hunc versum *Lucretio* pro *Lucilio* perperam, ob nominis vicinitatem transcriptum. neque enim eum in Lucretio, quamvis diligentissime pervolutato, legendo potui comperire. Dousa in *Lucilii Reliquias p.* 139. — Pro *Lucretio* viri docti, *Lu-*

cillium nobis substituunt. Sch. — Et hoc fortasse sine causa. attamen non debebat novissimus interpres vetussissimum sine nota praescripta sequi.

71. *verbosa et gr. epist.* Multa nam superflua ad populum principes solent scribere [1].

1 Bene hoc, si fortasse in oculis habuit Iustiniani Novellas, vae autem si idem ad nostrae aetatis sacratissima oracula transferre velis, quae et elegantia esse, et superflui nihil habere, certe affirmabunt, qui vel maxime se nasum habere existimant.

72. *A Capreis.* Insula in Campania. Virgilius:

Teleboum Capreis [1] *cum regna teneret,*

ibi nam Nero habitabat.

1 *Capreas, Aen. VII,* 735. Almelov.

74. *si Nyrtia Tusco.* Fortunam vult intelligi poeta, quae apud Nyrtiam colitur, unde fuit Seianus.

75. *si oppressa foret.* * Si, ut cogitabat Seianus, occideret factione Tiberium Neronem sua, potuisset favore fortunae modo Augustus esse. *

76. *hac ipsa.* * Et hac ipsa diceret eum Augustum populus Seianum, * qua illi detrahit, potestatem imperii secuta.

77. *ex quo suffrag.* Id est, ex quo non est imperium Populi, quod per suffragia diversis vendat. Hoc * est, * post Augusti monarchiam, ex quo Imperatores esse coeperunt.

ex quo suffrag. * Ex quo nemo ambit ad Populi honores. *

81. *peritur. audio multos.* Iterum sibi loquitur Populus, pavens,[1] cum Seianus tractus est.

1 Hinc patet supra vs. 73. vet. Schol. agnovisse, *turba tremens.* Sch.

82. *magna est fornac.* Multos habet fornax, quos exurat.

84. *exigat Aiax.* Tiberius Nero quasi insanus, si inferior fuerit in bello, aut si scierit se a nobis fuisse contemptum.

85. *Vt male defensus.* Timeo ne eum Tiberius occidat, cum se dicat a Senatu male defensum, et parum aliquid in Seianum factum.

87. *Sed videant servi.* Proprie[1] cuiusque servi, ne dicant dominos suos ad trahendum non convenisse, ne calumnientur. quoniam dederat servis potestatem, ut liceret dominos accusare quibuslibet criminibus. ne ergo indicium de dominis facerent, si minus Caesarem vindicarent in corpore Seiani.

1 *Proprii,* Schrev. et Henn.

89. *haec murmura vulgi.* * Haec inter se secretum loquebatur populus. *

90. *Visne salutari.* Hoc quasi ex persona poetae inseritur.

91. *summas don. curules.* Consules facere[1].

1 Schol. *summas* legit, et exponit *Cons. facere.* Addit liber vetus, *hoc nam poterat Seianus.* Sch.

92. *Illum exercitib.* Magistrum militum facere. *tutor haberi.* Patricius fieri.

93. *Augusta Caprear. in r. sed.* Tiberius Nero secessum eum elegerat: de qua insula Augustus ἀπραγόπολιν dixit, quod ibi esset otii locus, ut ait Suetonius [1]. Sedentis, significat et divem turpiter [2] vixisse Capreis Tiberium, qui Seianum velut tutorem habuisset.

1 In *Aug.* c. 89. ubi Vet. Int. pro *Capreis*, legit *Capreas*, quae lectio nusquam extat in nostris libb. nec nobis probatur. Casaub. ad *Suet. Aug. l. c.*
2 Lege, *diu turpiter.* Pith. — Corrige, *et diu et turpiter.* Lips. ad *Tac. Ann. IV*, 67. — Scribendum existimo, *et diu et senem et turpiter.* Hui! tantum verborum, inquis, intrudi! Certe non sunt nimis pauca, verum singulis tamen mirifice interpretatio loci Satirici congruit, qui uno verbo *sedentis* collegit turpem in senecta ignaviam. C. Barth. *Adv. XXII*, 12. — Pithoeum sequuntur Schrev. et Henn. Lipsium Schurzfl. suppresso auctore.

94. *Cum grege Chaldaeo.* Cum magis, aut mathematicis.

95. *et castra domestica.* Iuxta aggerem primus castra posuit Seianus, id est, super Diocletianas, quae dicta sunt Castra Praetoria [1].

1 Lege *Praetorianorum.* Sch. — Nihil mutandum. Aur. Victor, *de Caesarib.* c. 18. *apud Castra Praetoria filius interficitur.* Idem, c. 23. *in Castris Praetoriis oppressus est.* similiter Capitolin. in *Max. et Balb.* c. 10. nec ignota *Porta Praetoria* et *Navis Praetoria.* Apud Sueton. *in Claud.* c. 21. Castra illa *Praetoriana* dicuntur. Ipsi quoque milites promiscue *Praetoriani* et *Praetorii.* De situ vide inter alios Lipsium ad *Tacit. Ann. IV*, 2.

97. *sed quae praeclara.* Quid iuvat tanti aestimare bona, si cum his et mala perveniant [1].

1 Legerim, *mala sempen veniant*, vel etiam, *mala paria veniant*, Sch.

99. *praetextam sumere mavis.* Id est, Praefectus et Consul esse, cum periculo: an securus minorem dignitatem administrare, ut si Aedilis, aut Curator cuiuscunque parvae civitatis, ut iuberes [1] tabernariis.

1 Lege, *ubi iuberes*, id est imperes, ius dicas. Sch. — Vel etiam *et iuberes*, ac paulo ante cum Henn. *sis Aedil.*

102. *vacuis Aedil. Vlubris.* Desertum Italiae oppidum, aut [1] iuxta Romam.

1 Lege, *ait iuxta Rom.* Sch.

106. *unde altior esset.* * In tantum enim culmen fortuna levabit, ut graviore lapsu postea deiiciat. *

108. *et illum Ad sua.* Syllam, Cinnam, sive Caesarem.

110. *summus n. locus.* Honorum culmen, regnandi cupiditas.

111. *Magnaq. num. v. ex. mal.* Dii nam irati exaudiunt, et praestant contraria futura petentibus [1].

1 Scribo, *contraria vota, ea petentib.* Sch.

112. *Ad generum Cerer.* * Ad inferos. Plutonem dicit. *

113. *et sicca morte.* Incruenta, ac per hoc naturali morte sua [1].

1 Interpunge, *ac per hoc naturali, morte sua.* Morte sua mori dicebant Vett. de iis, qui αὐτομάτῳ

θανάτῳ, ut Graeci loquuntur, moriebantur. Infra vs. 276. de Sulla ait, *fato suo mortuus est.* Sic et Suetonius loquitur, ad quem vide Casaubonum. Sch.

115. *et tot. Quinquatrib.* Diebus festis, quibus Minerva colitur. aut quod intra quinque atria fit. *atria* abundat. nam dies quinque in uno festi [1].

1 Lego, *aut q. int. q. atria sit, aut atria ab. n. d. q. in uno festo.* Rutgers. *l. c. I,* 16 — Lege, *aut atria* (λῆξις nempe τοῦ *quinquatria*) *abundat, nam d. q. continui festi.* Si, *in uno*, retines, glossula erit recentior et Germanismum sapiens, qui *aneinander* dicunt. Sch. — Schrev. *quinquatria* male, pro *quinque atria.* Henn. *festo* recepit. In Sg. *atria* secundo loco abest.

116. *uno p. c. asse Minerv.* Vilioris pretii fictilis Minervae signum. Aut certe eum nunc ostendit puerum, qui adhuc discit, et arcula sequitur eum: aut qui tenue adhuc eloquium habet.

117. *capsae.* In qua signum, aut codices reponit [1].

1 Si signum Minervae fictilis, de quo praecedenti nota dixerat, intelligit Int. nugas agit. Neque enim illud *angusta arca* comprehendebat, neque id servi gestabant, qui cum heri filio ad ludimagistrum ibant, sed tabulas, stilum, libellos et similia. Malim porro *stilum* legere. Sch.

118. *Eloquio sed uterq.* Demosthenes et Cicero. Nullus enim tanti fuit ingenii. Ergo ambos affluens ingenium et eloquentia *acervissimae* morti subiecit. Ille nam a Philippo, hic ab Antonio occisus est.

120. *Ingenio manus est.* * Ciceronis exitium describit poeta. Addit etiam: verum per haec omnia ostendit, libertatem linguae, vel ingenium posse facile periclitari. *

121. *Sanguine causid.* * Nunquam periclitata est mediocris eloquentia. *

122. *O fortunatam.* Hic versus [1] male compositus, est Ciceronis. Et est cacemphaton. dicit ergo, si Cicero nihil peritius scripsisset, non interficeretur.

1 In Vet. Ex. haec sunt posterioris manus. Pith. — In Sg. prorsus omissa est haec gl.

124. *ridenda poem. malo.* * Malo, inquit, me esse deridendum poetam, quam bonum periclitari. *

125. *Quam te conspic.* * Nam in Filippum magnifice dixit. *

128. *frena theatri.* Μεταφορικῶς, cohibentem vulgi tumultum.

129. *Dis ille adversis.* Philippus rex Macedonum cum vicisset Athenienses, et parceret civitati, Demosthenem sibi dari ad supplicium petivit. Verum cum hoc ageretur, sumpto veneno se interemit. Filius autem fabri ferrarii fuit Demosthenes [1].

1 Quae dicuntur de Demosthene a Philippo ad mortem coacto, somnia mera sunt exscriptorum. Legenda sunt et dividenda ordinandaque scholia hoc modo: *Philippica, a Philippo. Philippus, Rex Macedonum. Saevus et illum, cum vicisset Athen.*

Antipater, ex civitate Demosthenem sibi dari ad suppl. petiv. Ver. c. hoc ag. sucto (ita codex vetus) *ven. se int. Quem pater, filius nam fabri ferr. f. Dem.* Sic vera et historiae conformia leguntur omnia. Sch. — Credendum ita invenisse virum doctiss. in MS. suo. aliter, minori motu res agi potuisset. Sane et in Sg. ultima verba separatam gl. constituunt ad v. *Quem pater.*

133. *Bellor. exuviae.* * Id est, alii militiam optant. *

134. *Lorica et fracta.* Spolia quae tropaeis solent adfigi bello erepta.

136. *Aplustre et s.* Id est, in arcu triumphali, quae [1] solent imponi. Aplustra [2], tabulatum ad decorandum superficiem [3] navis adpositum. alii dicunt rostra navis, ornamentum puppis, ἄφλαςα.

1 Henn. *cui.* sed et *solet* scribendum erat. nam quae praeter captivum nominantur, magis ad tropaea pertinent. 2 *Aplustra* videtur legisse interpres. Dicebant enim et *aplustrum,* ut notat Dufresnius. Glossae, *Aplustra,* πτερὸν πλάςου, ὡς Ἔννιος. Lego, πτερὸν τὸ πλατὺ πρώςας Ἔννιος. Illud est *tabulatum navis.* Aliae Glossae, *Aplustra,* ἄσφαλτος, καὶ τὸ ἄκρον τῆς πρώρας. Vide Salmas. ad Sol. p. 572. Heinsium et Dausq. ad Silium X, 325. Sch. — Nescio in prima gl. quid viderit Schurzfl. nam in editis recte legitur, non πλάςου, sed πλοίου, quod emendatione non eget. in altera, quam non tangit, ἄσφαλτος quidem editum est, sed vitiose, et legendum ἄφλαςος, ut et tacite emendavit Salmas. 3 In Sg. *superficium,* quod nolim damnari, postquam eam formam vindicarunt Cuiacius ad *L. Nunquam D. de Vsurp.* et Brissonius *de V. S.* quorum testimoniis allatis hic locus subiungi potest, et alter τοῦ Εναντιοφανοῦ. in

Basilicis ad *L.* 32. *de iure dot. Lib. XXIX. tit.* 1. ubi σουπερφίτζιον vocat, quod textus ὑπὲρῷον appellat, quo ipso antiquitas lectionis Florentinae firmatur. Neque aliter Gl. Nomicae: Σουπερφίκιον, ὑπερῷον caet. Contra testimonio Gaii Alariciani *II*, 1, 4. nollem quosdam usos, ubi non nisi e Cuiacii coniectura cernitur et adversarium habet illibatum inperturbatumque Gaium in tabulis Veronensibus *Lib. II.* §. 73. qui non nisi *superficiem* agnoscit. 3 Cum dicit, *alii dic. rostra navis,* exprimit Graecorum interpretum ἀκροστόλια. Nam στόλος iuxta quosdam ἔμβολος τῆς νεώς. Unde ἀκροστόλιον summitas esset rostri. SALMAS. ad *Solin. p.* 404. — Igitur quae sequuntur, *ornamentum puppis*, non ad hanc sed ad priorem pertinent explicationem. Aliter, nec tam bene Papias, quem quia laborat adduco. *Aplustre*, inquit, *armamentum navis, vel velum; supplementa navis, i. e. conta et remi,* in quibus ut saltem aliquid verum insit, scribendum ut et Festi epitome habet, *ornamentum* pro *armamentum.* Idem faciendum in Ianuensi, apud quem peius adhuc in editis est: *Aplustre, gubernaculum navis, vel armentum,* contra membranam nostram in qua aperte, *armamentum.*

137. *ad hoc se.* Id est, non propter virtutem posse volunt [1], sed propter famam et gloriam: cuius caussa etiam imperium adsumptum est.

1 Lego, *triumpasse volunt.* Ita olim scriptum pro *triumphus*, fuit *triumpus.* Hinc ortum *posse volunt.* SCH. V. v. 97, *Posse volunt.*

139. *Erexit.* * Propter famam volunt posse. *

140. *famae sitis.* Corruptae [1] gloriae cupiditas et desiderium.

1 Lege *corrupta gloriae cup.* SCH.

142. *patriam tam. obruit.* * Id est, multi

propter gloriam suam, et propter potentiam patrias perdiderunt. *

143. *Gloria paucor.* Id est, Caesaris et Pompeii, et aliorum.

144. *Haesuri saxis.* Id est, inscribendi sepulchris.

145. *Discutienda.* Dirumpenda. in quibus saxis caprificus [1] nascitur.

1 Sg. *caprae ficus.*

147. *Expende Han.* Examina, pensa.

148. *Africa Mauro.* Quantum ab Oriente distendit Oceanus [1].

1 Schrev. post Oceanus, de suo addit, *pro distat*, quibus τὸ *distendit* interpretatur. Sic enim solet ille tantum non interpolare Vet. Int.

150. *Rursus ad Aethiop.* Duae sunt Orientes et Occidentes in occasum, Garamantici degeneres, in ortum Maerobiae praestant eos qui iunguntur Mauritaniae, aequitate, aetate, virtute [1].

1 Lego, *Duo sunt*, Aethiopes scilicet, *Orientes et Occidentes. In occasum* etc. Statius X. Thebaid. *Aethiopesque alios.* In vetustiss. tamen ex hoc loco scriptum fuit, *altosque Elephantos*, non *alios.* Pith. — *Duae sunt*, scil. *Aethiopiae*, et sic annecte, *Orientis et Occidentis. In occasum Garamantici degeneres: in ortum Macrobii, qui iunguntur Mauritaniae; praestant eos aequitate, aet. virtute.* Vidit etiam Pithoeus, sed explicite non tradidit. Sch. — Henn. Pithoei *duo* recepit et cum Schrev. *Macrobii* dedit. De duplici Aethiopia, una occidentali quae in Libya et ad mare est Atlanticum, altera orientali, supra Aegyptum, iam apud Homer. *Il. I*, 23 *sq.* mentio est, quod et Plinius advertit *Lib. V.* c. 8.

151. *Additur imp. Hispania.* Hannibalis, quia et eam obtinuit.

153. *Diducit scopulos.* Nam dicitur primus Hannibal per Alpem viam fecisse, dum saxa montium ingentia igni primum exureret, deinde acetum acrum [1] suprafundebat, et sic cecidit, et viam fecit, qui et in Alpibus a frigore oculum perdidit.

1 Lectio non erat mutanda in *acerrimum* (ut fecit Henn.) Vide Charisium. Glossae: *Acrum*, δριμύ, δεινόν. Male ibi quoque Dufresnius, *acrumina* legendum putavit. Ceterum *superfunderet*, requirit grammatica. Deinde legeris, *et sic exedit et viam fecit.* Illa via Appiani tempore, ut scribit, transitus Annibalis fuit appellata. Sch.

155, *nisi Poeno mil.* * Id est, nisi portas infregero, et Romam intravero. *

158. *Cum Gaetula duc.* Constat nam Hannibalem a fulmine ictum oculum perdidisse, Camelo vehi solitum vel Elephanto [1].

1 Aut haec alterius sunt interpretis, aut legendum *frigore.* Pith. — Errare puto et Annibalem non ita fuisse vectum, nisi cum Arnum transiret, usumque, uti fortem et strenuum ducem decebat, equo. deinde nec de fulmine alii faciunt mentionem, et Livius *XXII*, 2. eum alterum amisisse oculum scribit propter aeris intemperiem. *Gisb.* Cuper *de Elephant. Ex. II. c.* 4.

162. *Donec Bithyno.* Prusia in Yrcynia civitas [1]. Per annos sedecim Hannibal Italia pulsus, et in Africa victus ab Scipione, et postea pulsus a civibus, fugit ad Antiochum Syriae regem:

quem male impulsum ad bellum Romanis inferendum, victus cum regia classe deseruit. inde descendit ad Prusiam, Bithyniae regem. Quo cognito, Romani legati mittunt ad Prusiam Quintum Flaminium, ut sibi daretur perducendus ad urbem Romam. Quod ne fieret, praevenit Hannibal hausto veneno, quod sub anuli gemma omni tempore habuerat.

1 Verba haec nauci sunt, et a sciolo monachisco invecta planeque delenda. Non intelligitur *Prussia Herciniae civitas*, id est, Respublica, qualem iocularem errorem commisit etiam Iac. Goarus in expos. Syncelli, ubi de Prusiae conditu agitur. Sch. — Pessime Schrev. *in Vtinia.* melius Henn. *in Bithynia*, quod suo ingenio adscribit Achaintrius. Ut autem plene habeamus quod voluit, qui haec verba antiquo Int. adsuit, legendum est: *Prusa in Bithynia civitas.* Duae enim civitates consimilis nominis, una *Prusa*, altera *Prusias*, de quibus Cellarius aliique geographi vett. Illam vult, non hanc, fortasse quod apud Plinium *V. extr.* legerat, *Prusam ab Hannibale sub Olympo conditam*, etsi nec id ipsum errore caret. 2 Leg. *post annos sed.* et postea, *legatum mittunt.* Sch.

165. *Cannarum vindex.* Quia populus [1] apud Cannas, vicum Apuliae, ab Hannibale occisus est.

1 Erudite C Barthius emendavit: *Quia Paulus*, id est, Aemilius Paulus, de quo Livius aliique. Sch.

167. *Ut pueris plac.* Ut de te pueri studentes dicant. In scolis deliberativa: Hannibal, utrum de Alpibus recederet [1].

1 Deest summa totius deliberativae, et forte scribendum, *recederet etc.* Sch. — Immo: *utrum Alpes*

si transeundae fuerint. Rupert. — Si, Annibale ad Alpes constituto, in deliberativa est, utrum recedat ab iis et in patriam revertatur, per se patet deliberandum quoque esse, an potius ulterius pergat et Alpes transcendat. Igitur nil deest, nec male argumentum expressum videtur. Bene autem distinxit Rupertus, *dicant in scolis, deliberativa,* ut *deliberativa* sit sextus casus.

168. *Unus Pellaeo.* Alexandro Magno. Hic nam in Pella natus est Macedoniae civitate.

169. *Aestuat infelix.* * Ita, inquit, Alexandro parvus videbatur mundus ad regnandum, quasi solis desertis duabus insulis imperaret inclusus. *

170. *Ut Gyarae cl. s. p. q. Serypho.* Insulae angustae [1], exulibus aptae.

1 Inde et *Sat. I. breves Gyarae,* quod qui emendare conati sunt, saltem Senecam legant in *Consol. ad Marciam.* Pith.

171. *Cum tam. a figulis mun.* Babylonem significat Persarum civitatem: quam condidit urbem Semiramis, Nini uxor, et coctili latere munivit, quem hodie dicimus ordinarium lapidem [1]. In hac igitur urbe Alexander, devictis Persis ingressus, veneno periit. Haec urbs sexaginta millium circuitu patet ex latere cocto circundata muris, quorum latitudo ducentos pedes detinet, altitudo quinquaginta [2].

1 Huius appellationis, cuius ratio ex frequentiore coctilium laterum in aedificando usu, satis patet, an alibi mentio occurrat, in obscuris habeo. Scio apud

Vitruvium *II*, 8. *de ordinariis silicibus* sermonem esse, verum illos longe aliud quid esse quam coctiles lateres, quos ille *testaceos* vocat, vel primo obtutu apparet. Scio etiam *Ordinaria* simpliciter occurrere eaque a Dufresnio, tegula latericia explicari. Sed verba Dionys. Exigui: *et perveni ad locum, qui erat aedificatus ex calce et Ordinariis*, quibus Cangius nititur, id minime probant, aliamque admittunt interpretationem, praesertim si adhibeas graeca ibidem adposita, *καὶ εὗρον τὸν τόπον ᾠκοδομημένον ἀπὸ ὀμοτῆς ἀσβέστου καὶ πενταπαλαίστων.* neque enim erit qui neget *πενταπαλαίστους*, qui respondeant *Ordinariis*, propter magnitudinem sui, magis convenire Vitruvianis silicibus ordinariis, quam tegulis latericiis et coctilibus lateribus, quos lapides ordinarios hodie dici Schol. narrat. Apud Vitruvium quoque *l. c. Ordinaria* est, sed alio sensu, de quo multus est Salmas. ad *Solin. p. m.* 869 seq. per nimiam eruditionem fortasse umbram pro Iunone amplexus, de quo disputare amplius, nec tempus patitur, nec locus. 2 Convertit numeros. Certe Plinius *VI*, 30. *Babylon*, inquit, *muris ducenos pedes altis, quinquagenos latis.* Similiter Herodotus, nisi quod cubitos referat, non pedes.

172. *Sarcophago contentus.* Quem vivum mundus non ceperat, mortuus exiguo loco [1] contentus est.

1 Possis legere *loculo*. Sed, si bene memini, alibi quoque loculum hic Int. vocavit *locum*. Adde Salmas. ad Inscr. vet. Herodis p. 59. Sch. — In Schrev. adeo glossae additum emblema: *locus*, pro *loculo*. Non autem aut mirum est, aut exemplo caret *locum* pro sepulchro dici. Quid enim in iuris disciplina aliud sunt *loca religiosa*, quam sepulchra? Neque aliud apud D. Augustinum *de Civit. Dei I*, 1. *Martyrum loca.* Aiunt quoque eundem sensum esse versus Plautini *Casin. Prol.* 19. *Qui nunc abierunt hinc in communem locum*, cum ibi *communis locus* sit Orcus, ut bene ibi Taubmannus, qui tamen, elevato hoc testimonio,

ne aliud desit; ipsum Imp. Iustinianum in scenam producit, qui §. 9. *Inst. de rerum divis.* dixerit, *in communem locum purum invito socio inferre non licere*, effecitque, ut, etsi ibi de fundo inter plures socios communi sermo sit, eodem tamen teste uteretur quoque Bochartus *Geogr. Sacr. I*, 27. Ad quod παρόραμα, quod risu dissolverim ilia, nemo me culpet, qui memet ipsum cum hilaritate ridere soleam, si quando in propriis laboribus me in istiusmodi ἀβλεψία deprehendo, quod nec raro accidit, et fortasse non semel in hoc opere offendent alii.

174. *Velificatus Athos.* Xerxem dicit Persarum regem, qui Athonem [1], montem in Achaia, dicitur perforasse, et immisisse terris novum mare: Pontem contabulasse navibus, atque ita exercitum in Achaiam transtulisse.

1 Legendum, *Athon*, et mox, *Thraciam* substitui praestaret, pro *Achaia*. Burm. ad *Anthol. Lat.* T. I. p. 193. — Praestaret *Athon*, nisi Priscian. *Lib. VI.* ap. *Putsch.* p. 710. retulisset, Ciceronem ipsum, *nisi quis Athonem pro monumento vult funditus efficere*, scripsisse tertio de Republica, eumque librum a Schol. lectitatum esse vel ex hac Satira constaret.

178. *et madid. c. q. Sostratus alis.* Sostratus poeta fuit. Hic Xerxis regis facta descripsit. Madidis autem ideo, quia omnes qui cum sollicitudine recitant, necesse est, ut alae eius [1] sudent. Sic Horatius,

. . . . *sudor ad imos*
Manabat talos.

1 In Sg. *tali eius* errore librarii versum Horatii in mente habentis. Is extat *Serm. I*, 9, 11. ubi nunc *manaret*, non *manabat*. Simili vitio ap. Pith. et Henn. in extremo est *tales* pro *talos*. Caeterum

legendum est *alae eis sudent*, ut dedit Schrev. idque praeferendum Henninianae emendationi, *omnis . . . recitat.*

179. *Salamine relicta.* Cum victus a Graecis fugit.

180. *In Chorum atq. Eurum s. s. flag.* * Ventos scilicet. * Solebat verberare flatus. Sic nam fingunt Graeci poetae.

182. *Ipsum compedib.* Dicebat [1] nam Xerxes, usque adeo vicisse se procellas Hellesponti, ut ventos flagris compesceret, et ipsum Neptunum compedibus vinciret.

1 Legendum, *Dicebatur n. X. usque adeo vicisse procellas*, caet. Non enim Poeta Xerxis taxat, nunc quidem, iactantiam, sed ineptias Poetarum, qui id de Xerxe fingunt. Sch.

183. *Mitius id sane.* Ironia. quia non cecidit, ne maculam inferret secundum ius [1].

Stigmate. Quia non hoc inscribi iussit.

1 Pertinent haec ad legem Aeliam, de qua et nos ante viginti annos plura. Pith. — Malim legere, *quia non incidit*, vel Graecum verbum adhibuit, *quia non ἔξεσεν*, quod praeplacet. vel lege, *quia nempe cecidit, nec maculam inferrent notae*, i. e. quia solum flagellis in ventos desaeviit, non stigmate. Sch. — Suspicor scripsisse, *quia tantum cecidit, ne maculam*, i. e. infamiam *inferret* (sic cum Schrev. et Henn. leg.) *notae* h. e. stigmatis, quae *secundum ius* et Aeliam legem, servorum plenam impedit libertatem. Sola enim flagra eosdem vel ad civitatem admittebant. Locus ad quem Pith. digitum intendit, est *Adversar. II*, 9.

184. *huic quisq. vellet serv. Deor.* Quia pontem mari superposuit, finxerunt illi servisse

Neptunum: quemadmodum Laomedonti regi Phrygiae. Vel propter Apollinem, quia serviret Admeto.

185. *Sed qualis rediit.* Interrogative pronunciandum.

188. *Da spatium vitae.* Prolixum tempus vitae.

189. *Hoc recto vultu.* Laetus et tristis, vitam longam optas.

190. *longa senectus. n. t.* [1] * Aut iubat his nocet. Senex optas in quocunque statu fueris. *

1 Ita est in Cod. Sg. Sed quid istis siglis significetur, non magis capio, quam ipsam gl. quae nec tanti est, ut nervos ingenii intendas.

192. *pro cute pellem.* * Senectus praestat. *

194. *Quales umbriferos.* Opacas silvas esse in Africa poeta dicit, in regione Tabracena, in quibus simiae nascuntur.

196. *Plurima sunt.* Qui [1] discerni possint inter se.

1 Henn. *Queis* et *possunt.* hoc male, illud praeter necessitatem. nemini non notum, *qui* pro *quis*, seu *queis*, etiam pluralis numeri esse. Plautus: *vehicula, qui vehar.* caet.

198. *Una senum facies.* Id est, dissimiles et multae figurae sunt iuvenum, et est unicuique sua gratissima: quod quidam pulcher est, alter fortis, alter eloquens: senibus enim una esse videtur forma.

199. *madid. infant. nasi.* Ita nam senibus humor de naso, ut infantibus, pendet.

200. *Frangendus mis. ging. p. in.* Notandum masculino genere dixisse, ut hic gingiva [1]. quia dentes ruerunt, gingiva panis frangendus est.

1 Dubito an attingi debeat ridiculus hic error. Atqui bulla dignissimus videatur, qui sententiam Poetae esse non videat, homini misero panis est frangendus gingiva inermi, quia ei dentes iam exciderint. Voss. *de arte Gramm. III,* 19. — Voci *gingiva* in codice nostro additur, *Mandibulis, a gignendo notandum dixisse hic gingiva.* Id legit aliquis monachus, et quia *misero gingiva* invenerat in libris, arbitratus est, *hic,* in Scholiasta, non esse adverbium, sed generis notam. Pessime ille quidem. Sed ipsa nota non pessima. *Gingivas* enim, non *gingivam,* agnoscunt Diomedes et Sosipater. Notat ergo Schol. ἰνικῶς hic Satyricum *gingivam.* Sch. — Vindicatur tamen singularis numerus non solum Iuvenalis, sed et Catulli et Lactantii auctoritate, de quo vide in Lexicis.

202. *Fastidia Cosso.* Heredipetae.

203. *Non eadem vini.* Nullus illi sapor est.

204. *iacet exig. c. ramice nerv.* Ut Virgilius: (*Ge. III,* 97.)

Frigidus in Venerem senior.

205. *iacet exig. c. ramice nerv.* Penis, ut Virgilius: (*Ge. III,* 99.)

Ut quondam in stipulis magnus sine virib. ignis.

Ramicem, dicit intestinum.

206. *Et quamvis t. p. nocte.* Fricetur, praepudietur [1].

1 *Praeputietur,* Schrev. addito pro more emblemate: vel *propudietur.* Henn. priorem coniecturam

recepit, et hactenus bene, etsi nullum horum trium verborum apud alium scriptorum proditum legatur. A Sg. haec gl. exulat.

208. *suspecta libido est.* Ut infames dicantur, qui sine ullo calore coitum desiderant [1].

1 In Sg. duplex gl. est, sed vitiosa, ad hunc modum: *suspecta l. ut infames dicunt, qui adpetunt feminam, cum coire non possint, aliud de eo suspicantur.* — *Quae ven. adf. qui sine nullo calore coitum desiderat.*

210. *nam quae cantante vol.* * Id est, quod parvitatem [1] nec audit vocem, nec delectatur, quanquam ad spectandum conveniat. *

1 Videtur legendum, *per aevitatem.*

214. *Qui vix cornic. exaud.* * Id est, usque adeo non potest delectari cantilena et cithara; quem strepitus cornicinum non commovent. *

216. *Quem dicat ven. p.* Quia per aetatem nec videt, et nisi puer admoneat, nihil sponte sentit.

217. *Praeterea minim. gelido.* Ut Virgilius: (*Aen. V.* 395 *sq.*)

> . . . . *gelidus tardante senecta*
> *Sanguis hebet.*

219. *Morbor. omne genus.* Id est, omne genus aegritudinis, ut Terentius: (*Phorm. IV*, 1, 9.)

> *Rogas? Senectus ipsa morbus est.*

220. *Promptius expedit.* * Facilius dicam n o m i n a, numerum, moechorum, quos amavit Eppia. *

221. *Quot Themison aegros.* Archiater illius temporis, cui detrahit [1].

1 In secunda Schrev. haec gl. per incuriam excidit.

222. *Quot Basilus.* Advocatus illo tempore praevaricator.

quot circumv. Hirrus. Tutor.

223. *quot longa v. abs.* Hanc ostendit ore fuisse impuram.

224. *quot discip. incl. Hamillus.* Magister, infantum corruptor.

225. *Percurram citius.* * Quot villas habeat extonsor [1], eo die, quo me tutundit, senator factus. *

1 *Extonsor*, ut *Exconsul*, scite facto vocabulo. posses tamen et, *ex tonsore*, suspicari.

226. *Quo tond. gravis.* Licinius ex tonsore senator factus.

227. *Ille humero.* Redit ad senes.

229. *digitis alienis.* Chiragra debilis, qui ab alio cibatur.

230. *diducere rictum.* Os applicare, ut pulli hirundinis, quae pleno ore volat dum incibat [1] filios suos.

1 Nescio an melius sit, *dum cibat* scribere. Sane *incibare* alio ex auctore confirmare nequivit Ducangius. Sch. — Esto; multa vocabula adinvenit posterior aetas, sed et antiqua multa servavit e scriptis deperditis. Fortior autem est *incibare* h. e. ingerere cibum in os, quam *cibare*, cibum dare; quid? quod hanc etiam vocem pro nova haberent, nisi apud Lucretium esset. Anceps plerumque est de vocabulorum novitate, in tanto veterum scriptorum defectu, disputare, nisi aut ipsa res, quae significa-

tur, nova sit, aut in analogiae rationem commissum. *Incibare* autem eadem ratione dictum, qua *inescare* ap. Apuleium. Alia paullo ratio verbi *incoenare* in Tranquillo, quod post Oudend. displicuit Wolfio, etsi defendi videatur eadem analogia, qua est *incantare*, aut *incubare*.

235. *maior dementia*. Ad postremum, quod desides [1] efficiuntur.

1 Vet. Ex. habuit *desipes*, quod retinendum censeo, ut sint *desipes*, infruniti. PITH. — Nullo auctore confirmatur vox *desipes*, quae sane ex abbreviatura est, pro *desipientes*. SCH. — Hoc probabile, quamvis eam vocem quoque Sg. habeat, et restituerint Schrev. et Henn.

234. *nec vultum agn*. * Id est, incipit nullum agnoscere de suis, nec filios suos, aut amicos. *

238. *Ad Phialen*. Inpuram hanc fuisse demonstrat poeta, interea et artificem ad inquietandum [1] senis inguinem.

1 *inequitandum*, legendum est, non *inquietandum*. SCH. — Cui bono id, nisi ut spurcities augeatur et sermo inquinetur?

249. *Quod steterat*. Ex eo quam diu [1] prostiterit.

1 Lege, *quoniam diu*, vel, *quod tam diu*. SCH.

240. *Vt vigeat sensus*. Pone ut non sit demens, qui diu vixerit [1], tamen omnes effert ipse filios suos.

1 In ed. Pith. mero typorum vitio est *vexerit*.

242. *plenaeq. sororib. urnae*. Vrnae, vasa in quibus mortuorum ossa componebantur, postquam corpus arsisset.

246. *Rex Pylius.* Nestorem dicit, qui dicitur tertiam usque aetatem vixisse, id est, CCC annos, ut dixit Homerus.

247. *a cornice sec.* * Alii dicunt, quia plus vixit, quam duae cornices. *

250. *Quiq. novum toties.* Qui multos autumnos vidit.

parumper Attendas. * Peto, ut modicum videas. *

255. *Antilochi barbam.* Filium suum ploravit Antilochum, quem Memnon, auxilium patri ferentem, occidit in Troia.

cum quaerit ab omni. * Ab omnibus qui ei solatium praestabant. *

257. *Atque alius.* Laertes, propter Ulyxem naufragum.

259. *Assaraci magni.* Id est, felix etiam fuisset Priamus, si ante incendium Troiae fuisset mortuus, cuius funus omnes filii sui deduxissent.

260. *Portante.* Quae solent a filiis in funere patris fieri.

264. *audaces Paris.* Bene, audaces: quia Helenam alienam uxorem ablaturae erant.

265. *omnia vidit Eversa.* Ut Virgilius, (*Aen. II*, 507.)

Urbis uti captae casum collapsaque vidit [1].

etc. Ergo hoc illi prolixa vita praestitit.

1 Legitur iam, *convulsaque vidit.* Almelov. — Et *ubi* pro *uti*, quod et Schrev. et Henn. mutarunt.

267. *arma tiara.* * Posita tiara, id est, corybantio[1], ut Virgilius: (*Aen. II.* 599 *sq.*)

Arma diu senior desueta trementibus aevo
Circumdat nequiquam humeris. *

1 Quid in ea voce senserit, quisquis hanc interpretationem commentus est, facile sagacioribus ad divinandum permitto.

268. *Et ruit ante aram.* * Occisus est.* Ut Virgilius, (*Aen. II*, 502.)

Sanguine foedantem, quos ipse sacraverat, ignes.

270. *ab ingrato i. f. a.* Contemptus ab aratro senex, qui non potest laborare, id est, arare [1].

1 Legendum est, *arare, id est laborare.* Vel potius verba, *id est arare,* glossa glossae sunt, ab alia manu addita, quae *laborare* hac notione medio aevo usurpatum esse notavit. Vide, voce labor, Dufresnium. Sch.

271. *Sed torva canino.* Hecubam dicit, quae excaecato Polymestore [1], cum saxis impelleretur a populo Thracum, versa in canem fertur. An quia Graecis convicia congerebat, canem nominaverunt?

1 Henn. *Polymnestore,* ut solent fere Latini auctores hoc nomen scribere. Vid. Muncker. ad *Hygini fab.* 109. Pro *impelleretur* olim putabam *impeteretur,* quod nec nunc displicet.

273. *et regem trans. Ponti.* Mithridates cum per quadraginta annos adversus Romanos dimicasset, cum Pharnacem filium suum apud caeteros [1] eius fratres voluisset occidere, ab omni relictus exercitu est, et exhausto veneno periit,

accepto frequenter antidoto ut perire non posset. Postea vero Pharnaces successit eius imperio.

1 Forte, *sicut caeteros*. Pith. — Lege, *aeque ut caeteros* et mox, *relictus exercitu ense periit, cum hausto veneno, ex accepto freq. ant. ita per. n. p.* Sic historiae fides servabitur. Vid. Liv. Epit. CXI. Sch.

274. *Et Croesum.* Cum interrogatus fuisset Solon a Croeso, si aliquem vidisset tam gloriose regnantem, illi dixit, debere vitae ultimae [1] eventum exspectare, quem cum Cyrus captum victor vivum iussisset in rogo poni, clamare coepit, Solonem non sibi esse mentitum: atque ita a Cyro est liberatus, timente ne aliquid sibi faceret in extremo vitae spatio perdurante [2].

1 Nisi voluit *ultimum* scribere, quod certe debebat. Ultimus vitae eventus est, vitae clausula. 2 Glossa sic satis emendata est a Schrevelio. Possis tamen legere, *ne aliquid simile acc. in extr. v. sp. per duram sortem.* Sch. — Ego quid Schrev. sanaverit, in binis meis edd. quae ab eo profecta sunt, nihil invenio,

276. *Exilium et carcer Mint.* Cum Sylla [1] cum Iugurtha in Africa pugnaret, Marius supra ipsum ambiit, et missus est. illo remoto, vicit. Posthaec cum denuo ad Mithridatem Sylla mitteretur, et profectus esset in Campania, iterum coepit ambire supra eum, et inde discordia inter eos nata est. Verum cum Sylla reverteretur ob hanc caussam, Marius fugit, et latuit in Galliis [2] in Minturnarum paludibus. Qui cum fuisset ibi-

dem agnitus, in carcerem missus est: et cum carnifex ad occidendum eum missus esset, visa circum eum tanta maiestate, vel quid futurus esset [3], relicto gladio pavens fugit, ac retulit cognita his a quibus missus fuerat. illi eum dimitti iusserunt. Qui cum fuisset dimissus, in Africam abiit, id est, Carthaginem [4]: ibidem solutis ergastulis Romam venit, et omnes Syllanos occidit, et receptus a Cinna tunc Consule tenuit Urbem. Postea Consul VII. fuit. Sylla posito in bello qui ante adventum Syllae fato suo mortuus est [5].

1 Haec ego aliquando sumpta putavi ex opusculo Iulii cuiusdam Exsuperantii de Mario, cuius exemplar habeo, sane non tanti ut a nostris maiore desiderio expeti debeat, quam aut Eugrafii integer in Terentium commentarius, aut alterius, et fortean Probi nostri, sane non Vulcatii, in orationes aliquot Ciceronis fragmenta, quorum tamen bonam copiam bonis viris, si cui usui esse possunt, ultro offero. Sed postea comperi esse alterius aeque tenuis ac ieiuni scriptoris, ut illa de Euryphylo et Telepho. Pith. 2 Monstrum, an ibi, id est in media Italia, Galliae? Corrigendum sine dubio, *in calamis*. Plutarchus: *καὶ πτῆξαι κελεύσας ἐν χωρίῳ κοίλῳ παρὰ τὸν ποταμὸν ἐπέβαλλε τῶν τε καλάμων πολλοὺς, καὶ τῆς ἄλλης ἐπιφέρων ὕλης ὅση κούφη, et loco cavo propter amnem demittere se iusso,* (Mario) *multam arundinem iniecit, aliamque materiam aggessit levem.* Ruben. *Elect. II,* 28. — Inducenda hoc loco verba, *in Galliis,* et post pauca legendum cum C. Barthio, *et cum carnifex e Galliis ad occid.* caet. *Cimbrum* quidem vocat Valer. Max. *II,* 10. Sed Appian. *lib. I.* aliquoties *Gallum* fuisse, qui eum occidere debuerat, dicit. Sch. 3 Lege, *velut quid futurum esset.* Sch. — *futurum* etiam Henn. mallem, *et quis futurus esset,* nempe Marius. 4 Verba, *id est, Carthag.* glossa glossae sunt, ut quidem quilibet vide-

rit. Sch. 5 Pithoeus ante v. *Syllae* asteriscum posuit, suspicatus prôcul dubio excidisse non nihil. Henn. audacior et, *posito bello* dedit, et *qui* omisso, *Marii* pro *Syllae*, quo nihil peius comminisci potest. supervixisse enim Syllam Mario, vel pueri norunt. Sensus planus et ad historiae vestigia est, si, distinctione mutata, legas: *Postea Consul VII. fuit, Sylla posito in bello.* (sc. contra Mithridatem, procul Roma, in Graecia.) *Qui,* (Marius) *ante adventum Syllae fato suo mortuus est.* Vix autem bene latinum *fato suo mori,* pro concedere, vel fungi fato.

277. *Et mendicatus.* * Vt Lucarl [1] Carthaginem pro Africa posuit, cuius partem Numidiam vicerit Marius sub Iugurtha. *

1 Scribe, *Lucan.* apud quem id aliquoties. — *sub Iugurtha* est, contra Iugurtham.

283. *Provida Pompeio.* Nam dicitur Pompeius, mox quam suscepit bellum civile contra [1] Caesarem, in Capua vehementer aegrotasse: et quia non potuit febre emori, servatus est, ut a Caesare occideretur.

1 Sg. *circa,* ex consuetudine aevi.

287. *Lentulus.* Qui proditor fuit, et Cethegus coniuratus Catilinae, * talem mortem non pertulerunt, sed * laqueo, quasi coniurati, non gladio, perierunt.

290. *cum Vener. fanum vid.* Id est, cum ad templum Veneris vadit.

291. *Vsque ad delic. vot.* Id est, usque adhoc deliciae hominum veniunt, ut pulchritudinem optent filiis suis [1].

1 Non intellexit Int. si scripsit, ut editum est. Sensus enim Poetae est, usque adeo matres aliquas dementes esse, ut etiam delicias in votis voveant filiabus, et ut in amplexus ob pulchritudinem rapiantur. Possis emendare, *id est, neque ad hoc veniunt, ut quo deliciae hominum sint, optent filiis suis*. Sed, ut dixi modo, valde vereor ut intellexerit poetam enarrator. Glossae aliae scriptae sane non magis sensum ceperunt, quando exponunt, *delicias votor. oblectamenta desideriorum*. Sch. Nihil muto, et non cepisse sensum Int. haud intercedo, sed vereor, ut et ipse Schurzfl. perceperit et plerique omnes hic commentatores. Deliciae votorum sunt vota quibus nihil superaddi potest, et sensus: maiore murmure formam optat puellis inque votis usque eo procedit, ut nihil supra optari possit, h. e. ut Veneri prorsus sit similis. Sic, *usque in delicias amare*, Seneca *de Benef. IV*, 4.

292. *pulchra gaud. L. D.* A maiore ad minus.

293. *Sed v. o. f. Lucretia.* Lucretia uxor Tarquinii Conlatini, quam Tarquinius, amorem eius non sustinens, invitam dicitur corrupisse, propter quod illa mortem sibi adscivisse dicitur.

294. *cuperet Rutilae Virg. gib.* Virginiam Appius Decemvir adamatam, clienti, quem ob hoc subornaverat, in servitutem addixerat. Propter quod eam pater Virginius interemit [1]. Decemviris imperium abrogatum, Appius in carcerem necatus est.

1 Henn. interimit, et mox, *in carcere*. Ipse autem Appius non tam necatus est in carcere, quam spe vitae incisa, priusquam prodita dies adesset, sibi ipse manus iniecisse narratur Livio, *III*, 49.

301. *Sanguine fervent.* Cito erubescentem.

302. *quid enim puero.* * Quid plus potest conferri in pueris, nisi ut boni mores tradantur, et custos adhibeatur. Sed haec omnia vincit natura, quod corruptores prohiberi non possunt. *

304. *Non licet esse viros.* Ut omnia interim ad custodiendum fiant, inter viros permanere formonsus non potest [1].

tui. * Cui multorum erit causa malorum et ingentium. *

1 Lege, *inter viros, viros permanere formosus, non potest.* Loquuntur ita auctores optimi. si tamen correctio haec non placet, vel adde vocem *fieri* ad nostram castigationem, vel scribe, *vir manere*, non, *permanere.* Sed Poeta *viros* πληθυντικῶς dixit. Sch. — Peior castigatio castigando. Sensus apertus: formosus, etsi ad virilem aetatem pervenerit, vir tamen manere non potest. *manere* et *permanere* idem. Pro *formonsus*, quae etiam scriptura est Cod. Sg. Schrev. et Henn. tum hic, tum infra, *formosus.* Illam tamen et lapides quidam probant, et omnino ratio vetus inserendi literam N post vocalem, sequente S, de qua, cum multi dixerint, nemo tamen acutius Mureto in *Opusc. a Ruhnk. ed. T. IV. p.* 136.

310. *et iuven. spec. laetare tui.* * Exulta in pulchritudine fili. *

312. *et poenas met.* Id est, tyrannus nullum ephoebum in arce sua tentum in adulterio foedum castravit, nisi formonsum [1].

1 Schrev. *in adulterium foedum.* non male, hoc sensu, quo aptior foret ad libidinem. Sed eum sensum pervertit denuo, post *formosum,* addendo: *Id est, eum adulterat.* Pertinet autem ad vs. 306. cui et Henn. adpinxit.

313. *nec e. f. astro Martis.* Qui cum Venere deprehensus est in adulterio.

317. *mugilis intrat.* Piscis, grandis capitis, postremis exilis, qui in podicem moechorum deprehensorum solebat immitti.

318. *Sed tuus Endymion.* Pulcher tuus. Endymion [1], pastor quem luna adamavit.

1 Distingue, *Pulcer tuus. Endymion, pastor* caet. *Pulcer tuus*, ὁ σὸς εὔμορφος, ex Graecismo, ut *mei dilecti* Patres. Sch. — Nimirum Schrev. et Henn. uno spiritu ediderunt, *Pulcher tuus Endymion, pastor* caet.

319. *Servilia.* Nomen cuiusdam mulieris turpissimae.

320. *exuet omnem Corp. ornat.* Pro libidine usque et sua ornamenta, inquit, donat mulier, ut tantum ad libidinem suam possit inducere filium tuum.

322. *sive est haec Appia.* Quaelibet nobilis matrona, * in desiderio viri. * nihil aliud propter libidinem spectat [1].

1 Legere malim, *nil al. praeter libid.* Si retines vulgatam lectionem, intelliges, propter libidinem nihil aliud spectare mulieres, quam ut inducant quovis modo ad amorem amasios. Sch. — Occupavit eam emendationem iam Schrev. Praeterea eam gl. Cod. Sg. rectius adponit sequenti versui, eiusque verbis, *Deterior totos.*

324. *Sed casto.* Quasi obiectio. Quid enim si castus fuerit, pulchritudo nocet?

325. *Hippolitho.* * Id est, quid profuit castitas Hippolitho et Bellerofonti, nam propter ea damnatis? *

326. *nempe haec.* Phaedra Minois filia, uxor Thesei, noverca Hippolyti.

327. *Nec Stenoboea.* Procti uxor, quae amavit Bellerophontem.

329. *Cum stim. o. p. adm.* Dum laesa aut contempta erubescit. dum laesus amor irascitur; ut Virgilius, (*Aen. V*, 5 *sq.*)

. . . . duri magno sed amore dolores
Polluto, notumque furens quid femina possit.

330. *cui nub. Caes. uxor.* Uxor Claudii Messalina, quae Gaio Silio palam nupsit, inducto etiam Claudio, ut tabulas dotales obsignaret: quod quasi de industria simularetur, ad avertendum periculum quod immineret ipsi, per quem dum portenta ostenderentur Hostilium transeuntem per forum rapuit Claudius, et necavit [1].

1 Lego, *quod immineret ipsi, siquidem tum semper portenta ostenderentur. Post Silium trans. rapuit Claudianus et nec.* Vide Suetonium et Tacitum. Sch. — Suetonium in *Claud. c.* 29. prae oculis habuit Schol. ut alibi v. c. ad *Sat. XIV*, 91. eiusque prope verba secutus est. Hinc felicius forsan ulcus, quod haerere sensit et Pith. post *immineret ipsi*, asteriscum ingerens, sic sanabitur: *quod imminere ipsi per quaedam portenta portenderetur. Ideo Silium* caet. nam, quod Claudium in Claudianum converterit Schurzfl. historiae adversum est. Caeterum hoc ipso Schol. loco firmatur illud *imminere* apud Sueton. quod frustra sollicitavit Ernestius. Superfluum est, fateor, sed non ideo proti-

nus male Latinum. In priorib. quoque *simularentur* legendum est, tum e Suetonio, tum e Cod Sg.

333. *Messalinae oculis.* Vidente ipso [1]. id est, ante oculos amatus crucifigitur.

1 Henn. flagitante Poeta, *ipsa.*

334. *Flameolo.* Quo nova nupta operitur.

Genialis. Lectus ubi concumbunt.

335. *centena dab.* Dos scilicet secundum morem.

336. *auspex.* Auspices ut solebant [1] nuptiis interesse.

1 Lege, *Auspices adsolebant.* Sch. — Putabam, *Auspices autem solebant.*

337. *et paucis commissa.* Clanculo celebrari.

338. *Non nisi leg. v. nub.* * Id est, illa * Adultera.

339. *pereundum erit.* * Si contradixeris moreris: si consentias, paululum mortem differis [1]. *

1 Sic, *moreris* et *differis* habet MS.

342. *interea tu Obsequere.* Interea, dum ad illum pervenit crimen admissum, tu illi vel tibi fac satis. nam sive indulseris, sive negaveris, tantundem erit [1].

1 Sic dividendum censeo: *dum res, interea d. ad illum* (puta Claudium) *perv. cr. adm. interea tu, Messalinae fac satis. quicq. melius, illi* (Messalinae nempe) *vel tibi facias satis. nempe s. ind.* caet. Sch.

346. *Nil ergo optab. hom.* Obiectio cum interrogatione.

347. *Permittes.* Pones in voluntate deorum.

350. *Carior est illis h. q. sibi.* Ipsi non petita bona praestabunt. Plus enim nos ipsis [1] cariores sumus, quam nobis.

1 Lege, *praestabunt, plusque, nam nos* caet. Sch. — Nulla necessitate. Pro *petita* non male Sg. *petiti.*

351. *coeca magn. cup.* Coeco, sive vano desiderio [1].

1 Schol. legisse videtur *coeca vanave cup.* Et quid illud *magnaque?* Diu est, ex quo id magnopere mihi displicuit, nec habeo tamen, quod pro eo reponam melius. Sch. — Non mihi persuasit Schurzfl. Rupert. — Erat cum coniicerem *magicaque,* motus et ipse imbecilli epitheto. Fortasse tamen is verbi *magici* usus, magis ex nostra, quam Veterum ratione loquendi est.

353. *Notum qui pueri.* Sciunt futura.

354. *voveasque sacellis.* Votum facias in templis.

355. *tumacula porci.* Pinguia quaedam viscera.

356. *Orandum est.* * Hoc solum petendum est. *

357. *et mortis terrore car.* Qui mortem contemnat.

358. *inter munera ponat.* * Pro donis mortem habeat. *

359. *Natura qui ferre.* Quicquid imperat natura.

361. *Herculis aerumnas.* Id est, laborum gloriam ferat, et praeferat labores deliciis [1].

1 Legendum, *qui ferre queat*, *id est*, *laborem gloriae praeferat. Herculis aerumnas*, id est, *praeferat labores deliciis.* Sch.

362. *et pluma Sardanap.* Sardanapalus rex Assyriorum luxuriosus: de quo Tullius in tertio de Republica sic ait, *Sardanapalus ille vitiis multo quam nomine ipso deformior.*

364. *unica vitae.* * Via quae sola quieta esse potest vitae. *

365. *Null. numen habes.* Ne quid Deos, qui sapiat, timebit.

366. *nos te, nos fac. fort. Deam.* Dum petimus, aut speramus aliquid.

IN SATIRAM XI.

DE COMPARATIONE VICTUS.

Ad Persicum scribit in eos, qui ultra vires familiaris rei pretiosas epulas comparant ad extruenda convivia.

1. *Atticus.* Poeta nomina duo posuit, cum de generalitate [1] loquatur. Per Atticum vero divitem vult intelligi quemlibet: per Rutilium [2] autem pauperem: quem dementem ideo dixit, quia in divitibus quae humanitas dicitur, haec in paupertate dementia habetur.

1 Bene legit liber vetus, *cum de generali tacite loquatur.* Glossae MSS. apud Dufresn. *Generale, ubi communia dantur conditionibus personarum.* Sch. 2 Henn. *Rutilum*, recte.

3. *omnis Convictus, Thermae.* Deest, loquuntur omnes.

5. *iuvenilia membra.* * Dum iuvenis est. *

7. *sed nec prohib. trib.* Qui custodes erant libertatis.

8. *et regia verba.* Superba et delicata [1], id est, se auctoraturus [2], aut haec scripturus, quae

iuris et consuetudinis erant ab iisdem scribi, qui accepto pretio se in ludo distrahebant.

1 Scribendum est, *superba dictata*. Dictata proprie esse ea praecepta, quae lanistae suis discipulis dare solent, iampridem ab eruditiss. hominib. observatum est. Rutg. *l. c. II*, 16. — Glossae scriptae, *Regia, superba, regalia, magnifica.* Male hodie legitur, *delicata.* Vide de regiis his verbis Lipsium *Saturn. p.* 60. Sch. — Schrev. secunda recepit Rutgersii emendationem. 2 Rectum est, *se auctoraturus.* Vide Dufresn. voce, auctorare, ubi tamen hunc locum praeteriit. Sch. — *Auctorare se*, etiam optimis scriptoribus dici, vulgata res est, et qui dubitaverit, scio neminem. Verba autem haec, *id est, se auctor.* caet. glossa sunt ad v. *Scripturus.*

9. *Multos porro vid.* Eos vult intelligi, qui ex pecunia sibi credita luxuriantur.

quos saepe elusus. Id est, frequenter delusi ex pollicitatione redhibitionis [1]; ibi eos expectant, ubi res aptae luxuriae distrahuntur.

1 Id est, solutionis promissione. *Redhibitio*, pro solutione debiti, vix Latinum. est tamen eodem sensu in *L.* 5. *Cod. de conven. fisci debit.* Porro verba, *ibi eos exp.* caet. separatim ponenda sunt, quia gl. constituunt ad v. *introitum macelli.*

11. *Et quib. in solo.* Qui tantum propter gulam volunt vivere.

14. *Interea gustus.* Hos gustus, masculinum [1].

1 Dele voculam *masculinum*, et, si quid vis eius in locum surrogare omnino, scribe, *sapores, appetitum*, ut in schedis vetustis legitur. Quis enim *gustus* alius, quam masculini generis, esse dicet? Librarius voluit interpretem explicare, sed obscuravit.

Ille enim sua nota voluit, *gustus* esse accusativum pluralem, non nominativum, quod quidem iste non cepit. Sch.

15. *Nunquam an. pretiis.* Intentiose [1] emunt, quae carius distrahuntur. Haec enim eos plus delectant.

1 *Intentiose*, quae vox Dufresnium fugit, est *proposita intentione.* Si tamen ipsum Poetam respicias, credas Int. scripsisse, *Intenti si emunt, quae car. distrahuntur, haec etiam eos plus del.* Sch. — Uti a, *contentio* fit, *contentiose*, ita etiam *intentiose* ab *intentio*, et similia alia, in quibus propter analogiae convenientiam nec operose quaerenda est vetustatis auctoritas, nec novorum hominum testationes ut suspectae illico reiiciendae. Illud potius cavendum, ne, in huiusmodi scriptoribus emendandis, elegantius loqui aptiusque eos iubeamus, quam eorum aut ingenium patitur, aut aetas suadet, in quod vitium non semel incurrisse Schurzfleischius videtur, et Schrevelius Henniniusque, ille aperto Marte, hi clanculum et per insidias in Schol. irruentes.

17. *perituram arcess. summ.* Non dubitant mutuo accipere, quae perdant magis, quam erogent.

18. *Lancib. oppositis.* Id est, argentum vendet, aut matris suae imaginem, si in auro picta est, aut in argento.

19. *condire gulos. Fictile.* Hypallage: nam gulosum * dixit * pro eo quod gulosis paratur. Fictile autem, patinam accipiens ut cacabum [1], gulosis cibis compositum.

1 Emenda, *accipies, aut cacubum.* Sch.

20. *sic ven. ad miscell. ludi.* Id est, cum non habeant unde manducent, distrahunt se ad hu-

dum:[1] genus miserabile ferculi, Miscellania, cibus gladiatorum, id est, ultima coena[2]. Ideo miscellania, quia omnia quae apponuntur eis miscent, et manducant[3].

1 Verbis, *et sic manducant* dimotis, legendum, *distrahunt, se ad ludum et sic mand. gen. mis. ferculi, miscellania.* Tum sequatur, *Miscellan. cib. glad. idem est ultimae coenae.* Sch. — Imo duae sunt glossae, quarum prior usque ad v. *ludum,* explicat verba, *sic veniunt* Poetae, altera nomen *Miscellaniorum,* in qua forte praestat legere, *in ultima coena,* ut exciderit temo superpositus literae *i,* quo posito, praepositionem *in:* omisso autem, in MSS. significari *id est,* vel *idem est,* nemo ignorat. — 2 Recte interpretatur Vet. Int. miscellania, *ultimam coenam,* quam *supremam* vocat Tertullian. in Apolog quem locum perperam sollicitarunt, qui nuper ad illum librum scripserunt. Salmas. ad *Treb. Poll. in D. Claud. c.* 5. 3 Hanc Poetae interpretationem licet alii, nec forte immerito, improbent, et licet non verosimile sit omnes gladiatorum cibos in coena, quam ultimam esse putabant, mistos fuisse, potiusque varietate ciborum repleti sint, tamen Scholiastes morem illum videtur nobis conservare, quo hominibus sententia iudicis damnatis et gladiatoribus dabatur ultima coena miscellanea, ut varietate ciborum repleti beneque poti formidinem mortis abiicerent. Apud Athenienses damnatis, vel qui ἐπὶ θανατὸν ducebantur, licebat se σιτοῦ καὶ οἴνου πληρωθῆναι, teste Suida. Et bestiariis datam fuisse *coenam liberam,* eosque pridie antequam pugnarent, lautissime coenare consuevisse, patet ex Passione SS. Perp. et Felicit. nec non ex iis, quae in Praef. monet H. Valesius. Quin et huc videtur pertinere, *militare prandium, dictum ab eo, quod milites ad bellum* (i. e. proelium) *paret,* teste Pollione in Gallienis. G. Cuper. ad *Lactant. de mortib. persec. p* 248. — Is mos etiamnum passim obtinet e cana vetustate, indeque nobis haec coena, *die Henkersmahlzeit,* vocatur. Caete-

rum pravam apud Pithoeum interpunctionem huius gl. ad exemplum Henninii correximus, nihil in eam rem valentibus MSS. libris.

22. *laudabile nomen.* Bonum nomen, vel famam accipit.

24. *qui scit quanto.* Id est, pauper, qui novit, quantum distat [1] a divite, et tamen non se agnoscit, et quasi [2] dives luxuriatur.

Athlans. Methaphora a montibus.

1 Debebat esse, *distet.* In Sg. autem est *distrahet,* quod commodum est, si explices *distrahetur,* omittente librario abbreviationis notam. 2 Lege, *sed quasi.* Sch.

36. *quantum ferrata.* Id est, a maiore patrimonio paupertas, aut mediocris res familiaris.

27. *γνῶθι σεαυτόν.* Socratis philosophi dictum [1]. id est, agnosce te qui sis et secundum possibilitatem tuam age.

1 Citatur hic locus a Macrob. *in Somn. Scip.* Pith. — Quod Socrati adscripsit Int. Pythagorae alii, alii Bianti, aliis alii, et quia res incerta erat, *multi* Apollinis oraculo. *Secundum possibil. tuam age,* cape, pro facultatibus tuis. Bonum legitimumque verbum *possibilitas,* et usurpatum Symmacho *IX,* 49. Mart. Capellae lib. VII. Valeriano, homil. IX. Petro Chrysol. Serm. 48. Servio ad Virg. Ge. II, 216. aliis. Sch.

28. *et men. tr. pectore.* * In memoria habendum, considerandum semper. *

31. *in qua se transducebat.* Idoneum existimabat, transferebat.

32. *causam Proteg. affectas.* * Defendere negotium iniustum aut dubium. *

33. *dic tibi quis sis.* * Considera eloquentiam tuam, si ad defendendum est idonea. *

34. *an Curtius an Matho buccae.* Iactanticuli, qui tantum buccas inflant, et nihil dicunt [1].

1 *Bucco,* qui et *bucca,* non tam inflatum signat, quam stultum, interdum etiam scurram et parasitum, ut Iuvenali hic et Sat. III. Errat enim Vet. Int. cum *buccae* exponit, *iactanticuli* caet. Saepe tamen ita accipi, verum est. Voss. in *Etym.* v. *Bucca.* — Defendunt Schol. interpretationem alii, et merito.

35. *Noscenda est m. sui.* Id est, consideranda in omnibus rebus est mensura uniuscuiusque rei: et, si ad hanc sufficit, sic eam debes adsumere [1].

1 Clare patet e Schol. verbis, legisse eum, *Noscenda est mensura rei,* si quidem ad verba Poetae interpretationem velis applicare. Sch. — Pith. *etsi* haud divulsis vocibus.

36. *etiam c. piscis em.* Etiam in rebus levissimis.

37. *Ne mullum.* Pretiosum piscem non debes emere cum sis pauper.

39. *aere paterno.* * Qui eventus subsequitur comestorem [1], cum non habeat. *

1 Isidor. X, *litt.* C. *Comestor, a comedendo satis. Est enim gulae ac ventri immoderate deditus.* Gl. Lat. Gr. *Comestor* καταφαγάς.

40. *ac reb. mersis.* Id est, patrimonio [1]. * Cum omne patrimonium suum mergat in ventre. *

1 Auctior in veteri codice sic legitur: *patrimonio ingurgitato.* Sch.

41. *Annulus.* * Post omnia vendit annulum e digito et comedit. *

44. *Non praematuri.* Id est, non magis metuenda mors in iuventa luxuriantibus, quam senectus.

46. *Hi plerunque gradus.* Frequenter his rebus ad summam egestatem pervenitur: et cum mutuo acceptam a creditoribus pecuniam devoraverint, in exilium sponte eunt, id est, ad Baias, ubi maior est luxuria, ubi et reliquam, si est, pecuniam devorent. tunc nam, cum non superest aliquid, ne sit facultas repetundi pecuniam suam, exilium sibi indicunt annum abesse patriae suae. Vertere solum est, exilium pati [1].

1 Distinguo hoc modo, *exil. sibi indicunt. anno Circ. uno, annum abesse patriae suae.* Rutgers. *l. c. II*, 16. — Dele asteriscum, quem Pith. post, *indicunt* posuit, et si quid mutandum existimas, lege, *ex. s. ind. annuum. Vertere solum, est abesse patr. sua, exil. pati.* Annuum dicit exilium, quia in Poeta est, *caruisse anno Circensib. uno.* Sch. — Post *annum,* vel *annuum,* fac στιγμὴν τελείαν, et *abesse patr. suae* ad finem pone.

47. *coram dom. cons.* * Mutuo accepta ante creditores comedunt. *

48. *pallet foenoris auctor.* Creditor consumpta pecunia.

50. *Cedere namque foro.* Id est, tantum illis est deserere patriam suam, vel forum, quantum

est a Subura, frequentissima regione, ad Diocletianas [1] migrare, ubi solitudo est.

non est deterius. * Id est, nihil est deterius, quam abesse foro, ut et patriam deferre [2] patiaris. *

1 Fungus sim, si sciam locum in Esquilia regione, qua de agit Satyricus, et quae quinta est Urbis, cui nomen Diocletiani conveniat. Intelligit thermas Diocletianas, quae contiguo Esquiliis loco, regione sexta fuerunt. 2 An *deserere* scripsit?

53. *illa Moestitia est.* Hoc tantum dolent.

56. *Experiere hodie.* Intelligis [1], inquit, Persice, utrum praeceptis meis vita conveniat, sed nedum ego patrimonium [2] laudo. ideo siliquas posuit luxuriae rictu.

1 Cod. Sg. *Intelliges*, recte. et ita Schrev. in secunda, et Hennin. 2 Lege, *parsimoniam*, utroque loco. Pith. — Lege, *coenae dum ego parsimoniam laudo. Ideo sil. opposuit luxuriae rictui.* Hoc enim vult: Fortasse dices haec a me quidem pulchre dici, sed re ipsa non praestari. Verum cum hodie mihi conviva futurus sis, videbis ipse non minus frugales esse coenas meas, quam praecepta. Hoc enim est, quod Iuvenalis dicit. Illud, *luxuriae rictui*, sumpsit e Publiano quodam carmine apud Petronium. Rutgers. *l. c. II*, 16. — Recepit Henn. Pith. et Rutg. emendationes. Publii Syri apud nequitiae et Venerum Arbitrum versus hic est, *cap. LV.*

Luxuriae rictu Martis marcent moenia,

ad quem cur offendant tantopere Intt. ibi, eumque pervertant, varie tentando verba *luxuriae rictu,* profecto causam video nullam, etsi nec Barthii explicationem ac defensionem meam facere optem.

Luxuriae rictus est luxus abundantia et profusio, metaphora sumta ab oris hiatu. nec quisquam ad eam haerere debet, cui placuerit prorsus similis imago apud Nostrum *I*, 83. *quando Maior avaritiae patuit sinus?* ubi *sinum*, non cum Intt. de togae aut veli sinu capio, sed de maris. Nec moveor eo, quod nuper Orellius V. Cl. in *Carm. Sentent. Vett. Poet. T. I. p.* 283. edixerit non tam se *rictu lux.* offendi, quam eo, quod *moenia marcere* dicantur *rictu.* Rictum enim conglutire quidem, non autem facere marcere. Ad quae non imprudenter mihi responderi posse videtur, ideo non ineleganter moenia marcere dici rictu luxuriae, quia, profusis luxurie opibus, nihil suppetat quo sarta tecta moenia serventur.

59. *Coram aliis.* Id est, ante alios. ut frugi videaris, pultes aut legumina iubes parentur tibi, in aurem autem puero alia dicis tibi parari [1]. Siliquas, id est, parcitatem. Nam proprie siliqua est, qua legumina continentur.

1 Scholium a Poetae sensu abit, nisi legas mecum, *Id est, an ante alios, ut frugi videar, pultes, aio, et leg. iubeo par. tibi, in aur. p. alia dico tibi parari.* Sch. — Eandem emend. profert Rupertus, nisi quod, *pultes aut leg.* scribat. Henn. *autem* ante *puero*, omisit.

60. *Nam cum sis conv.* Qui te mihi convivam futurum promisisti. Nunc Poeta vult hoc intelligi, Cum, inquit, sis vir magnus, exciperis [1] tamen a me hospitio paupere, ut scilicet Hercules ab Evandro, aut Aeneas:

. . . . *Haec, inquit, limina victor*
Alcides . . . .

1 Schrev. *excipieris.* Hemistichium, quod in fine gl. est, legitur ap. Virgil. *Aen. VI*, 362.

63. *Alter aquis.* Aeneas qui in Nomicium [1] fontem lapsus, creditur consecratus. Ideo ait aquis. flammis vero, Hercules qui in Oeta monte se incendit, non tolerans ardorem vestis, quam in sanguine Nessi Centauri tinctam, uxor sua, caussa pellicis, Deianira [2], vestiendam porrexit.

1 Scribe *Numicium,* ut et Schrev. et Henn. nec aliter ap. Virgil. et Horat. 2 Sensui consuleres, si legeres, *caussa pell. uxor sua Deian.* Sch. — Satis consultum, facta ut nunc est, interpunctione. Attende praeterea Latinitatem: *vestem vestiendam porrexit*, et supr. scribe, *Herc. quia.*

64. *Fercula nunc audi.* * Id est, ordinem convivii hodierni, quod tibi exhibitur .osu [1] exponam. *

1 Sic MS. apparet autem legendum esse, *exhibiturus sum.*

66. *inscius herbae.* Lactans, qui ad huc [1] herbam non contigit. ut Virgilius, (*Ecl. II*, 42.)

Una [2] *die siccant ovis ubera.*

1 Schrev. *quia adh.* male. 2 Legendum, ut est in ipso Virgilio, *Bina.* Videtur enim librarius scripsisse, *Vina.* Ruhk. *l. c. V*, 10. — Dedit *Bina* Henn.

68. *et montani Asparagi.* Quia sunt et in hortis.

70. *tort. calentia foeno Ova.* Recentia ova, cum ipsis gallinis.

72. *qual. fuerant in vitib. uvae.* Uvae, quas suspensas servavimus.

74. *Aemula Picenis.* Tanquam Picena.

75. *siccatum frig.* Hieme. nam sicca poma non incitant morbum, humore nocivo consumpto, sive digesto succo malo.

77. *Haec olim nostri.* Veteres licet adhuc parce biberent [1], tamen iam egrediebantur antiquam parsimoniam.

1 Scribendum, *viverent.* neque enim de vinositate veterum, sed de victus frugalitate loquitur. Est autem error e corrupto pronunciandi modo, quem nonnullae hodieque gentes servant; homines sobrii, inquit Lipsius, quorum *Vivere*, nihil aliud est, quam *Bibere.* Rutg. *l. c. II,* 16. — Huius commutationis exempla supra dedi ad *Sat. II,* 155. et *III,* 211. iisque abundat Cod. Sangall. quae singulatim adferre operae pretium non fuit. Sic, ut uno exemplo adhuc defungar, Sat. *X,* 294. prorsus iocnlariter pro *decemvir* exaratum est *December.* quid? quod hac ipsa *Sat v.* 137. *voletaria,* pro *boletaria.* Hac commixtione, in plerisque Codd. ubivis obvia, semel a viris doctis observata, — observavit autem fortasse inter primos Pierius *Castig. ad Virgil. Ecl. II,* 15. — innumeri paene Veterum loci in integrum restituti sunt, ad quos nunc nemo haesitat, supersunt tamen mille alii, qui etiamnum Praetoris edictum exspectant, de quibus fortasse alibi. Inprimis larga huius commutationis sylva in Gl. Gr. Lat. superest, sed et in aliis scriptoribus. Quod ne gratis dixisse videar, unum saltem testem proferam, qui fere, dum haec scribo, in manus mihi ruit. Nam dum Nonium alius negotii causa inspicio, in Afranii loco, voc. *Lustra,* sic edidisse reperio Aldum *Venet.* 1513 et deinde Fr. Iunium:

Uxorem quaerit firmamentum familiae;
Scias, abesse ab iis lustris ingenium procul;

Mercerum autem, *scias abesse ab lustris.* In Vossiano adeo Cod. cuius lectiones servo, *ab in lustris* scio ex-

tare. Quae legens, illico vix dubitavi scribendum esse, *Scias abesse aviis lustris ing. procul.* Sunt enim *avia lustra*, popinae, aliaque loca ubi libidini operam dant et heluationibus, lastauri et lurcones. Confirmat idem Nonius: *Lustratus, luxuriosus, a lustris, abditis lucis,* ubi rectius Mercerus, *locis* scribit. Caeterum istam litterarum *B* et *V* confusionem Romae quidem, non autem Ravennae obtinuisse edixit nuper Niebuhrius, (*Hist. Rom. II,* 551.) tantum omnino in republica litteraria nomen, ut vel citra culpam cum eo errare possis, indeque intulit, celebratissimum illum Pandectarum Florentinorum Cod. in quo multa illius pronunciationis vestigia supersunt, non librarium Graeculum Ravennatensem habuisse, sed Romanensem. Veruntamen ἐπέχειν interim licet, non solum donec de Ravennatum casta illa pronunciatione certius nobis constet, sed etiam propter alia argumenta, quae Graecum istius MS. librarium produnt et necdum satis profligata esse videntur.

78. *Curius.* De hoc Cicero in Catone maiore: *Curio, ad focum sedenti, magnum auri pondus Samnites cum obtulissent, repudiati sunt. Non aurum habere praeclarum sibi videri dixit, sed qui haberent aurum, imperare* [1].

1 Locum e Catone ita scribe, . . . *repudiati ab eo sunt. Non enim aurum . . . sed iis qui hab.* Ruto. *l. c. V,* 10. — *attulissent* etiam nunc editur, pro *obtulissent,* quod tamen praeferendum videtur. Locus est in *Cat. c.* 16.

82. *Sicci terga suis.* In crate pendens laridum [1].

1 Non muta *laridum.* Ita enim Vett. aliquando scribebant pro *lardum,* adeo, ut neograeci etiam inde τὸ λάρδιον dixerint. Vide Dufresn. Sch.

83. *festis serv. dieb.* * Id est, ut non tangeret, nisi festis diebus. *

85. *Accedente nova.* Id est, recenti, ut,

. . . . *Duo lacte novo* [1].

1 Adducta verba sunt Virgilii *Aen. V*, 78.

87. *Castror. imperiis.* Dux, magister exercitus [1].

1 Notat *magistrum militum*, στρατελάτην, στρατοπεδάρχην, ex usu aetatis Constantini M. Eandem Scholiastae indicant *Diocletianae*, quas bis nominavit, *Patricii*, similiaque nonnulla alia; quanquam nonnulla etiam scholia antiquiora esse videantur. Sch.

88. *solito maturius.* Citius solito, ante horam nonam [1].

1 In scholiis scriptis invenio gl. *Solito matur. Velut ad magnum convivium, deciso solito aliquatenus laborandi tempore.* Sch.

89. *Erectum domito.* Sola dignitate clari: nam nec superbi nec divites [1]. et domito, id est, fosso et subacto monte.

1 Verba, *Sola — nec divites*, apponenda sunt ad illa Poetae *v.* 86. *titulo ter Consulis.* Sch.

91. *et Fabricios.* Fabricium Censorem [1] dicit, cui in Censura Maximi nomen obvenit, qui luxuriam reipublicae damnans, a collega Publio Decio postulavit, ut aut ipse, quemadmodum ei videretur, mores hominum emendaret, priorum Censorum negligentia perditos, aut pateretur se revocare pristinum civitatis statum. quorum si

neutrum faceret, minitatus abdicaturum se eum magistratu. Decius ergo exterritus, permisit, ut, quemadmodum vellet, Rempublicam administraret se consentiente.

a Hoc falsum est. Neque enim ullus *Fabriciorum* fuit, qui aut cum *Decio* Censor fuerit, aut cui *Maximi* nomen obtigit. Sed scribendum *Fabium*, et notula reponenda est ad *v.* 90. *Cum trem. autem Fabios.* Fuit autem *Fabius Maximus* Censor A. V. C. CCCCXLIX. cum P. Decio Mure et XVIII. lustrum condidit. Unde autem *Maximi* nomen adeptus sit, docet Livius *libr. X.* RUTG. *l. c. II*, 16. — Scholium de Fabio, *Fabium* enim non *Fabricium* legendum bene docuit Rutgers. si meo animo res transigatur, insequantur ad, *Fabricios rigidique severos* etc. (sic enim membrana, sane non inepte, et invenio in Edd. priscis) haec verba, *Fabricius Censor collegam suum notavit in senatu, quia supra X. libras argenti, unam fialam invenit,* quae supra leguntur ad *Sat. IX,* 142. SCH. — Hanc transpositionem vix quisquam probaverit, neque ibi oportunior locus narrationi, quam hic. Historiam autem ipsam, nemo, quod sciam, praeter Nostrum commemoravit, et sermo quoque docere vidétur, esse ἀποσπασμάτιον deperditi alicuius Scriptoris antiqui. Sermo, inquam, praeter illa, *abdicaturum se eum magistratu,* ubi mallem abesse *eum* aut *eo* legere. neque enim puto Romanis recte dici, *aliquem abdicare magistratu,* etsi *se abdicare,* probum sit. praeterea neque in potestate fuit Censoris collegam munere suo depellere. Minitatus igitur sit Fabius, se sibimet ipsi Censuram abrogaturum, ni Decius in id consentiret, ut omnis forensis turba excreta in quatuor tribus coniiceretur urbanas. Ad eam enim rem videtur spectasse discordia Censorum, ut e Livio colligi potest.

93. *Nemo int. cur.* Inter necessaria.

94. *Qualis in Oc. fluctu test.* Ut lectum te-

studineum faceret. Lectos nam antiqui testudine Oceani ornabant.

95. *et nobile fulcrum.* Nobilius dixit, quam lectum.

96. *Sed nudo lat.* Non ornata sponda.

98. *ruris alumni.* Rustici infantes.

99. *Tales ergo cibi.* Talia convivia eorum, quales et res familiares.

100. *et Graias mir. nesc. artes.* Signa, sive alias ornaturas [1].

1 *Ornatura* generatim est quodlibet ornamentum. De specialiori notione loquitur Papias, *Limbus est, quam nos ornaturam dicimus, quae ambit extremitatem vestium.* Sch.

102. *magnor. artific.* Magno artificio confecta pocula.

103. *Ut phal. gaud. equus.* Id est, ut de poculis fractis phaleras, et alia ornamenta militaria fabricaret.

104. *ferae mansv. iussae.* A Diis, ut pueros nutriret Remum et Romulum.

106. *clypeo venientis.* Martis ad Iliam venientis, ut concumberet.

107. *Pendentisque.* De aere.

109. *farrata catino.* Cibus ex farre, qui cibus primus antiquorum fuit [1].

1 Latinorum scil. et Romanorum, ut et Plinius scripsit *lib.* 18. *c.* 7. *sq.* Primus hominum, fraga et glandes; quod cum vel Grammaticorum pueris notum sit, mirari satis non possum, cur in illa Saturniae

aetatis descriptione, Sat. XIII. etiam critici tam diu *farra* tulerint. PITH.

110. *Omnia tunc quib.* Hoc est, omnia tunc praestantiora erant, et tanti pretii, quibus, si avarus sis, invidere possis.

111. *et vox Nocte fere media.* Conturbantibus Gallis Senonibus [1], repente vox monentis audita est, Hostem caverent. Itaque hostibus pulsis, restituta urbe, templum constitutum est, et consecratum Deae Monetae. Dicit nam Iovem adventum Senonum praenuntiasse Gallorum. unde Virgilius,

> *Armorum sonitus* [2] *toto Germania coelo*
> *Audiit.*

1 Excidit vox. Legendum enim, Italiam conturb. Gall. Sen. SCH. — *unde,* ante *Virgil.* omittit Schrev.
2 Hodie editt. *Georg. I,* 475. *sonitum.* ALMEL.

114. *Officium vatis.* Officium sacerdotis et aruspicis Dii fecerunt. sacerdotum more fugientibus [1]. Ipsorum enim fuerat imminentia Romanis pericula nunciare.

1 Desperatum fortasse vulnus. quod tamen hoc modo, si non sanari, certe leniri possit, *Sacerdotum more sagientibus. Offic. sac. et arusp. dii fec. sagire* autem quid sit lib. I. de Divin. docet Cicero. Hinc in Gl. *Sagax, πραγματικός.* RUTGERS. *l. c. II,* 16. — Bene emendavit seu Schrev. sive potius Salmasius, olim enim contaminate editum a Pithoeo. SCH. — Ego in binis meis Schrev. nisi quod in secunda, inter notas ad Poetam exscriptus sit locus e Rutgersio, nihil eiusmodi invenio. At in Henn. legitur, *sacerdotibus timore fugientibus,* quod nuper suum fecit Achaintrius. Idem an extet in Schrevel. ulti-

ma, quae Amstel. 1684 curis Graevii prodiit, nescio, neque enim eius ed. compos factus sum, etsi in votis haberem. Suspicor tamen sic esse, eandemque coniecturam facio de caeteris in Henn. ed. mutationib. quae in meis Schrevelianis annor. 1648 et 1671 non leguntur, quarumque dominium Henn. haud diserte sibi vindicat. Fabricius in ora notaverat, *munere fungentibus*, quod, ut alterius gl. unice verum. Non fingere sacerdotes, sed secundum Liv. *V*, 32 et 50. vocem neglexerunt.

116. *et nullo viol. Iupiter auro.* Id est, cum necdum auro textus esset [1], sed fictilis tota Iovis conpago, magna pro nobis cura vigilabat.

1 Malim legere, *tectus esset*. Notum est *lamnis aureis* statuas olim contectas esse. Sch. — Sed nec minus notum est, integra signa mero auro conflata habuisse Veteres. Sic cepit Schol. et *textum* Iovem, auro confectum voluit.

117. *nostraq. ex. arb. mensas.* Ut mensas fierent nucinas [1].

1 Legendum, *ut mensae fierent nucinae*, et reponenda haec notula ad sq. versum. *Nucinus*, etsi ego quidem nusquam legerim, tamen in huius generis scriptoribus novum non est, quorum pleraque ineptus sit si quis ad Latinitatis normam exigat. reperio quidem in Glossario, *Nuceus*, *καρύινος*. neque tamen eam vocem hic reponendam puto. Ruto. *l. c. II*, 16. — Mensae *nucinae* a Dufresn. notantur. *Nucinus* baculus et *nucina* virga leguntur apud Ambrosium in *Apol. II. Davidis*, c. 10. Sch. — Pith. post *fierent* asteriscum habet, quae res Schrev. movit, ut adsueret verba: *id est facerent.* Henn., omisso signo critico, Rutgersianam emendationem recepit. Sed scriptum fuisse videtur, *ut mensas viderent nucinas.* sic respondetur Poetae, *mensas viderunt.*

119. *deiecerat Eurus.* * Quam ventus deiecerat. *

123. *Grande ebur.* Eburnea mensa ex ebore facta.

pardus hiatu. Pardus, qui sustineat orbem.

124. *porta Syenes.* Civitas Aegypti.

125. *Ex mauri celer.* Nam et apud Mauritaniam interiorem dicuntur nasci elephanti. unde et Hannibal habuit. Praeterea hoc nam [1] addunt, quod cum senserit se grandes habere dentes, in terram eos figit, et inde abducto capite eos amittit.

1 Henn. *hoc etiam.* quod mirari licet, quoniam constans est Int. nostri consuetudo postponendi particulam *nam,* ut et Pith. supra observavit. Similes soloecismos, in morem versos, etiam in aliis scriptoribus labentis Latinitatis frequenter observare licet. Ita legas Iulium illum Valerium, cuius *Res gestas Alexandri Maced.* nuper edidit Clar. Maius, a particula *enim,* fere semper ordiri orationum periodos. Sic *I,* 6. *Enim qui oderant. II,* 33. *Enim ne sit militia tibi militantium inhonora. III,* 54. *Enim frigus hoc fertur non obsistere ubertati.* Piget plura, innumera enim sunt, exempla exscribere, scriptoris, quem legisse fere poenitet, ita vanus est et verborum et rerum. Quoniam vero de illo auctore, quem in tenebris manere non multum intererat, sermo incidit, addere visum est, doctissimum Editorem fugisse quae de illo exponit magnus Reinesius in *Epp. ad Daumium p.* 22. Ipsa autem de elephantis fabula, e Plinii *H. N. VIII,* 3. verbis: *dentes deciduos casu aliquo vel senecta defodiunt,* conficta videtur.

126. *Nabath. bellua saltu.* Locus [1] in India, ubi nascuntur Elephanti.

1 Cod. Sg. *Lucus,* et recte, respondet enim Poetae verbo, *saltus.* Alia autem quaestio est, Naba-

thaea in India fuerit, an in Arabia, et si hic, elephantos habuerit, nec ne, in quas res inquirenter, si placet, lege Cuperum *de Eleph. Ex. II*, c. 3.

127. *hinc surgit orexis.* Libido vescendi hinc delectat [1] cibum capere, si mensa est eburnea.

1 Scribo *delectatur.* vitium ex scribendi compendio ortum est.

128. *nam pes arg. illis.* Mensis scilicet. Ut est, inquit, nobis vilis anulus ferreus, ita illis mensis pes argenteus, nisi fuerint elephanti dente compositae [1].

1 Vide num scripserit, *compositi*, ut ad pedes retulerit.

130 *qui me sibi comparet.* Id est, qui me ex comparatione contemnat, non eum invito.

135. *Rancidula.* Quia ossea sunt manubria.

136. *cui credere deb.* Cui, quasi magistro, subiaceant omnia.

137. *Pergula.* Coquina, qua boletaria [1] ponuntur.

1 *Boletaria*, cape genus lancium aut discorum, et vide Salmas. ad *Treb. Poll. in Claud.* c. 17.

138. *et pygargus.* Pygargus fera est specie [1] cervi, quae retriores [2] partes albas habet. ideo et *pygargus* dictus est, quia Graece nates πυγὴ dicuntur [3].

1 Cod. Sg. *in specie.* 2 *Retriora*, à *retro*, pro *posteriora*, ut ab *ante*, *anteriora.* Prius nec Lipsius refugit. nempe ad exemplum eius quod Int. *retriores partes* hic dixit τὰ ὀπίσθια μέρη. Sed quid de

istius Int. aetate sentiendum sit, alibi monitum nobis. Voss. *de Vitiis Serm. III*, 42. — Partes *retriores* vocat, quas alii *retrosiores*, quae magis retro sunt. Dufresn. sic nude dimisit vocem, ut nescias, quid apud hunc Int. notet. Sch. — Ad Vossium tamen ablegavit, quod satis erat. 3 Lege, *πυγαὶ dicuntur, et album ἀργόν.* (hoc posterius excidisse arguunt praecedentia.) *Avis Pygargus, avis genus, quae et lagopus appellatur.* scilicet duum generum pygargos facit; nam et feram esse dicit, et avem. utramque ἀπὸ τῆς ἀργῆς ἤτοι λευκῆς πυγῆς nomen accepisse. ἀργὸν enim Graecis frequenter est *album.* hinc et illud Epimenidis, γάστερες ἀργαὶ accipio, ut in Sulpiciae Satira, *Ingluvie albus. Retriores* autem *partes* eas vocat, quas Graeci ὀπισθίδια μέρη dicunt. Plin. X, 3. in Aquilarum descriptione, *Secundi generis Pygargus, in oppidis mansitat, et in campis, albicante cauda.* Ne quem vero offendat, quod Pygargum confundit cum *Lagopede.* Neque enim ad vivum resecanda sunt posterioris aevi scripta, in quibus quaedam bona sunt, multa mediocria, plura mala Et certe non aliter librum fieri, Martialis credidit. Hoc mendum, ut mille alia, e Grammatico illo sustuli pridem, quae omnia Θεοῦ διδόντος aliquando in lucem emittemus. Rutg. ad *Horat. p.* 35. — Pygargum Aristoteles *Hist. An. X*, 32. ait περὶ τὰς πόλεις γίνεσθαι, nec aliter Plinius *in H. N. X*, 3. Quinam sint *clagalopes* non patet, et Dufresnius hanc vocem praeteriit. Proxima veritati est coniectura Barthii, *tragelaphus appellatur.* Eo Catone contenti interim simus. In scholiis tamen scriptis est, *Pygargus, caprea, infra dicitur*, in versu nimirum 142. An ergo in Schol. legendum sit, *Pygargus capreolus appellatur?* et, *Soyth. volucres. Fasianus, avis genus, ἀπὸ τῆς Φάσιδος, dicitur, allatum Argo navi.* Martialis *lib. XIII.*

Argiva primum sum transportata carina,
Ante mihi notum nil, nisi Phasis, erat.

Sch. — Contabulandam esse coniungendamque alteram partem sequentis scholii huic primo pervide-

runt omnes, itaque typis coassavit Henn. quae in scriptis nostris et Pithoei divulsa sunt. nec tamen penitus naturam glossae perspexisse videntur viri docti. Res autem ita se habere videtur, ut universa glossa a tribus Scholiastis profecta sit, quorum antiquissimus notaverit: *Pygargus fera est . . . πυγί dicuntur*, vel si mavis, *κυγαὶ dicuntur*, ob oculos habens Plinium, *VIII*, 33, qui inter caprearum genera refert, *damas, pygargos* et *strepsicerotes* Successit alter, qui cum apud eundem auctorem *Lib X*, *c.* 3. inter aquilarum genera pygargum censeri vidisset, subiecit, *Pygargus, avis genus.* Inventus denique tertius, qui aliud nomen, quasi *συνώνυμον* substerneret, *clagalopes appellatur,* vel ut in Sg. est *dagulopes*, quod nomen, utroque modo corruptum, ingenia exercuit, ut Rutgersius *lagopus* substituerct, et magis ad litteras antiquae scripturae Barthius, *tragelaphus*, quae nomina apud Plinium habentur. Posses etiam ex eodem suspicari, *tragopanes*, aves in Aethiopia, maiores aquilis, de quibus Salmas. ad *Solin.* dixit. Caeterum miror *pygargi* mentionem praeterisse Papiam, qui non facile e Poeta vocem obscuram solet omittere. Ianuensis non transmisit, sed adnotavit, suo more absurda miscens, Pigargus *gi, masc. gen. quaedam avis. Et dicitur a Pige, quod est depressum, quia forte avis parva est. Et numeratur inter animalia comestibilia, Deuteron. XIV. pigargon vel pigargum.*

139. *Et Scythicae volucr.* Fasianus, ἀπὸ τῆς Φάσιδος tur et alvum Argo navis [1]. Pylardus avis genus, clagalopes appellatur.

et phoenicopt. ingens. Genus avis, quae habet pinnas colore phoenicio. in aqua semper est, abundans in Africa. Huius rostrum tam prolixum est et curvum, ut, nisi merso capite, aqua in os ipsius non possit intrare [2].

1 Forte, *dicitur et allatus ab Argo navi.* Achaintr. — Henn. *dicitur. est allata Argo navi.* 2 Fons huius descriptionis incertus, certe apud neminem veterum scriptorum eam invenio, qui tantum produnt, linguam huius avis in deliciis fuisse. Videant peritiores historiae naturalis, annon cum alio animali confuderit.

140. *Et Gaetulus orix.* Oryx animal minus quam bubalus [1], quem Mauri Uncem vocant, cuius pellis ad cituras proficit [2], scuta Maurorum minora.

1 Legendum videatur, *minus quam buculus.* Ebrardus Bethuniensis in *Graecismo c. IX.*

Bos est camporum, Bubalus est nemorum,
Bubalus est magnus, Buculus est minimus.

Nihil tamen hic affirmo. Sch. 2 Emendo, *caetras,* scutum loreum, quo utuntur Afri, inquit Servius. Pith. — Bene Pithoeus. Isidorus, *Cetra, scutum loreum sine ligno, quo utuntur Afri et Mauri.* Citra quidem et in Glossis scribitur: Ἀσπὶς ληςρικὴ, *citra.* An quia latrocinantes utebantur? an rescribimus, λιβυςικὴ? sed vix ausim. Addo Hispanorum etiam *Cetras* fuisse, atque inde in Caesare, *Hispanorum cetratae cohortes,* et in Livio, *Hispani cetris suppositis incubantes, flumen transnatavere.* Lipsius *de Milit. Rom. III. Dial. VII.* — In Gl. Gr. Lat. male isto loco excusum est, ἀσπὶς ληςρικὴ, *cicra,* melius in alia, σκουτάριον, *citra,* quam pessime rursus in Latino Graecis, sub adverbio *Citra,* quo minimum pertinet, retulit Labbaeus. utroque etiam loco legendum *cetra,* aut *caetra,* quo utroque modo in MSS. Latinis scribitur hoc verbum. Dausquius tamen *in Orthogr.* solam priorem legitimam habet. Quid autem Schrevel. et Hennin. moverit, ut neglecta Pithoei proba recta emendatione, edere maluerint, *ad citonas proficit,* ego non dixerim, qui, quale sit id verbum *citona,* et unde sit, et ad quid proficiat, scire me profiteor iuxta cum ignarissimis.

141. *ulmea coena.* Quia laniorum codices maxime ex ulmis sunt omnes [1].

1 Invehunt in Nostrum, quod *ulmeam coenam* interpretatus est, *ulmeum codicem*, ut tamen nemo vel verbo indicaverit, quid codicis nomine voluerit. Quodsi librum intellexit, quae usitatissima *est* vocis significatio, non intercedo, quin gnaviter nugatus fuerit; sin vero stipitem cogitavit, ut mihi quidem videtur, in quo carnes scinduntur in macellis, (*den Haublock*) aut, quod propius rem ferit, tabulam ligneam, (*das Vorschneiderbret*) qua carptores utebantur, neque absurdum quidquam protulit, neque alienum a mente Poetae. Aptae huiusmodi tabulae officio Scissoris, et e quo durissimo ligno, quale est ulmeum, factae, eo aptiores sunt, idque etiam propter hanc rationem, quod ex iis facilius sonus elici potest. Qui enim carpebant cibos, chironomi, ab his exigebatur hoc quoque, ut artem suam ad symphoniae concentum exercerent et cultrorum percussionibus tibiarum numerum servarent, quod vel ex illa descriptione patet, quam quinta Satira legimus. Igitur, qui hanc scindendi disciplinam traderent magistri in pergulis, eos quoque oportebat non solum docere artem v. c. avem ad articulorum iuncturas scindendi, sed illud quoque, uti id fieret ad tibiarum numeros, servatosque eos esse indicaretur cultrorum sonitu. Quod, quo magis inculcarent discipulis, magistros hos plerumque maiore, quam opus erat, vi usos fuisse, maioremque clangorem excitasse, praesertim hebeti iam facto cultro, quis dubitabit? ut ita recte eleganterque dixerit Poeta,

hebeti lautissima ferro
Caeditur, ut tota sonet ulmea coena Subura,

quemadmodum me olim emendare receptam lectionem, fortasse non improbabiliter, memini. Vides autem in quo ista Enarratoris interpretatio discedat a vulgari, quae Satirici *ulmeam coenam* de ligneis feris alitibusque accipere iubet, quibus magistri usi fuerint in tradenda arte scindendi. Volunt etiam

ex dilatione articulorum eius generis machinarum, crepitum ortum esse, unde illud *sonare* apud Iuvenalem recte intelligi possit. Sed haec, nisi mera somnia sint, aedepol quid somniare sit, nunquam expertus siem. Ecquis enim tam fastuosus est poeta, nedum Iuvenalis noster, ut persuadere velit lectori, dispandendo et divellendo articulos ligneos bestiae cuius cuius, tantum fragorem edi, ut ad eum tota Subura excitetur? Apage has sordes a sobrio nimis interdum vate. Praeterea, equidem scio in Academiis olim nostris, mea adeo aetate in Ienensi et Helmstadiensi, usu venisse, ut qui artem armorum tractarent, iidem etiam docerent, quemadmodum scite eleganterque secentur et diribeantur aviculae leporesque, in eamque rem ab iisdem adhibitas fuisse eiusmodi imagunculas ligneas, quale quid etiam, tanquam mirabile facinus suo tempore, a nescio quo artifice perpetratum retulit Valesius ad h. l. Sed qui, praeterquam ex hac Poetae *ulmea coena,* alio vetusti scriptoris testimonio demonstraverit, egregium hoc, si Diis placet, inventum spectrorum ligneorum, dignum sane gula principali, antiquis Romanis iam in usu fuisse: ego profecto novi neminem, nec credam Iudaeus Apella, nisi idoneus testis in scenam producatur. Multa enim sunt, quibus ut recens inventis gloriamur, antiquis tamen haud incognita; multa rursus, quae antiquitati imputamus, dum ludibria recentis aetatis sint, nec caret nostrum saeculum numero in utramque partem peccantium, doctorum iuxta et indoctorum. Sed non placet irritare crabrones.

142. *Nec frustum.* Hoc est quod vult dicere, Infertor noster furtum facere ignorat, neque aut capreae carnis particulam, aut alicuius avis subtrahens: nec aliud novit rapere, nisi ofellam, quod didicit.

145. *paucis assibus.* Vile [1] emptos.

1 Lege, *vili.* Sch. — *Comparatos* loco *emtos*, Sg. habet.

146. *incultus puer.* Bene poeta ostendit vestitum puerum, non tamen ornatum [1].

1 Hanc gl. Sg. non agnoscit.

147. *non a mang. pet.* Quales vendunt care mancipariii [1].

1 Post *manciparii*, Schrev. pro audacia sua addit: *pro mancipes, ut legatarii, pro legatis, sic consulares, pro consulibus.* Vox est ἅπαξ λεγομένη, nisi scripserit *mangonarii* seu *mangenarii*, qua voce propolas mediam aetatem significasse apud Cangium docemur.

148. *posce Latine.* Non Graece, quia nescit.

149. *Idem hab. cunctis.* Id est, pueris similes vestes.

tonsi rectique. Non comati.

150. *pexi.* Deducti pectine capilli.

151. *Pastoris duri.* Duobus his generibus [1] poeta convivium deformat, quod rusticos dicit ministrare pueros.

1 *Duo genera*, cape de *pastoris* et *bubulci* filiis. Sch.

152. *Suspirat.* Quia diu abest a parentibus, tristis est.

153. *desiderat hoedos.* Ut pastoris filius.

154. *Ingenui vultus.* Modesti, bene nati [1].

1 Diversos audis Interpretes, quorum alter *ingenui* vocem adiectivi, alter substantivi loco habuit.

155. *quos ard. purp. vestit.* Qui praetextati sunt. Ardens purpura, pro fulgens, ut Virgilius (*Aen. IV*, 262.)

. . . . *Tyrioque ardebat murice laena.*

156. *Ne pupillares.* Id est, quales habent hi qui patres non habent [1], scilicet tumentes in licentia pueritiae, sed castus est.

1 Apparet Schol. non *pugillares*, sed *pupillares* in suo cod. habuisse, quod et defendit Valesius, nec sine ratione. Aliter enim si est, bis eadem imagine usus fuerit Satiricus. Parum enim inter se distant *testiculi pugillares* et *crassà inguina*, remota autem ab his *pupillaria*, h. e. vix pubescentia, adeoque nondum inflata.

158. *inguina gutto.* Maiorem penem.

159. *Hic tibi vina dab.* Talis puer tibi erit pincerna.

160. *A quib. ipse venit.* De eadem illa villa vinum, unde et minister est.

162. *Forsit. exp. ut Gadit.* Id est, speras forsitan, quod incipiant saltare delicatae ac pulchrae puellae Syriae. quoniam de Syris [1] et Afris Gadis condita est. Nunc, inquit, expectas apud me pantomimas aut lyristrias de Gadibus, quod lasciviant. Martialis,

Ita ne [2] Gadibus inprobis puellae
Vibrabunt sine fine prurientes
Lascivos docili tremore lumbos.

1 An legendum, *puellae Tyriae, quoniam nempe de Tyriis* caet.? *Lyristriae* sunt Graecorum λυρίστριαι. Sch. — Sed libet quaerere, apud quemnam Graecorum λυρίστριαι inveniantur? tamen, quemadmodum κιθαρίστρια, ita non minus recte et λυρίστρια dici potuit. 2 Scribendum, *Nec de,* et ita apud Martialem *VI,* 80. Ruto. *Var. Lect. V,* 10. — Sic quoque correxerunt Schrev. et Henn. Extat autem

Epigr. V, 120. nam et Grangaeus male numerum edidit. Huc quoque facit alius locus Eiusdem *VI*, 71.

Edere lascivos ad Baethica crusmata gestus
Et Gaditanis ludere docta modis caet.

163. *Incip. prurire choro.* Quae suo motu faciunt barbatos [1] pati pruriginem.

1 Schrev. et Henn. *barbaros* propinant, sed *barbatos* etiam Sangallensis habet, et recte. *Barbati* sunt viri, homines virilis aetatis, quibus barba convenit. Scilicet prae oculis habuit locum Poetae *XIII*, 54. *Si iuvenis vetulo non adsurrexerat, et si Barbato cuicumque puer.* Nam quod Savaro ad *Sidon. Apollin. I*, 2. *barbatos* h. l. accipit *philosophos*, nimis quaesitum videri posest.

167. *magis ille extend.* Ad Venerem, illis saltantibus.

168. *urina movetur.* Irritata scilicet clunibus saltantium puellarum.

169. *audiat ille.* * Res, aut luxurias. *

170. *Testarum crepitus.* Testis nam antea percutiebant saltantibus pantomimis quidam huc non erat ut mesocori percuterent manibus [1].

1 Legendum, *quia adhuc non erat, ut mesochori percuterent manus.* Ergo novitium hoc inventum, ut ille in medio laudantium et cantantium choro consisteret, et manu percussa signum daret concinendi. Lipsius *Ep. ad Belg. II*, 48. — Legendum puto, *Testas n. a. p. s. pantomimis quidam. Hic noverit, ut mesochori perc. manibus.* Recte ad Iuvenalis sensum. Rutg. *l. c. II*, 16. — Emendamus, *quia tunc non erat* caet. Salmas. ad *Vopisci Carin. c.* 19. — Ubi pluribus agit de modo percutiendi et de mesochoro, inde dicto, quia erat χορῷ ἐν μέσῳ. Emendationem Salmasii, ut suam, postea

vendidit Ferrarius *de acclam. ap.* Graev. in *Thes. VI*, 33. Rutgersii autem recepit Schrev. in secunda et nihilominus retinuit Pithoei insertum hic asteriscum. Henn. denique, eo omisso, *quiniam tunc non erat*, edidit. magis fortasse ad litterarum ductum legeres, *quoniam tunc n. e.*

172. *Vocib. obscoenis.* Divites [1] cantilenis turpibus ac tam obscoenis, ut illis meretrices abstineant.

1 Vox *divites* corrupta est, aut potius non suo loco posita, et ad verba, *audiat ille*, referenda. Sch.

173. *Qui Laced. pytismate lubr. orb.* Qui expuit supra marmor Lacedaemonium, quo stratum est pavimentum, ut lene [1] sit, ut saltantibus puellis nihil impediat [2].

1 Legendum *laeve.* Rutgers. *l. o. II*, 16. — Inde Schrev. *leve*, Henn. *laeve* ediderunt Schrev. praeterea in fine adiecit, *pro puellas*, sed tum debebat corrigere *saltantes puellas.* 2 Quid viros doctos impulerit, ut ab veteris enarratoris explicatione discederent, non video: quae ut brevis simplexque, ita ad Poetae sententiam proxime accedit. Divitum enim luxum Poeta carpit, quorum triclinia, Lacedaemonio marmore constrata, oris excrementis foedabantur. Quae vero apud eum adduntur, *Quo stratum . . . . nihil impediat*, quasi ideo sputo lubricaretur pavimentum, ut facilius et velocius saltatriculae discurrerent, vel ex glossemate irrepserunt, vel ipsius sunt ineptiae solennes. Ferrar. *Elect. II*, 6. — De verbo et lectione *pytisma*, etsi iam ad nauseam dictum videatur et satis frequens sit apud Grangaeum, Schurzfleischium et Rupertum doctorum virorum senatus, et opportunum lectori inter multas sententias optandi arbitrium, ne quid tamen praetermissum videatur, adiiciam, quid praeterea occurrerit. Ianuensis. *Pi-*

tisma, neutrius generis, est genus ludi, qui mirabili arte volvitur et giratur. Iuvenalis, Qui late demonio pismate lubricat orbem. Sic habet Edit. Moguntina a. 1460 vitiose. In MS. nostro Iauuensi est, ut vulgo, *Qui Lacedemonium pitismate lubricat orbem.* In Iuven. Cod. Hafniens. extat, *Qui Lacedemonio pytismate lubricat orbem,* et glossae hae interlineares: *pytismate, genus ludi, i. disco. lubricat, versat. orbem, i. ludum volubilem.* Est denique Lamb. Danaeus, qui *pytiasmate* coniecerit, addita hac explicatione, *id est, lacte, et oleo, et omni sero, quo ungebantur qui in Laconico lavabantur et otiabantur.* Extat huius celebris quondam Theologi in eam rem epistola ad P. Danielem in Sinneri *Catal. Codd. Bibl. Bernens. T. III. p.* 218.

174. *Namq. ibi fortunae.* Divitum, quasi liceat illis peccare [1].

1. Emendare in hoc Schol. aliquid voluit Schurzfl. sed quae protulit, ipsissima illa verba sunt, quae in omnibus leguntur. An, in *divitum* voce haesit, et *divitibus* praecipere voluit? Sic certe scribi debebat.

175. *haec ead. illi.* Id est, si alea luserit pauper, aut adulterium commiserit, damnandus est: si dives horum aliquid fecerit, iocosus appellatur.

178. *Conditor Iliados.* * Virgilii, sive Homeri versus. *

180. *qua voce.* * Quid interest, utrum * bona, an mala.

184. *nec prima si luce egr.* Mire nec ipsi rei pepercit poeta. Ne uxor tibi bilem contrahat si tarde regreditur, quae a prima luce processerat, et ita regressa ut se prodat signis quibusdam con-

cubuisse cum moecho. solent enim aures et vultus sub ora eis rubere [1].

1 An potius, *sub ora*, sexto casu? Ios. tamen Scaliger pro illis, *sub ora eis*, legebat *pudoratis*. Ego, ut hoc ingeniosius, ita meum illud verius puto. Ruto. *l. c. II*, 16. — Legerim, *Satirice, nec ipsi rei pepercit poeta. Ne uxor, quae a prima luce processerat, tibi bilem contrahat. Referens, ita regressa, ut se prodat signis quibusdam concub. cum moecho. Vultum auremque, solent enim aures et vultus substratis rubere.* Substratas expono, virum passas. Scaligeri *pudoratis* contra auctoris mentem. Io. a Ianua, *Pudoratus, pudore suffusus.* Vel lege cum Barthio, *subactis.* Sch. — Posses etiam de *subagitatis* cogitare, id enim verbum ad contactus venereos pertinet. Fortasse quoque minore motu scribendum, *et vultus subora*, ut *vultus* sit gignendi casus, *subora* autem, una voce, sint idem, quod mentum. Nec commovere nos debet insolentia verbi *subos* et *subora*. Ferax enim in huiusmodi fingendis fuit sequior aetas, et innumera extant exempla. Sic in Gl. Gr. Latin. legitur, Ζεύγλη, *subiuga* et in Latino Graecis, *Subala*, μίλη ἀνθρώπου, ubi in transcursu notamus legendum esse μάλη. Sic enim Graeco Latinae, Μάλη ἀνθρώπου, *subraco*, *subala*, ubi pro *subraco*, quod alibi non habes, nec derivationem patitur, in Sangermanensi Cod. *subhircus* legitur.

186. ***Numida suspect. r. m. r.*** **Terentius,**

Postquam ludificatus est virginem, vestem scidit [1]

Vexata igitur a moecho, qui cum ea concubuit.

1 Apud Terentium *Eunuch. IV*, 3. 3. est, *vestem omnem misere discidit.* quae sequuntur verba, *vexata igitur* caet. nemo non videt Enarratoris esse. Henn. tamen, miro errore, quasi ipsius essent Terentii, protulit. Pertinet autem gl. haec potius ad v. 187.

190. ***ingratos a. e. p. sodales.*** *** Nam referen-**

tes tibi gratiam, qui fortunam sequuntur, et amicitiam pro suis commodis contemnunt. *

191. *Interea Megalesiacae.* Hoc ideo, quia Megalesia [1] Circenses ante Solem prope edebantur.

1 Henn *Megalesiaci Circenses* edidit, quae est inanis emendatio. Ipsum etenim hoc festum nomine *Megalesiorum* venit, quod vel ex Liv. *XXXVI*, 37. scire poterat. Ibi: *Per idem tempus aedes Matris Magnae Idaeae dedicata est . . . dedicavit eam M. Iun. Brutus, ludique ob dedicationem eius facti, quos primos scenicos fuisse, Antias Valerius est auctor, Megalesia adpellatos. Megalesia* igitur sunt, qui et *ludi Megalesiaci* in Calendario Rom. dicuntur, unde hic apud Poetam mappae Megalesiacae, et *Megalenses* vocantur apud Gell. *N. A. II*, 24. et *XVIII*, 2. et *ludi* quoque *Megalesia*, quod Quintilian. *Inst. Or. I*, 5. quandam se speciem soloecismi habere professus est. Ea Megalesia Schol. per appositionem *Circenses* vocat, non admodum accurate. Illa enim Matri Deum, hi Iovi, Iunoni et Minervae fiebant: illa ante Deae templum, hi in circo celebrabantur; scenica illa fuerunt, hi alterius generis; distabant denique utrique ludi tempore quo edi solebant, et aetate qua orti sunt. Nostrum fortasse fefellit *mappae* commemoratio apud Satiricum, et potuit. Neque enim, ni valde fallor, apud alium quemquam Veterum mappae mentio est, nisi in Circensibus, e quo tamen non ausim negare, mapparum usum ad alios ludos esse pedetentim prolatum. Veruntamen potest quoque eum errorem a Donato quasi transscriptum accepisse, qui item Megalenses et Romanos ludos confundit, ut dudum Goveanus *Praef. ad* Terent. *Opp. p.* 530. *edit. van Vaassen,* recte ostendit, neque tamen probavit, ut dicit Bulengerus *de Circo et lud. Circ. cap. VIII.* iniquus etiam in aliis Goveani censor, quanquam nec sibi ipsi ubique in descriptione horum ludorum ab errore cavens. Sed quae-

atio haec de conciliandis inter se de Megalesiis veterum testimoniis, intricatior est, et maioris operae, quam ut hic commode extricari possit. Illud autem Nostri fide esse iubeo, quod narrat, ante solem, id est, ante solis ortum prope hos ludos celebratos fuisse. nam eius rei praeter illum nemo mihi sponsor adest. Deceptus tamen intelligi potest ex confusione illa Megalensium et Circensium. In Circensib. enim, orto sole, carceres reseratos fuisse, unde aurigae exirent, e Statii verbis,

Vix aurora novos movebat ortus
Iam bellaria adorea pluebat,

neminem in antiquitate Rom. paulo versatiorem fugit.

192. *Idaeum sollemne.* De Ida [1], matre Deum.

1 Lege, *De Idaea.* Munoker. *ad Mythogr. T. I. p.* 268. — Henn. male, *matri.*

193. *Praeda caballor.* Pompa. Quoniam Circensibus illis, quos Praetores edunt, unus est missus, qui ordinarius [1] dicitur: ideo praeda caballorum, quia hordeum pro illo die aurigae tolluntequorum. aut ideo praeda dixit, quoniam multi equi frangebantur [1] iisdem Circensibus.

1 Aunon potius *ordearius?* quod ex sequentibus videtur, et Sat. VIII. *infundit iumentis hordea lassis.* In veteribus etiam glossis *hordearias quadrigas* legimus dictas, quia victori agitatori *hordeum* praemium dabatur. *Hordearios gladiatores* a cibo vocatos Plinius scribit *XVIII, 7.* et Festo *hordearium aes,* quod pro hordeo equiti Romano dabatur. Pith. — Pithoei emendationem plerique laudant, nec sine ratione. Circensium die legitimum numerum missuum fuisse XXIV, e Cassiodoro constat, qui Varior. III, 51. *nec vacat,* inquit, *quod viginti quatuor missibus conditio huius certaminis expeditur, ut diei noctisque horae tali numero clauderentur,* sic enim leg. non *mensib.* ut habent veteres

Edd. recte odoratus iam Fornerius est. Recepit novissimus editor Garetius, e veteri codice, ut ait. Is non alius est, quam cuius lectiones Cuiacius olim ad oram sui libri contulerat, quae ex apographo Nic. Grularti deinde ad Garetium pervenerant. Extat e thesauris Bongarsianis etiamnum in bibliotheca civitatis Bernensis, unde denuo transscripsimus cum ibi degeremus, usuram eius libri iam factam esse ab istis duumviris tum ignari. Nec tamen postquam id rescivimus, impensae operae poenituit. Id enim consecuti eramus, ut iam affirmare possemus Grulartum non semel aut bis confudisse lectiones Cod. Cuiaciani ipsasque Cuiacii coniecturas, Garetium autem ex hisdem, sive emendationibus, sive libri MS. vestigiis, ipsam Cassiodori seriem saepe numero tacite immutasse. Sed haec ἐν παρόδῳ. Redeamus ad missus, quorum legitimum numerum fuisse XXIV, nunc praeter Cassiodorum etiam ex Lydo *de mensib. c.* 4. postquam is a Cl. Schow luci donatus est, luculenter probari potest, vacillante usque eo auctoritate Salmasii ad *Solin. p.* 639. Verba Lydi haec sunt: *τέσσαρσι δὲ καὶ εἴκοσι βραβείοις* (*missus* enim hos Graeci *βραβεῖα* vocant) *τὸν πάντα συντέλουν ἀγῶνα διὰ τὸν ἐν πυραμίδι λόγον*. Accedit Servius ad *Virg. Georg. III,* 18. quo auctore, vel potius Varrone, eo enim teste utitur, non solum hoc discimus, antiquissimis temporibus XXV missus factos, verum etiam missum ultimum *aerarium* appellatum fuisse. Quod si ultimo fervens Circensium studium nomen peperit, nihil prohibet credere caeteris quoque peculiaria nomina indita fuisse; quin id ipsum probat Interpres noster, e caeteris missibus unum proferens, cui *Ordinarii* nomen fuerit, si Codd. scripturae fidimus. Sed eam scripturam merito in dubium vocat Pithoeus, nam et caeteri omnes missus ordinarii, h. é. legitimi fuerunt, ut adeo uni non satis commode tributum videatur, et subiecta nominis ratio, ab hordei praemio petita, verum *hordearii* nomen, satis demonstrat. Quod si est, tum demum plena novaque luce fulget locus hactenus aliter, sed minus commode acceptus, Suetonii, inquam, *de claris Rhetorib. c.* 2. ubi, de

Plotio Gallo agens narrat: *Hunc M. Coelius* . . . *subtracto nomine, hordearium rhetorem appellat, deridens, ut inflatum, ac levem, et sordidum.* Callide *hordearium* vocat et ingeniose, comparatione facta cum agitatoribus, qui in missu hordeario hordeum pro praemio victoriae tulerunt, quos et ideo *inflatos* fuisse, caetera, si genus vitae spectes et conditionem, leves ac sordidos, nemo inficiabitur, cui ex Ulpiano in *l.* 4. *Dig. de his qui notantur infam.* constiterit, eos non procul ab ignominia afuisse. Caeterum de *hordeario aere,* cuius Pithoeus e Festo meminit, nunc quoque expressum locum habemus in Gaii IC. Institutt. nuper repertis, *Lib. IV.* §. 27. 2 Hinc illa Boethii querela *III. de Consol. Praetura magna olim potestas nunc inane nomen et Senatorii census gravis sarcina.* Est de hac re Zosimi locus *II. nov. hist.* Pith. — Ex hac gl. inprimis emendationis suae, *Perda caballorum,* praesidium, sed frustra, petit Salmasius ad *Pollion. Tyr. c.* 18.

196. *eventum vir. q. c. panni.* Id est, Prasini, ex clamore magno [1] colligo victoriam.

1 *magno* apud Henn. excidit.

167. *Nam si defic.* Id est, si vinceretur Prasinus, aut si hoc spectaculum deficeret, ut non essent Circenses, sic tristem urbem videres, ut si esset bello victa.

198. *Veluti Cannar. in pulv.* Locus in Apulia, ubi Romani ab Hannibale sunt victi.

199. *victis Consulibus.* Varronem Terentium dicit, et Paulum, quorum Paulus semet occidit, Varro autem fugit: cui triumphus decretus est [1], quia non penitus desperavit.

spectent iuvenes. Iuvenibus spectacula concede, qui propter certamina sponsiones po-

nunt, et delectat eos iuxta puellas spectare. Quia antiquitus solebant mulieres cum viris omnibus interesse spectaculis indifferenter [2].

1 De triumfo nescio an narret omnino vera. Livius de eadem re, *lib. XXII. Quo in tempore ipso adeo magno animo civitas fuit, ut Consuli ex tanta clade, cuius ipse causa maxima fuisset, redeunti, et obviam itum frequenter ab omnibus ordinibus sit, et actae gratiae, quod de Rep. non desperasset.* Sch. 2 Verba, *Quia antiquitus* caet. ut singularem gl. ponit Henn. sine causa idonea. Vocem autem *indifferenter*, ad verba, *cum viris* referas oportet, non ad *spectacula*. neque enim omnibus spectaculis mulieres indifferenter intererant, attamen Circi et Theatri.

204. *iam nunc in balnea.* Bene hisdem Poeta verbis verecundiam expressit.

205. *sol. hora superstit.* Una integra hora usque ad sextam.

207. *quia s. t. q. taedia vitae.* Ut saepius idem facias. Quicquid fit rariter, magis delectat.

IN SATIRAM XII.

DE REDITU CATULLI.

3. *reginae duc. agnum.* Iunoni, alii Fortunae. et ducimus, ad sacrificium, ducendam ad aram [1].

1 *Ducimus*, versu tertio, quod in membrana nostra reperio, itidem in Pithoeano fuit et a Schol. firmatur, in quo lego, *caedendam ad aram*. Sch. — Habet quoque Hafniensis codex et recte defendit Heinsius in *Adversar. p.* 539 *sq.* Idem Hafniensis, quod in transcursu noto, primo versu *dulcior* habet, et, pro explicatione inter lineas *clarior*, quod glossema deinde, tum in scriptos, tum in excusos libros, ut alia, manavit. *dulcior* quoque invenit Servius ad *Virg. Eclog III*, 76. quod praetermisit monere Rigaltius, unus ille Iuvenalis interpres, qui de industria, etsi interdum remissius, solet enotare ea loca, quorum testimonio Servius utitur. Vellem id consilium secuti essent et perfecissent nepotes, addendo etiam loca, quae itidem ab aliis antiquis aut medii aevi scriptoribus e Iuvenale citantur. Superest enim larga eorum seges, non solum apud Servium, sed et alios, Scholiastam puta Cruquianum et Lucani, et Statii, apud Isidorum, Sarisberiensem, Papiam, Ianuensem, Petr. Blesensem, ne plures commemorem, quin etiam in Gl Graeco-Latinis, e quibus Iuvenali lux et praesidium quaeri possit.

4. *pugn. Gorgone Maura.* Minervae similis agna, et Maura, quoniam in Mauritania iuxta Atlantem a Perseo est occisa Gorgon Medusa [1].

1 Legendum Schol. hoc modo: *Par vellus, similis agna . . . pugnanti Gorg. Minervae . . . Maura, quoniam in Mauritania, iuxta Atlantem, a Perseo est occisa Gorgonum una Medusa.* Sic clara sunt omnia. SCH.

5. *petul. quat. host. funem.* Id est, iuvencus, qui funem, qua [1] ligatus est, rumpit.

1 Sic etiam Sg. Sed Schrev. et Henn. *quo.* Animadvertit tamen Gellius *N. A. XIII,* 20. *funem* etiam feminini generis esse, firmatque exemplo Lucretii. Nonius, qui idem dicit, eodemque testimonio utitur, ut saepe, Gellium exscripsit.

6. *frontemq. coruscat.* Movet sicut telum quod coruscat [1].

1 Legerim, *sicut tel. motum coruscat*, vel saltim, ut in MS. libro, *movet. Sicut telum quod motum choruscat.* nisi tamen τὸ *coruscat* est κορύπτει, *cornu petit,* vel *vexat,* ut mox dicit. SCH.

8. *quem i. p. ub. matris.* Lac sugere [1].

1 Vitiose in prima Schrevelii, *fugere.*

9. *qui vexat.* Ferus indomitus, maturus ad sacrificium, ut Virgilius

> . . . . . *atque irasci in cornua discit*
> *Arboris innixus* [1] *trunco.*

1 Sic Pithoeus. sed vetustus codex Vossianus *obnixus* praefert. HEINS. ad *Virg. Ge. III,* 233 *sq.* — Sic quoque Cod. Sg. neque aliter habent Editt. Virgilii, tum dicto loco, tum ad *Aen. XII,* 104 *sq.* ubi idem versus a Servio repetitur.

10. *simil. affectib. esset.* Voto, voluntati aequales [1].

1 Sg. *similis et aequalis.* recte, sed legendum *simil.*, *id est, aequalis.* illud autem, *id est*, in MSS. una litera *i* exprimitur.

11. *Pinguior Hispulla.* Matrona pinguis fuit.

12. *nec finit. nutrit. in herba.* Non in his partibus, sed de peregrinis.

13. *ostendens Clitumni. p. s.* Fluvius qui Trevis, civitatem Flaminiae interfluit [1].

1 Legendum, *Trevam.* Est enim ea ipsa, de qua Frontinus *de Aquaeduct. Nam cum oriatur Anio supra Trebam Augustam* caet. Plinius *III*, 12. *At ex alia parte Anio in monte Trebanorum ortus, lacus tris . . . defert in Tiberim.* Rutgers. *l. c. IV*, 4. — Lege, *qui Trebiae civitatem interfluit. Fl. Mevaniae. Fl.* in libris scriptis sigla est, qua notatur *fluvius.* Rem ipsam dixi. eam facile e Geographis priscis novisque confirmaveris. Nobis enim minutias ad unguem resecare, in hoc quidem scribendi genere, nunc non vacabit. Sch. — *Treba* s. *Treva*, quam Rutgersius vult, huc non pertinet, ut et vidit Wesselingius ad *Vet. Itiner. Rom. p.* 623. ea enim in Aequicolis est, et ad amnem Anionem. Hic autem de urbe sermo, quae ad Clitumnum sita, i. e. in Umbria cis Appenninum. Ibi consimilis nominis urbs est *Trebia*, quae et *Trevis* sc. e Treviis, effertur in Itinerario Hierosolymitano et in lapidibus apud Fabrettum ac Gorium in Donianis, prout iam, ni fallor, Wesseling. monuit. Sed maior difficultas circa civitatem *Flaminiae* ap. Schol. quam omnem siluit Rutgersius et caeteri praeter Schurzfleischium, qui satis truculenter substituit *Mevanium*, etsi verum sit eam quoque civitatem ad Clitumnum collocatam fuisse. Quodsi res mei arbitrii foret, vix dubitarem sic scripsisse Interpretem, *Clitumnus, fluvius, qui Trevis et civitatem Flaminiam interfluit* (vel, *praeterfluit*).

Vocat *Flaminiam*, quae ab aliis *Forum Flaminii* appellatur, a Ptolemaeo Φόρος Φλαμίνιος, et in Itin. Hierosol. *Civitas Foroflamini.* Ea non longe a Trevis, in cuius civitatis vicinia etiam *Hispellum.* Unde mihi quoque aliquando in mentem venit, pro *Hispulla* legere, *Hispello.* Reieci tamen, non quod postea vidi, eam coniecturam iam occupatam fuisse a Donnola, docto Italo, cuius aliquot scripta edidit Schurzfleischius, sed quod memineram *Hispullam* etiam *Sat. VI.* Poetae ridendi materiam praebuisse.

14. *et a gr. c. f. ministro.* Sacerdoti, aut qui sacrificia occidunt ministri [1].

1 In Cod. MS. scholium est, - *ministro, summo Pontifice, aut victimario, qui victimas caedit ad aram.* Videtur etiam *magistro* fuisse lectum. In edito Schol. sic lege, *magistro, sacerdote aut ministro, quia sacrificia occidunt ministri.* Sch. — Henn. *sacerdote* edidit, et *ministris.* Mallem, *sacerdote, aut qui sacrif. occidit, ministro,* ut utramque lectionem, *magistro* et *ministro* indigitaverit.

16. *Nuper et.* Catulli, qui prope naufragio perierat.

17. *fulminis ictus.* Tempestates.

19. *subit. antemnas imp. ignis.* Fulmen impulit antemnas cum velis [1].

1 Culpant plerique Vet. Int. quod *ignem* interpretatus est fulmen, evasisse enim Catullum *fulguris ictum.* quare de igne Helenae ignem istum accipi debere contendunt. Quae interpretatio doctior, quam vera videtur. Nam si evasit ignem Catullus, adesse debuit ignis; quid, quod correptum iam fuisse navem igne, satis manifesto ostendunt, quae sequuntur, *vela ardentia.* Accedit, hac ratione vix explicari posse, qua caussa antemnae, igne Helenae *impulsae,* possint dici a Poeta, cum contra, qui curiose inspexerit incendia, illud quoque obser-

vaverit necesse sit, coepto semel igne venti quoque turbinem plerumque exoriri, idque vel sereno alioquin coelo.

23. *si quando poet. surg.* Id est, tales tempestates contingunt navigantibus, quales fingere solent poetae, magnae [1].

1 In Iuvenale legendum, *quam quando poet. surgit.* Non aliter Int. legisse, clara eius verba docent, in quibus vox *magnae,* quae ultima est, rescindenda, et legendum, *poetica,* id est, *magna.* Sch. — Non persuasit Ruperto, credo nec aliis.

25. *caetera sortis Eiusd.* Id est, naufragii.

27. *Et quam votiva.* Quam naufragio liberati ponunt. Antiquitus enim solebant, qui naufragio liberati essent, pro voto pingere [1] tabellas, et in templo Isidis ponere.

1 *pingere* cape, pingendam curare tabulam, eaque se voto liberare. Sch.

28. *pictores quis n. ab Is. p.* Quod in templis figendas tabellas ponunt [1].

1 Henn. *pingunt.*

30. *Cum plenus.* * Plena navis ex unda. *

31. *alternum puppis.* Latus dabat navis, et arbore coacta [1].

1 Scribe, *puppis latus*, *latus clavatum navis, arbore fracta.* vel retine *coacta,* et intellige, vi inflexa, vel etiam scribe *confracta.* Scriptum olim *elabatum,* inde illud *dabat* librariorum. Gregorius M. *libr. III, Dial. c.* 36. *Ex navi, clavis perditis, arbor abscissa est.* Arbor et hic et in Iuvenale, malum notat. Sch. — Hoc verum, caetera non unius assis videntur. Navis *clavata* non est, quae clavos perdidit, sed quae probe fixos cla-

vos habet, quo mage secura est a periculo. Schrev. *labat* pro *dabat* exhibuit, Henn. autem asteriscum, ante *Latus.* Ipse Schol. scripsisse videtur, *Latus lababat,* vel. *nutabat, et arbor coacta* (vel. *fracta*) scil. *erat.* Veruntamen hac interpretatione parum iuvatur Iuvenalis, cuius verba, prout nunc habent, in mendo cubare, nemo intelligens negabit. Eam, missis coniecturis aliorum, etiam vehementer probabili illa Ill. Iacobsi, *Aequoris incerti*, propius ad vestigia MSS. codd. ita fortassis constituenda sunt,

Cum plenus fluctu medius foret alveus, et iam
Alternum puppis latus evertentibus undis,
Arboris incerto: nullam prudentia cani
Rectoris cum ferret opem, caet.

hoc sensu, et iam alternum latus plenum fluctu foret, evertentibus id undis ob vacillationem et incertitudinem arboris s. mali, *durch das Schlenkern des Mastes.* *Incerto* ex MSS. est, et substantive capiendum, ut iam Mancinellus vidit, neque id alienum esse ab optimis scriptoribus, viri docti dudum ostenderunt. Vid. Drakenb. ad *Liv. XXIX,* 51. Addo e ICtos meis, Papinianum *l.* 48. *Dig. de Fideiuss. propter incertum aetatis ac restitutionis.* Imp. Theodosium *Nov.* 39. *incertum navigationis,* plane ut Tacitus *Ann. III,* 54. *vita per incerta maris et tempestatum quotidie volvitur.* Graeci quoque ita τὸ ἄδηλον et alia usurpant. Cf. Curtium *Coniectur. I,* 47. *Cum ferret,* pro *conferret* etiam MSS. libri habent apud Rupertum, quibus adde Cod. Hafniensem et Vossianum optimum, cuius lectiones habeo ex annotatione Fabricii.

33. *Rectoris.* Gubernatoris.

decidere iactu. De periculo et de vita coepit pacisci cum ventis, et iacturam mercium facere [1].

1 Verba, *et iacturam mercium facere*, absunt a Cod. Sang. Sane propius faciunt ad explicandum versum 37.

34. *imitatus castora.* Castorem, bebrum [1] dicit, qui cum viderit se obsideri, et non posse evadere, testiculos suos morsu avulsos proiicit. Intelligit enim ob hanc rem se capi: quia ad medicamina valde sunt necessarii.

1 Restituo, *fibrum.* MUNCK. ad *Mythogr. T. I. p.* 119. — Non opus. *Fiber, biber, beber, veber,* idem verbum, e diversa pronunciatione, diversae scriptionis esse supra monitum ad *Sat. II,* 106. De *fibrino* et *vebrino* in Glossis Isidori, et *bebrino* apud nostrum *l. c.* idem valet. Ex eo autem quod quarto casu *bebrum* dixit, non est cur Forcellinus ipsi imputet primum casum *bebrus,* non *beber* formasse. De eo animali h. l. hoc extat in Cod. Hafn. scholium: *Animal est ponticum, quod se ipsum castrat, cum se a venatoribus propter testiculos sentit insequi, quibus amputatis, periculum evadit.* Retulerunt eandem fabulam alii multi, omnes, ni fallor, Plinii in ea re alumni.

37. *Fundite quae mea sunt.* Proiicite in mare res meas.

39. *Maecenatib. aptam.* * Id est, nobilibus aptum. *

42. *et Baeticus adi. aer.* Id est, Spanas Veticas [1].

1 Scribo ex usu saeculi, *Spaniae Baetica.* PITH. — Malo, *Baeticus, id est, Spanus.* RUTG. *l. c. IV,* 4. — Henn. *Spanas Baeticas* excudere contentus fuit.

44. *Parthenio fact.* Celatoris nomen.

urnae crat. capacem. Grandem, scilicet qui urnam posset capere.

45. *Et d. s. Pholo v. c. Fusci.* Uno de Centauris: vel uxore Fusci, quae ebriosa fuit.

46. *Adde et bascaudas* [1]. Vasa ubi calices lavabantur, et cacabus [2].

1 Vet. ex. habuit, *mascaudas*. Pith. — *Bascaudas* rectius legitur, cum ita etiam vocet Martialis. Papias, *Bascaudae, conchae aereae, genera vasorum.* Glossae, *Macusta, βαύκη.* Emendat Salmasius ad *Poll. Claud.* c. 14. *Mascauda*, quia Pith. notarat in suo MS. legi ita. Sed librariis facile est, *u, b, m, n,* scriptura Longobardica commutare, adeo, ut difficile sit etiam eius satis peritis eas litteras a se discernere in illa. Adde Dufresnium *h. v.* Sch. — In Sg. quoque, *mascaudas* legitur. Papias Vocabulista meus, ex edit. quae Venet. per Andr. de Bonetis 1485 prodiit, non *bascauda* sed *bascanda* exhibet, quod et quidam Codd. Iuven. habent, et in suo libro invenit Mancinellus. Multus in hac voce est Martinius in *Lex. philol.* e quo sua quoque, ut solet saepe, deprompsit Vossius in *Etymol. h. v.* 2 Pro *et cacabus* ex Glossarii loco possis etiam legere *baucalius*, de quo Dufresn. vide. Sch. — Bella et si Diis placet perfecta haec argumentatio: quia *cacabus* vel *caccabus*, etiam antiquis usitata vox, vasis nomen est, ei *baucalium* substituere licet, quod, etsi barbarum, tamen itidem vasis vocabulum est. Pari ratione ex asino elephantum, e passere aquilam aut struthiocamelum efficias. Qualia cum lego, non Schurzfleischium, id est, barbatum superioris aetatis et sobrium interpretem me legere existimo, sed nostrae imberbes iuvenculos, quibus in constituendis Rerumpublicarum formulis ingenium in promtu et de gravissimis rebus blaterandi exquisita facundia est.

47. *pallidus emtor Olynthi.* Philippus, pater Alexandri magni, cui Olynthum Macedoniae civitatem Lasthenes et Eutycrates [1] prodiderunt:

qui cum a Philippo proditores se nuncupari saepe audissent, vitam laqueo finierunt.

1 Lege, *Euthycrates.* Sch.

48. *quis audet.* * Qui alter audet. In qua regione mundi invenitur, qui salutem pecuniae praeferat. *

51. *Sed vitio caeci.* Id est, Multi sunt, qui ob hanc causam patrimonia colligunt, tantum ut habeant, non ut tamen utantur, sed avaritiae satisfaciant [1].

1 Malim legere, *ut hab. et avarit. satisfac. tantum, non ut utantur.* Sch. — Quid opus? *non ut tamen,* more suo dixit, pro, *non tamen ut.*

53. *tunc adversis.* Absolute, quod adversa sint naufragantium fata.

54. *Recidit ut m. f.* Res pervenit ad hoc, ut arborem succideret, et per hoc breviorem faceret.

55. *ac se Explicat.* Sensus hic est, ultima praesidia angustum discrimen habent, post eiectionem rerum omnium, ut facias navem minorem. Fit autem minor navis, sublata arbore, id est, levis [1].

1 Imo, *id est, minor,* nam malus pars est altissima navis. Valesius *ap. Achaintr.* — Lege, *fit autem minor, id est, levis, navis subl. arbore.* Sch. — Imo, illa, *id est levis,* verba sunt alterius Int. priorem explicantis. Alia quaestio est, an Schol. ceperit difficillimum Poetae locum, in quo etiam novissimus Interpres haeret eumque, si quid video, magis impedivit, quam expedivit, infelicissima Mar-

shalli distinctione adoptata. Mihi, ut quod sentio dicam, omnium adhuc proxime rem tetigisse videtur, qui legit et distinxit, *hoc se explicat angustum discriminis: ultima quando*, caet. felicissimus ille nostrae aetatis criticus; nec video, cur non sit bene latinum, *angustum discriminis*, cum *angustis viarum*, in Virgilio, nemo litem moverit, nec similibus, quorum haud parvus acervus est.

57. *I nunc.* Castigatio ab exemplorum eventu.

58. *digitis a morte.* Cum inter te et mortem quatuor sit digitorum distantia.

59. *si sit latiss. taeda.* Id est, navis de pinu, pro qualibet posuit materia, ut, (*Virg. Aen. IX*, 85.)

Pinea silva mihi . . . .

60. *Mox c. retic. et pane.* Quod nautae sibi scilicet adsumptum viaticum ponunt [1].

1 Lege, *quod nautae adsumunt, ut ibi scilicet viaticum ponant.* Sch. — Nisi fuerit, minore motu, *Quo n. sibi caet.*

61. *Aspice sumendas.* Inter sitarchiam [1] et securem necessariam putato ad navem vehendam.

1 Deleatur mendi nota (*quam ibi posueram*). Pith. — *τὸ et* pro *etiam* debere poni putat Iac. Tollius. *Sitarchiam* vero annonam esse docet Hieron. *Epp. III. de vita Malchi p.* 419. Almelov. — Σιταρχία quid sit, doceat Pollux, et nonnemo Graecorum scriptorum περὶ ἀκίστων a Galeo etiam editus, cap. ultimo. Sch. — *Sitarchia, Sitarcia, Sistartia, Cistartia, Cistarchia,* unius eiusdemque rei sunt vocabula, diversae tantum orthographiae, prout quisque aut securus originis pronunciavit, aut doctior ab alio fonte derivavit, seu a σῖτος et ἀρκέω, seu a κίστη et ἄρτος, quod magis placet, ideoque et scriptura *cistartia*, prorsus enim absonus est Isidor. *Or. XX*, 9.

qui a *suendo* deducit. Respondet vis vocis. *Cistartia* enim saccum, vel potius cistam, denotat, in qua conduntur itineris causa, nautici inprimis, varii generis cibi potusque, respondetque vulgari nostro, *Fresskober* et *Schnapsack*, vel potius *Knapsack*, Danorumque *Madkorf*, a voce *Mad*, cibus. Ea significatio omnibus locis scriptorum convenit, quos allatos legi. Unus Hieronymi affertur, in quo cibum ipsum notare videtur. *Camelis*, inquit in vita Malchi extr., *ascensis et nova sitarcia, id est, annona, refocillati . . . ad Romana castra venimus.* Sed si verba, *id est, annona*, cum Gesnero, pro adiecta glossula inepti monachi habeas, ut innumerae tales in Ecclesiae Patribus, propter eorum adsiduam lectionem, obviae sunt, non aliam inde quam sportellae vim elicias. Nec aliam mihi deprendere videor apud Apuleium *Metam. II.* festivissimo, sed et spurcissimo loco, *hac sitarchia navigium Veneris indiget sola;* in quo, *sitarchiam*, annonam et cibum potumque exponunt tum Intt. ibi, tum ad unum omnes qui de hoc vocabulo prolixius egerunt, Martinius, Vossius, Cangius, Gesnerus, Forcellinus, contra fidem antiquam Isidori, Glossarum, Hugucionis, Papiae et Io. de Ianua, qui solum illam priorem significationem agnoscunt.

62. *Sed postq. iac. pl. mare.* Tranquillum factum est *mare,* et fatum vectoris superavit ventum et mare.

64. *Parcae mel. benignae.* Fata mitiora.

65. *et staminis albi.* Non mortem minitantia.

67. *Ventus adest.* Ventus prosperus [1].

1 *Prosperus ἀντὶ τοῦ prosper*, ex Afrismo usurpat. Usus et Tertullianus, et in Glossis legitur. Sch. — Si Afrismus, ea forma non usi fuissent Cicero, Valer. Maximus, aut Silius, ad quem, *X*, 102, sis vide Heinsium et Drakenb. et ad Valerium Vorstium. Nolim tamen meum facere, quod Forcellinus probat, usitatius adeo esse *prosperus*, quam *prosper*,

cum ei rei adversetur vel auctoritas **Prisciani** *lib. VI.* ap. *Putschium p.* 693.

68. *Vestib. extentis.* Funibus, aut, **vestibus**, velis accipe, aut quod dicunt artemonem [1].

1 *Actor. XXVII,* 40. Pith. — Schrev. *aut* eiecit male. est enim triplex glossa, aut potius glossae glossa.

69. *Velo prora suo.* Id est, artemone solo velificaverunt.

71. *Atque noverc. sedes.* Albam Longam significat, quam condidit Iulius Ascanius, concessa novercae sui nominis civitate, id est, Lavinio.

72. *cui cand. nomen Scrofa.* Montes Albanenses [1].

1 Verba haec ad vs. 72. pertinent, *sublimemque apicem* explicant. Sch.

73. *miserabile sumen.* Aut, **mirabile**, quia triginta fetus habuit: aut, **miserabile**, quod miseratum sit Phrygibus.

74. *Et nunquam visis.* Nunquam inventa cum triginta mamillis.

75. *incl. per aequ. moles.* Portum Augusti dicit, sive Traiani,

76. *porrect. brachia rursum.* Quia Traianus portum Augusti restauravit in melius, et interius tutiorem, sui nominis fecit [1].

1 Legerim, *et inferius tutiorem* (intellige *portum*) *sui nominis fecit,* Sch. — Ab Augusto portum hunc inchoatum esse nemo, quod sciam, prodidit. Exstruxit eum Claudius et perfecit Nero, si numis

eius fides habenda. Traianum vero addidisse interiorem, Cellarius *Geogr. Ant. II*, 9. inde colligit, quod, quem geminum iniecta mole fecerit Claudius, postea tergeminus s. triplex fuerit. Ruperti.

77. *Quae pelago currunt.* Intrant mare et admittunt terram solidam [1].

1 Legendum est, *amittunt*, explicatur enim illud *longeque relinquunt.* Sch. — Quod sine controversia verum. Error inde, quia in MSS. multoties pro *admittere* e molliori pronunciatione *ammittere* scribitur, duplici *m*, aut expressa, aut temone notata. Inde multiplex sequentium librariorum error, hinc *amittere* scribentium, pro *admittere* seu *ammittere*, inde rursus *admittere* s. *ammittere*, loco *amittere*. Nec librariorum tantum, sed et typographorum et editorum ista culpa est. Exemplum dabo, ne quid calumniose dictum existimes. In *L.* 1. *§.* 2. *Dig. de Effractorib.* in Florentino Cod. scriptum est, *prout a m m i s s u m suggerit*, itaque Taurellus, etsi e more suo, *a d m i s s u m* debuisset exprimere, ut habent vulgati Codd. et Editt. antiquae, et sensus postulat. Quod cum non fecisset Taurellus, induxit editorem Goettingensem, vel parum cautum correctorem, factumque est, ut *amissum*, nulla sententia excuderetur. Pari ratione peccatum in *L. ult. §. 2. Cod. Iust. de Codic.* et *L. ult. Cod. Th. de Testam.* ubi cum legitur, *Non enim par eademque ratio videtur a m i t t e r e debita et lucra non capere*, procul dubio scribendum est *ammittere* s. *admittere*, quemadmodum in Theodosiano iam Sichardus dedit et Thius, in Iustiniano autem diserte extat in MS. Regiae bibliothecae Hafniensi elegantissimo, qui omne Corpus iuris, raro exemplo, complectitur, et in antiquis edd. veluti illa de Tortis 1495.

78. *non sic ig. mirab.* Id est, non sunt ita mirandi portus naturales, quam qui manu fiant.

79. *trunca puppe.* Truncata nave.

82. *Garrula securi.* Quia libenter frequentius narrant tempestatem perpessi [1], postquam devenerunt in portus securi.

1 Lege, *perpessos se.* Plane haec mens fuit Interpretis. Sch. — Imo, narrant tempestatem, qui eam perpessi sunt. Fortasse autem initio scripsit, *libenter et frequentius.* In ipso Poeta, distinctione mutata, ex ipsis MSS. legendum: *Tuti stagna sinus, gaudent ubi* caet.

84. *Sertaq. delubris.* Coronas immolatis hostiis.

85. *Ac molles ornate focos.* Molles focos Deorum dicit, qui de ture facti sunt [1].

1 In vet. Cod. sunt haec recentioris scripturae. Pith. — Plenius in veteri libro legitur, *Dicit molles, quod ibi tura crementur, quae Arabes molles mittunt. vel certe ait, ex molli et recenti terra extruite herbidam aram.* Herbidam pro herbosa dixit, ut medium aevum etiam *herbidare* usurpavit. Sch. — A Sg. omnis gl. hic exulat.

86. *et sacro q. rest. r. perato.* Sacrificio completo.

88. *Accip. fr. s. n. cera.* Incerato [1] signa Deorum.

1 Lego, *Incerta.* Vulgo quidem *simulacra nitentia cera,* ita explicant, quasi larium simulacra e cera fabricata fuerint. Sed neque illi exemplum afferunt, neque ego id usquam legisse memini. Ruto. *l. c. V,* 5. — Lege, *incerata.* Henn. — Hoc praestat, ut Enarrator encausticam picturam cogitaverit, idque unice vere, indice etiam Gronovio ad *Statium T. I. p.* 348. *edit. Lips.* De qua eadem etiam idem interpretandus est Iuvenalis *Sat. IX,* 146. verbis, *Qui multas facies pingat cito.* Quo in loco

libet ἐν κυρίῳ proponere, annon potius scripserit, *mutas facies?* Quid enim paupertino homini cum multis simulacris?

90. *atq. omneis v. i. colores.* Violae, nam multorum sunt colorum, purpureae, albae, aureae [1].

1 Recte. neque enim antiquis Violae iidem flores, qui nobis nunc hoc nomine veniunt.

91. *longos er. ian. ramos.* Coronatae ianuae lauro.

92. *operantur festa luc.* Sacrificant [1], ut Virgilius, (*Ge. I,* 339.)

. . . . *laetis operatus in herbis.*

1 *Operantur* in suo habuisse Int. et praemissa in Cod. Sg. Poetae verba docent, et explicandi verbum, *sacrificant.* In Hfn. *operatur,* ut in multis legitur, atque ita etiam profert Servius ad *Aen. III,* 136. In loco Virgilii male Sg. et Schrev. altera, *operatur.*

94. *tot pono altaria.* Sacrificia. id est, Ne me putes hac humanitate haereditatem adpetere. Tres habet filios [1].

1 Sic lege, *nec suspecta, id est, ne me p. hac hum. her. adpetere;* (codex meus *heredipetare* habet nove) *tres hab. filios. Altaria, sacrificia.* Scn.

95. *libet exspectare.* Mirum nam est, ut amico filios habenti aliquis amicorum tam impensius obsequatur [1], cum haec pro haereditate captanda fieri soleant.

1 Scribe, *mirum est nam, ut am. fil. hab. al. am. iam impensius.* Pith. — Legendum, *tam impensus,* id est, ut amicus amicum tam propenso animo

colat. Nota sunt ὀψίκια, *obsequia* in aulis posterioris aevi. Sch. — *Impensus* aperte habet Cod. Sg.

97. *Coturnix Nulla.* Ironiam ad sterilitatem retulit. occiditur pro patre febricitante, non, ut dicam, pro amico paupere [1].

1 Foede corruptum est, nec, si ita scripserit vetus enarrator, quid scripserit ullo modo novit. Legendum est, *Tam sterili, Ironia. ad sterilitatem retulit.* — *Coturnix Nulla, Non id dicam:* (videlicet, *gallinam impendat amico*) *coturnix nulla occiditur pro patre febric. et pro am. paupere.* Non sunt unius auctoris haec scholia, ut saepe dictum. Rectius alter enarrator *sterili* εἰρωνικῶς cepit, hic exposuit *pauperem.* Sch. — Recte, *ironia,* quam tamen magis est, Int. in eo invenisse, quod *sterilis* et *patris* vocabula videret composita. Deinde retrahenda videtur negativa, et legendum, *Non occid.* caet.

98. *sentire calorem.* Aegrotare.

100. *Legitime fixis.* Id est, devotis precibus impletur.

101. *exist. q. pr. Hecatombem.* Hecatombem promittunt, ut moriantur illi, a quibus se heredes scribi possunt. Alii [1] vero comperto hoc, quod pro ipsis vota faciunt, heredes eos scribunt.

1 L. *ut ne mor.* — *Illi vero* caet. Sch. — L. *poscunt* pro *possunt.*

102. *nec venal. elephanti.* Quos immolat [1].

1 Malim, *immolent.* Poeta enim dixerat, *existunt,* πληθυντικῶς. Sch.

103. *sub n. sidera.* * In urbe Roma non invenitur. *

104. *sed furva gente.* Nigra, de India.

105. *Arborib. Rutulis.* Apud Lavinium, id est, in Hetruria.

106. *nulli serv. paratum.* Nisi regi.

107. *si quid Tyrio.* Et ipse dicit, (*Sat. X,* 153.)

Cum Gaetula ducem portaret bellua luscum.

108. *regiq. Molosso.* Pyrrho Epirotarum regi, qui pro Tarentinis adversum Romanos bis pugnavit, et victus bis exutus est castris. Ex cuius nomine est Pyrrhica. Et ipse Elephantis vectus est per triumphum [1].

1 Exciderunt aliqua, suum in locum e MS. libro retrahenda. Sic legas, *et victus bis exutus est castris, elefantis primum pugnabat, Ro. et ipse elefantis victus est per triumfum.* Aliud σχολύδριον est, *Pyrrho, ex cuius nomine Pyrrhica.* Pugnasse cum Romanis Pyrrhum primum per elephantos, auctor est Plinius. Hieronymus in Chron. refert bis Pyrrhum cum Dentato Cos. proelium in agro Piceno conseruisse. Alii semel malunt. Verba *per triumfum* abesse malim, et eorum loco forte *primum* substituere. Neque enim verum, Pyrrhum triumpho Romam deductum. Addita ex eo omiserunt interpretes, quod statim post eadem fere verba sequebantur. Sch. — Error est, quaqua respicias, et ne hoc quidem verum, Pyrrhum *primum* elephantis vectum. Si historiae consultum cupis, ita potius scriptum fuerit: *adversum Rom. ter pugnavit, et victus bis, exutus est castris,* (scil. post tertiam pugnam) *at ipsi elephanti vecti sunt per triumphum.*

109. *ac dorso ferre cohortes.* Elephantis nam pugnabant.

111. *Nulla ig. m. p. Novium.* Id est, nulla mora erit heredipetis, si etiam hoc genus [1] emere liceat et immolare, quin et ipsud [2] faciat.

1 Lege, *si beluam hoc genus.* Supra Poeta dixerat, *haut usquam sub nostro sidere talis Belua concipitur.* Sch. — Sed quae inde corrigendi necessitas? 2 Lege *istud*, vel *ipsum.* Forte quoque temporibus ultimis Imp. Rom. dictum fuit *ipse, ipsa, ipsud* ut *ille, illa, illud.* Achaintr. — Antiquo tempori id supra vindicatum est, et praestabat dicere, in exitu legendum esse *faciant*, ut et Henn. clam correxit. Apud eundem sequens schol. incuria excidit.

113. *et cadat ante lares.* Ante aras Deorum penatium.

115. *Alter enim si conc.* Id est etiam aliquanti [1] de his, si liceret, de servis sacrificium facerent.

1 *Aliquanti* erunt, nonnulli, aliqui, aut legendum *aliqui* est, vel, *aliquando sunt qui*, vel simpliciter, *aliquando.* Sch. — Prius verum et non infrequens horrida aetate. Sic supra *Sat. VI*, 184. in schol. hactenus inedito, *aliquanta vitia mulierum minima sunt.* Fulgentius *Exp. serm. ant. Vervina, iaculi genus longum, quod aliquanti verutum appellant*, et saepe ita Codex Theodosianus. Vide Iac. Gothofr. *Glossar. Nomic.* et adde Barth. *Advers. XXV*, 12. ac Muncker. ad *Fulg. Mythol. II*, 9. ubi larga exemplorum seges. Pro *de his*, scripserunt *Deis*, Schrev. et Henn. Frustra. *de his*, est, *ex his.*

118. *et si qua est nub. illi.* Etiam filiam virginem devovet ad sacrificium, quamvis sciat non eam posse eripi a Diana, ut Ifigeniam.

124. *Post meritum sane.* Post Ifigeniam immolatam non verbo facit heredem, sed vero [1].

1 Pro, *vere*, nisi ita scripserit. est tamen aliquoties apud Plautum, de quo cons. Pareum.

126. *victis rivalib.* Aemulis hereditatem captantibus.

127. *iugulata Mycenis.* Filia Agamemnonis, veluti filia platoris [1]. Ifigenia, Ironia.

1 Repone, *captatoris.* PITH. — Inverso ordine sic lege, *Ironia. Iphigenia, fil. Agam. veluti fil. captatoris esset.* Ultimam voculam e MS. addidi, SCH. — Tolle punctum ante *Ifigenia.* Vox *captatoris*, capite trunca in Pithoei Cod. et ideo ab eo stella ornata, integra extat in Sangallensi, et restituta ab Henninio. male enim Schrev. supplevit, *imperatoris.*

128. *vel Nestora totum.* Tribus seculis.

129. *quantum rapuit Nero.* Proscribendo.

130. *montib. aurum Exaequet.* Id est, in patrimonio habendo.

LIBER V.

IN SATIRAM XIII.

1. *Exemplo.* Ita male virtutem esse ait [1], ut displiceat crimen ipsi, qui male commisit.

1 Male editum. Id vult, tantam naturae ad virtutem proclivis vim esse, ut nunquam ita possis eam obruere, quin se vindicet, scelusque commissum damnet. Igitur legendum est, *Ita male virtuti insitae esse ait.* Possis etiam, *virtuti in se esse,* legere, sed minus elegantiae inerit. Sch. — Haec longius petita. lenius videtur: *Ita malle virtutem eos ait.* *Eos,* id est auctores, vel quos in Satirae argumento commemoravit, quod intercidit. In sequentibus brevior Sg. *ut displiceat, quod male committitur.*

2. *quod se Iud. n. n. abs.* * Id est, haec est magna poena, quod si qui peccaverit, suo iudicio damnetur. *

4. *vicerit urna.* Nihil prodest corrupisse iudicem, vel subposuisse pro sorte [1].

1 *Subposuisse pro sorte iudicem,* notat ad suas partes deflexisse in ducenda ex urna sorte. Glossae MS. apud Dufresn. *Subpositio; propiciatio.* Sch.

6. *sed nec Tam tenuis.* Id est, Aequo animo hoc ferre debes, quia nec tantum [1] pauper es, ut

te damni, quod contigit, affligat pondus, nec tibi soli hoc contigit, sed iam apud homines vetus est haec caussa.

1 *Tantum pauper*, est, tam pauper, in tantum, usque adeo. vel legendum, *tam tute pauper*. Sch. — Ita solet inclinans barbaries etiam non sequente *quantum*. Symmachus *Or. pro patre*, c. 7. a Maio V. Cl. edita, *Gratulamur tibi, iubenis Auguste, quod paterni successor factus imperii, tantum malos iudices, quasi hereditatis onera, repudiasti.* Imp. Leo Thrax, *L.* 31. *C. de Episc. at Cler.*, ita de episcoporum virtutibus, *tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quaeratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat.* Paulo minus barbarum *in tantum*, pauloque antiquius. Gaius *Instit. I*, 59: *in tantum, ut etiam dissoluta adoptione idem iuris maneat.*

11. *Ponamus nim. gem.* Pone quod debeas tristari, sed ita ut oportet, secundum damnum [1].

1 E Cod. MS. lege, *sed ita dole, ut virum oportet, secundum damnum.* Videtur Schol. legisse, *Ponamus gemitus, nimis est*, quamquam suo modo vulgatam lectionem etiam ita enarrare potuit. Sch.

14. *spumantib. ardens.* Flagrantibus, iratis. * Tu nunc minima damna vix toleras, cum virorum sit forti animo etiam magna perferre. *

16. *stupet haec.* Interrogative ipse [1] increpat, haec seni nova videri non debent.

5 Henn. *ipsum.* Sg. *ipsi*, quod, ob aetatem auctoris, non protinus damnandum est.

18. *An nihil in mel.* Tanti temporis usus tibi non proficit [r].

1 Interpres legisse videtur, *proficis usu*. Valesius. — Scholia legunt, ut editum est, *proficit usus*. Sch.

21. *Hos quoque felices.* Pro **sapientes**, posuit.

22. *Nec iactare iugum.* Translative. qui non reluctantur contra necessitatem.

1 *Translative* est, quod nos dicimus Graeco verbo, *μεταφορικῶς*. Donatus, *translata*. Sch.

23. *Quae tam festa dies.* Quid tam sacrum celebratur, ut non quotidie delinquant inficiantes homines [1].

1 Lege, *Quid t. s. cel. festum, ut non del. inf. homines: id est, quotidie.* Sch.

25. *gladio vel pyxide.* Veneno vel gladio.

26. *tot quot Thebar. portae.* Septem portas habent Thebae, et septem ostia Nilus, et septem sunt Sapientes.

30. *et a nullo p. n. metallo.* Quemadmodum priora tempora habuerunt nomina, id est [1], aurea, argentea et caetera.

1 Pro *id est*, legendum *aetas*. Sch.

31. *Nos hom. Divumq. fidem.* Cum scelerata secula, nos hunc errorem patimur, ut hominum ac Deorum fidem imploremus.

32. *Quanto Faesidium.* Ut ostendat Faesidium conductos tunc habuisse, qui eum agentem caussas magna voce laudarent.

33. *dic senior bulla dign.* Inrisive, quasi iterum puer. hoc ex proverbio Graeco, *παῖδες δὶς γέροντες* [1]. Caeterum **bullae** qui usus, aut a quo inventus [2] fuerit, supra dictum est.

1 In vet. ex. *παῖδες οἱ γέροντες*. Pith. — In Sg. Cod. ita exaratum: ΠaeCOI ΓePONTeC, partim latinis, partim graecis litteris et his quidem maiusculis, quod et in MSS. Pandectarum passim in verbis graecis insertis me observare memini. Igitur Sangallensis librarius *παῖς οἱ γέροντες* in suo cod. habuit.
2 Rectius legatur, *inventa fuerit*. Sch. — *inventus usus* est, introductus. De *bulla* autem egit Schol. ad *Sat. V*, 164. nec tamen dixit, a quo inceperit.

34. *nescis Quem tua.* Id est, ignoras quas voluptates populo praestas, cum perfidiam minaris [1].

1 Legendum est, *miraris*. Rutg. *l. c. VI*, 18. — Divisim legendum, *Nescis q. h. veneres, id est, ignoras, quas voluptates praestat. Vulgo, populo. Cum exigis, cum perfidiae poenam minaris.* Ita in scripto libro haec leguntur. Sch. — Rutgersii *miraris*, in secundam Schrevelii irrepsit. Sed *minaris* pertinet ad verbum *exigis*, quod de actione apud Praetorem instituenda videtur accepisse Interpres.

37. *araeque rubenti.* Sanguinolentae [1], vel, ex igni.

1 Cod. Sg. *sanguinolenti*, quasi primo casu haberet *sanguinolens*, non *sanguinolentus*.

38. *priusquam Sumeret agr.* Id est, temporibus, quibus Saturnus regnum tenuit, fidem homines exhibebant.

42. *Nulla super nubes.* Inrisiones, per immutationes formarum [1].

1 Hoc cape de ironiis, quae se invicem sequuntur, et innuunt immutationes omnium rerum, cum etiam turba Deorum alia olim fuerit, quam hodie. Vel

legendum, *Coelicolarum, irrisio. Dei per immutationes formarum.* Sch. — Sensus, inrisiones *per*, id est, *propter* notiones de Deorum statu et conditione mutata.

43. *Nec puer Iliacus.* Ganymedes. *Herculis uxor.* Hebem [1] dicit.

1. Henn. *Heben.*

44. *etiam sicc. nect. tergens.* Ut bene placeat etiam exsiccato feculento, aut liquefacto [1].

1 *Exsiccatum feculentum* sint feces sicciores et liquor. Sed si verum fateri debeo, Schol. mihi videtur legisse *saccato;* Glossae, *sacco, exprimo, decolo.* In utribus habebant olim vina. Decolatis igitur exinde fecibus, brachia, tanquam oleo, unxisse Vulcanum ait Poeta. Sic lege *exsaccato* et postea *liquore coacto*, id est, coagulato. Sch. — Placeant haec, cui volent. *Siccato* explicat *exsiccato*, usitatiore vocabulo. *Nectar* interpretatur *feculentum*, quod, qui exsiccat calicem, etiam faeces, quae in fundo esse solent, una bibit. Mox lego, *aut vacuefacto*, quo alter aliquis Schol. illud *siccato* planum facit. Dubito tamen an ceperint mentem Satyrici, qui post multas multorum h. l. interpretationes et coniectanea, etiamnum maiorem opem exspectare videtur. Quid si legamus,

. . . et non, siccato nectare, torquens
Brachia Vulcanus caet.

vel, si mavis, *tollens*, hac sententia: cum necdum Vulcanus, epoto in Deorum convivio nectare, mox nigra brachia moveret in taberna Liparaea: et enarratorem nostrum respexisse dicamus ad tritum illud Virgilii, *Illi inter sese magna vi brachia tollunt.* Sic saltim putabam, cum triginta abhinc annis, vacua tum cathedra philologica, iuberer in priscos scriptores commentari, hasque Satiras inter alias frequenti schola tractarem, donec in eam provinciam Heinrichius Pro Consule succederet, ego vix

Quaestorius decederem. Quodsi ille, quae parata habet in Iuvenalem, non tam diu pressisset, sed precibus et meis et aliorum discipulorum, in quibus nomen meum facile profiteor, concessisset, fortasse erat, ut ab hoc loco abstinuissemus, ut et ab aliis, in quae per occasionem excurrimus. De quibus coniecturis, interim sciat Lector, paratam me habere formulam, qua pragmatici nostri quandoque utuntur: *Valeant, in quantum valere possunt*, h. e. donec quid proferatur, quod magis sit ad palatum.

46. *Prandeb. sibi q. Deus.* Non in convivio communi sed privatim.

48. *miser. urg. Atlanta.* Quia dicunt eum coelum sustinere, ut Virgilius, (*Aen. IV*, 482.)

Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

49. *nondum al. sort. tr. prof.* Id est, cum adhuc nec Iuppiter [1] regnum coeleste teneret, nec Neptunus mare, nec Pluton inferna cum Proserpina.

1 Lege, *nec Iuppiter*, de aurea enim aetate loquitur, sub Saturno. Sch. — Nimirum hoc ideo monet, quia apud Henn. cuius editione usus est Schurzfl. illud *nec* h. l. ex incuria omissum est. Idem Henn. *Pluto*, cum Schrev. secunda, Latinam terminationem praeferens Graecae.

51. *Nec rota.* Rota, in qua Ixion dicitur volvi. Saxum, quod Sisyphus volvit. Vultur, qui iecur Tityi comedit.

52. *hilares s. regib. umbrae.* Nam non erat opus iudicibus, dum scelera nulla [1] procederent.

1 Apud Schrev. *nulla*, intercidit.

53. *Improbitas illo.* Mirabile fuit, si quis illo tempore improbus inveniretur.

57. *Plura domi fraga.* Quamvis ditior esset Virgilius, (*Ecl. III*, 92.)

. . . . *et humi nascentia fraga.*

Divitiae autem in fragis et in glande taxabantur [1].

1 Id est, aestimabantur. Glossae, *taxamus*, ὁρίζομεν. Papias, *taxare, dicitur aestimare.* Sch.

58. *Tam venerab. erat.* Ita, inquit, videbatur venerabilis aetas, ut pueris maioribus se annis quatuor deferri ut esset prima lanugo, id est, iuvenes deferens senibus adfectarent [1].

1 Ita lege, *ut pueri m. s. a. q. deferrent, et sicut senes, prima l. i. e. iuvenes, deferentes senibus, senium affectarent.* Deferre, est observare, cultu prosequi. Reliqua per se clara sunt. Enarrator alius scriptus, *Sicut senes a iuvenibus, ita barbati quilibet, et lanugine vestiti, a minoribus venerabantur.* Sch. — Ita emendo, *ut pueris m. s. a. q. deferre affectarent, sicuti prima lanugo, id est, iuventus* (erat) *deferens senibus.* Achaintr. Post *deferri*, Pith. stellulam suam extulit. Schrev. dedit, *pueri m. s. a. q. deferrent * ut sicut pr. lan. id est, iuvenes deferre senib. adfectarent*, easque nugas deinde, servatis in principio *pueris*, occupavit Hennin. Placeret, *pueris . . . deferrent, utut esset* caet. et in altero Schol. *deferre.*

61. *c. tota aerug. follem.* Aeris vitium. aerugo dicitur ferri rubigo [1].

1 Aperte mala distinctio, peior quoque ap. Henn. Leg. *Aeris vitium, Aerugo dicitur: ferri, rubigo.* Res adeo trita est, ut testimoniis non indigeat.

62. *Prodig. fides.* Quasi monstro similis.

63. *Quaeque coronata.* Quae residem foedes sacrificiis lustrari debet [1].

[1] An potius, *Quae res ideo fordis sacrificiis lustrari debet.* Sed de agna loquitur Satyricus: de bove Festus, Naso. Vet. Glossae, *Forda,* (sic enim lego) θυσία ἐγκύμονος βοός. PITH. — Putabam, *Quae res Fidei in aede, sacrif. lustr. debet.* Sed Ios. Scaliger legebat, *Quae res, id est, fides,* vel etiam, *foedus.* RUTG. *l. c. I,* 16. — Schrev. ex emendatione, ut videtur, Salmasii, *Quasi tam mira fides s. l. debeat,* qua reiecta Henn. Rutgersianam recepit. Nobis aliquando sedebat, *Quae res ideo hoedis s. l. d.* saepe enim haedi agnique iunguntur. Praeplacet tamen Scaligeri sententia, proxime scopum feriens. Nam et, *res idem,* divulsis vocibus, aperte in Sg. extat, et *idem,* atque ex hoc rursus *item,* millies in MSS. libris, pro, *id est,* poni nemini clam est, qui eos sedulo versaverit. Observavit id iam Gifanius, *Collect. in Lucret. v. Sanguinis,* et docuit iam ante eum Cuiacius *Opp. Post. T. I. p.* 392. et *T.* 5. *p.* 924. edit. Fabrot. Nec desunt loca, qui etiamnum hac medicina egent, qualis est ille notissimus in *Collat. LL. Mos. et Rom. Tit. VIII. §.* 7. *Poena Legis Corneliae irrogatur ei . . . qui ob struendam advocationem testimoniave, pecuniam acceperit, pactusve fuerit, societatem coierit, aut aliquam delationem interposuerit. Item si quis coierit ad occisionem innocentium SCto, quod Cotta et Messala factum est, coherceantur,* in quibus verbis, ut alios sileam errores, legendum est uno spiritu, *aut aliquam delat. interposuerit, id est, si quis coier.* caet. Nec mea est haec emendatio, sed optimi Cuiacii, cuius manu, cum multis aliis, adscriptam invenimus orae Pithoeani Pariatoris, quem servat Bernensis bibliotheca. Quas emendationes omnes, si Deus concesserit meliora his ausuris, a carcere, quo hactenus latuerunt, aliquando liberaturi sumus.

65. *Hoc monstr. puero.* Id est, hoc tempore vir bonus monstris conferendus est [1].

1 Videtur respexisse ad illud Cicer. II. de divin. *Si, quod raro fit, id portentum putandum est, sapientem esse portentum est. Saepius enim mulam peperisse arbitror, quam sapientem fuisse.* Pith.

66. *et f. comp. mulae.* Monstris. Prodigia quae bellum civile Caesaris et Pompeii praecesserunt.

70. *Gurgitib. miris.* Aut lacteis, aut sanguineis.

71. *Intercepta decem.* Apostropham facit ad illum [1], cuius ob reditum sacrificat.

1 Lege, *ad Camillum.* Calvinum, ut hinc vides, et Catullum de quo Satira praecedenti actum, unum eundemque putavit Enarrator. Sch. — Non tamen, nisi postquam illi invito subiectus est Camillus. Quid enim prohibet servare illud, *ad illum*, aut, si displicet, succenturiare *Calvinum?*

73. *Hoc arcana modo.* Perdidit commendatam [1].

1 Schrev. *commodatam*, παρακαταθήκην. Henn. simpliciter, *commodatum*, in quibus non unus error. Primus in eo Schrevelii cernitur, quod Latinorum *commodato* respondere existimavit Graecorum παρακαταθήκην. Commodatum enim χρῆσιν appellant, quo tamen vocabulo etiam *usum* et *usumfructum* exprimunt, Παρακαταθήκης vero, vel quod magis in usu Graecorum iuris interpretum est, παρακαταθήκης nomine, ubivis *depositum* notant, ni potius, ut Theophilus, latinum δηπόσιτον retineant, quod etiam fecisse vidi S. Ignatium ap. Cotelerium in *Bibl. Patr. Apostol. ed. Clerici T. II. p.* 92. Alter utriusque in eo est lapsus, quod *commendatam* rem, quae est apud Pithoeum; in *commodatam*,

vel *commodatum*, invita Minerva deflexerint, et contra mentem Poetae. Huic enim non de re commodata haud reddita, sed de interversa et abnegata re deposita sermo est, cuius maior quam commodatae sanctitas, tantaque est, ut eius restitutionem nulla exceptio impedire possit. In deposito enim omnia ad fidem referuntur, et infamia notatur qui fidem fallit. Inde est, cur *sacrum* appelletur, et Platoni eleganter δῶμα μετὰ πίστεως. Id Interpreti haud ignotum, ideoque non *commodatam* rem dixit, sed *commendatam*, non nescius *commendare* etiam latinissimis scriptoribus pro *deponere* in usu esse. De qua significatione cum multi dixerint, exemplis abstineo. adi, sis, qui longum nuper catalogum texuit, V. Cl. Smallenburg. ad *Schultingii Not. in* *ᴦ. l.* 14. *D. de relig.* Magis tamen haerere potuissent, si invenissent, quod in Cod. Sg. legitur, *commendatum*, quae vox substantivi forma in Lexicis frustra quaeritur. Sed salva res est. Nam si *commendare* pro *deponere*, quidni et *commendatum* dici potest depositum? Quod vocabulum, cum pro singulari sagacitate olim odoratus esset alicubi in Observationibus, quem nihil fugit communis noster praeceptor Cuiacius, intulissetque *L. ult. C. Commod.* impetitus propterea calumniis Donelli, in *Comment. a Schegkio editis T. I. p.* 129. qui illud verbum nihili et confictum diceret, produxit sui vindicandi causa, locum hunc D. Ambrosii, *lib. de Tobia c.* 21. *Commendatum est depositum, quod custodiatur caussa alicuius commissi.* Quid? non *commendatum* solummodo dixerunt depositum, a commendando, i. e. committendo, ut recte monet Ambrosius, verum etiam *commendationem*. Ita enim Gl. Gr. Lat. παρακαταθήκη, *commendacio, depositum*. media quoque aetate, *commendam* adeo finxisse, docuit Cangius. *Commendaticiam* rem quoque appellasse, et *commendaticium*, quem nos deponentem, idem docere poterat. Audiamus Ianuensem, quem toties testem produximus, idque eo lubentius, quod, cum possent ac deberent, raro tamen in usuram ceperunt Cangius et Benedictini patres, hodie autem prorsus neglectus

iacet. *Commendaticius*, inquit, *a commendo . . . aliquis qui de suo nobis dat, ut res eius in nostra habeamus tutela. Et etiam commendatoria res, quae nobis et nostrae tutelae commendatur. Invenitur etiam commendaticius, qui commendat nos vel laudat. Unde in II. ad Corinth. c. III. haut indigemus commendaticiis epistolis.*

75. *Tam fac. et primum est.* Id est, Facilius contemnuntur Dii, si hominis testimonium intersit, qui in iudicio [1] dicat, vidi.

1 Henn. *sive in iud.* qua ratione, non video. Pro *si* autem legendum, *ni.* sententia enim haec est: modo non sit, qui dicat se vidisse, Dii facile temnuntur. *Si* et *ni*, sive *nisi* multoties in MSS. confunduntur. Vid. Herm. Cannegieter. *Observ. III*, 3. neque enim utor ratione doctoris quondam nostri Sammeti, e quo caeteroquin plura didicimus, quam ex centum aliis, qui *Opusc. p.* 199. *Si* per *nisi* interdum explicari posse, contendit.

77. *quae sit ficti c. v.* Pro, quanta sit: ut Terentius,

Nam eius vultus pudoris signum usque indicat.

Vultus, negantis vultus.

1 Apud Terent. *Andr. V*, 3, 7. ita nunc legitur: *Nam eius color pudoris signum usquam indicat*, nec quisquam ibi hanc lect. var. indicat.

78. *Tarpeiaq. fulmina.* Capitolini Iovis.

80. *Per cal. venatric.* Κατὰ κοινοῦ. per omnes Deos iurat.

83. *armamentaria coeli.* In quibus arma posita sunt.

84. *comed. inquit, f. n.* Id est, per filios suos iurat, Sic non eos comedat [1].

1 Cum MS. libro lege, *Per filios suos iurat, Sic coenas comedam tuas.* Sed tamen pro *tuas*, scribe *Thyesteas.* Sch. — Simplicius, *Si non, eos comedat*, vel *meos comedam.* *Si non*, est decurtatum genus dicendi, pro, *Nisi verum dixerim.*

85. *Pharioque mad. aceto.* Aegyptio, forti.

86. *Sunt in fort.* Dicit, quam ob causam homines periurent [1], cum dicant quod non Diis agimur, sed fortunae casibus. Quid ergo Dii nocebunt laesi, si, fortuna disponente, vita hominum regitur.

1 Non muta vocem *periurent*, in *peierent*, utrumque enim rectum est. De *periurandi* verbo egit Dufresn. Sch. — Apud Cicer. quoque *Offic. III*, 29. optimae membranae *periurare* habent, neque audiendus est Beda ap. *Putschium p.* 2343. *Peiero verbum, r non debet habere, est enim quasi peius iuro.* quid enim tum fiet verbis *periurium* et *periurus?* Cf. Regner a Bassen *de iureiur. vett. p.* 421 *sqq.*

88. *Natura volvente.* Ut natura disposuit.

89. *Atq. id. intrepidi,* Sine ullo timore perierant [1].

1 Perspicue leg. *peierant,* ut et Schrev. et Henn. ediderunt, vel potius *periurant.*

90. *Est alius metuens.* Qui credit delictum posse puniri voluntate Deorum, sed veniam sperat.

93. *feriat mea lum.* Id est, coecum etiam faciat.

94. *Dummodo v. coecus.* Id est, si pro ingenti pretio ferenda est coecitas, dummodo magnum sit quod negetur [1].

1 verbis, *dummodo magna*, incipit alia eorundum verborum enarratio. Sch.

96. *Sunt tanti.* Melius est aegrotare cum divitiis, quam esse sanum pauperem [1].

1 Eadem fere sententia apud Syracidem, *Ecclesiast.* *XXX*, 14. utraque sensus communis, ut et illa in *Sat. VI. homo sum nata, ut peccem.* Pith.

97. *Nec dubitet Ladas.* Ladas fuit inter nobilissimos cursores Olympico certamine, cui aemulus Talaris [1] eandem gloriae palmam tulit, sed apud Elidem coronatus est. Sensus autem ex persona periuri est, Melius cum uno pede currere, quam pauperem vivere, et si hoc sis in cursu quod Ladas [2].

Ladas. * Ladas nomen est cuiusdam pauperrimi cursoris. *

1 *Talus*, qui hic corrupte *Talaris* dicitur, longe alius ab eo *Talo*, qui filius Perdicis, sororis Daedali. Muncker. ad *Mythogr. p.* 87. — Legendum, *cui aemul. Talus Cres*, et deinde, *et ap. Elidem.* Sch. — Talum hunc cursorem, fateor, mihi non magis notum esse, quam Talarem, multoque minus spondere possum *Cretem* fuisse. Pausanias, apud quem fortasse aliquid, non erat ad manus. Pithoeus inter *cui* et *aemulus* asteriscum apposuit, sustulit Henn. 2 Verba, *Melius est*, caet. Germanum ex Germanismo monachum olent. Saltim lege, *Melius est divitem uno*, caet. Sch.

98. *quid e. vel. gl. plantae.* Quid praestat coronari in Elida [1], ubi athletae habent Olympiacum certamen.

1 Lege, *in Elide.* Si retines *in Elida*, is quidem insignis Metaplasmus fuerit. Sch. — Hoc eo perti-

net, quod Schrev. more suo adiecerat scholio verba, *pro in Elide. sic alibi.*

100. *Ut sit magna tam.* Concedo, inquit, ut delictum puniant Dii, tarde tamen.

103. *Fortasse experiat.* * Peiurus dicit haec: * Fortasse, inquit, placabile numen quod omnia diversa sunt facta [1]: usque adeo, ut in eodem crimine deprehensi, alter crucem mereatur, alter imperium.

1 Lege, *diverso fiunt fato,* ex ipso Iuvenale. Rutg. *l. c. VI,* 18. — Lege, *placab. est numen, quod omnino div. sunt fata.* Sch. — Schrev. in altera Rutgersium secutus est.

105. *hic diadema.* Ut Romulus pro commisso scelere non dedit poenas, sed imperium adeptus est.

107. *sacra ad del. voc.* Vocantem eum ad templum, ut iuret, * praecedit. *

109. *Nam c. magna malae.* Nam cum, inquit, homines, qui malam caussam habent, id est, qui denegant alienum visa fuerit improba contentio, audacia creditur innocens, ut mimum urbani scurrae agere ac inrisione audaciae videatur [1]. Talis enim est mimus, ubi servus fugitivus dominum suum trahit. Catullus, mimographus fuit.

1 Ita locus desperatus sanari posse videtur, *Nam c. inquit, hominis q. m. c. habet, i. e. qui denegat al. . . . . agere ab irrisionis audacia videatur.* Rutg. *l. c. I,* 16. — Lege, *Nam c. i. hominis . . . . habet . . . denegat . . . contentio, ex audacia*

121. *Et qui nec Cynicos.* Dicit Cynicorum et Stoicorum dogma convenire, tantum veste distare. Nam Cynica mater heresis Stoicae. Cynici absque ullo pallio, exerto brachio [1].

1 Pallium Philosophorum ita praecipue a Cynicis gestabatur, ut dextro brachio subiectum in laevum humerum reiiceretur, exerto humero dextro, et plerumque nudo, maxime in Cynicis, qui sine tunicis, aut saltem strictis tuniculis humerum non velantibus, induti erant. Igitur vel nugatur solens Glossator, vel pro *pallio,* legendum est *tunica,* totusque ille locus corrigendus, *Nam Cynica haeresis* (secta) *mater Stoicae: Cynici absque tunica, ex pallio exerto brachio.* FERRAR. *de re vest. I,* 15. — Lege, *nam Cynicae mater haeresis Stoica.* Reliqua docte dixit Ferrarius. SCH. — In prioribus Schrev. Rutgersium sequitur, quam autem vere hic, aut Schurzfl. Stoicam Cynicae, vel Cynicam Stoicae matrem contendat, non vacat inquirere, a Philosophiae historia fere quadraginta annos remoto. Quodsi memoria non fallit, dum adhuc in trivio tempus terebamus, neutrum verum esse accepimus, et ab Antisthene profectam utramque Cynicam et Stoicam sectam, ut neutra alterius mater fuerit. In ultimis verbis idem Schrev. habet, *absque tunica et pallio,* quasi plane nudi fuerint. Inscite prorsus et pueriliter, nisi sit mendum in voce *et.*

123. *exigui laet. plantar. horti.* Qui in hortis de otio et voluptate disputat.

124. *Curentur dubii.* Per allegoriam sufficere se dicit in solatium amico, damnum merenti.

129. *claudenda est ian.* Quasi lugentes ianuas claudunt cum damnum pertulerunt.

131. *nemo dolorem Fingit.* Sed vere plangunt damna.

148. *Pocula ador. robig.* Antiquitatis merito adorandae.

151. *Radat inaur. fem.* Dropaciste [1] dicit, qui ceram de inauratis statuis aurum tollunt.

1 *Dropacistas* capere debemus de quibusvis rasoribus. Glossae, δρωπακιστής, *Colipilarius, depilator.* Meo tamen animo rectius legatur, *Trapezitas dicit.* Trapezita interdum dicitur, qui monetam cudit, ut ex diplomate Caroli Simplicis docuit Dufresnius. Ille igitur aurum e statuis radebat, ut aureas inde monetas produceret. Et sic desperato hactenus loco lux sua et lectio esto reddita. Sch. — De falsae monetae percussoribus somniasse Interpretem, nulla causa est cur dicamus. Sufficiebat tenere, legendum esse cum Hennin. *dropacistas,* non cum Schrev. *dropacistae.* Δρώπαξ est medicamentum depilatorium, et per metonymiam apud Suidam, depilatus h. e. laevis, κεκαλλωπισμένος ἀνήρ. *Resinatam iuventutem* supra dixit Iuvenalis. Hinc δρωπακιστής proprie medicus in eo occupatus ut pilos de corpore evellat. Doctus glossographus generaliter pro *rasore* posuit. Et hactenus omnia bene. Maior difficultas in voce *ceram,* quae quid sibi hic velit, nullus video, nec video, etiamsi cum Henn. *cera* legas, primo an sexto casu. Putabam, *caelo,* i. e. scalpro; iam magis placet *clam* subtituere.

153. *An dubitet solitus.* Id est, qui non dubitet etiam ipsius Iovis statuam conflare.

154. *mercator veneni.* Dubium, venditorem an emptorem dicit [1].

1 Henn. *dicat.*

155. *Et deduc. corio bov.* Culleo nam insui consueverant, qui haec scelera tentarent, id est, parricidae, cum simia et serpente, et in mare mitti [1]. Innoxia, pro innocens.

De Gallico, et errore Henninii, si plura cu
Hagenbuch. in *Epp. Epigraph.* p. 229.
sinium *in Serie Pr. Pr.* p. 48.

160. *Sufficit una domus.* Gallici scilic
mus, ubi haec omnia audiuntur cottidie.

162. *Quis tumid. guttur.* Quis potest,
facta scelera suis in locis [1], ubi omnes tale
mirari. tanquam si in Alpibus gutturosos [2]
nes admireris, ubi tales suntplurimi scilicet
lata et inflata colla habent.

1 Rectius legas, *facta scel. fuisse in loc.* S
2 *Gutturosi* homines sunt, quibus guttura s
mida, *gutturnosi* etiam dicti. Vide quae h
notet Ducangius. Scн. — De *gutturosis*, q
mentio iam apud Ulpianum, consulendus in
Duker. *de Latinit. vett. ICtor.* p. 410. E
silica male interpretari strumosos contend
rillius *Observ. VI,* 23. ego Ulpiani locum
in Basilicis, neque in Synopsi Basil. invenio.

164. *Caerula quis stup.* Glaucos oculos
pillos rubeos.

166. *Nempe quod.* Ideo non est mirum.

167. *Ad sub. Thracum volucres.* Ad [1] flu
Strymonem.

1 Malim legi, *Apud.* Scн.

168. *Pygmaeus parvis.* Aut quis debet m
pygmaeos cum gruibus pugnantes, quorum
est studium semper?

169. *Mox impar hosti.* Quia parvi sunt
pore.

178. *sed corpore trunco.* Id est, etiam colletur, nihil inde lucri habebis, nisi invi defensionem. Sed dicis, Bona res est vind

181. *Nempe hoc indocti.* Imperiti, qu caussis poenas exposcunt, * interdum autem bus. * Sapientis est damnum qualecunque ad iracundiam ut procedat, non etiam ad ctam debere reddi poenam 1.

1 Rursus barbarum est schol. quod ita cor *Nempe hoc ind. Imperiti quidem n. c. et ob damnum qual. reddi debere poenam.* meus addit *agunt*, lege, *aiunt* vel *satagunt pientis est, usque ad irac ut proc. non eti vindictam.* Sch.

184. *Chrysippus non dic. id.* Non hoc p pit philosophia, ut rependantur malis vices

1 Hoc scholium ex incuria deest ap. Henn.

186. *Qui part. acceptae.* Socrates, philoso Atheniensis, cum argueretur proditionis, rec est in carcere cum accusatore, qui cum sibi venenum, accusatori petenti noluit dare 1.

1 De Socrate lepidam ex Iuven. verbis histo confinxit nobis Scholiasta. Ἀνιστόρητα enim sunt ibi narrantur, et Iuvenalis loquitur de iis, qu cisset, si usus venisset, Socrates, non quae Sch. — Pro *daret*, Henn. *daretur*, firmante Co

187. *plurima felix.* Generaliter 1. qui que felix, id est, doctus et sapiens. Potior go est sapientia, quam felicitas, siquidem illa latim amittit, haec statim purgat 2.

189. *quippe minuti.* Feminei dicit.

192. *Nemo m. gaudet.* Quia vincitur animus sexus verecundia [1].

1 Hoc funditus evertit mentem Poetae. Igitur scribendum, *Quia vincit animus*, h. e. ulciscendi cupiditas, *sexus verecundiam*, aut, si magis placet, cum Schrev. et Henn. *vincitur sexus iracundia.*

194. *Mens hab. attonitos.* Id est, conscientia sua poenis et verberibus afficit.

197. *Quas et Caeditius.* Caeditium, aulicum Neronis crudelissimum fuisse vult intelligi satellitem.

199. *Spartano.* Glaucum dicit genere Spartanum, qui creditum fidei suae thensaurum [1] a Milesio quodam, et repetentibus [2] hanc pecuniam heredibus filiis eiusdem Milesii, reddere dubitavit. cum Apollinem consuluisset, quid sibi suaderet, fraudaretne periurio quod ad sacramentum vocaretur [3], an sine sacramento fidei commissum redderet: cui Deus [4] respondit, poenas soluturum hoc ipso, quod dubitavit [5] creditum restituere. Quo responso Glaucus territus paravit se citra sacramentum reddere. Haec narratio in VII. historia Herodoti est. Reddidit ergo Glaucus, quia timuit, non quia voluit, unde poenas dignas sceleris non effugit. Hoc est apud Herodotum [6], ὄμνυ· ἐπεὶ θανατός γε καὶ εὔορκον μένει ἄνδρα.

1 *thesaurum* post Pith. dederunt, quasi nescirent orthographiae huius antiquitatem, de qua supra pluribus actum. 2 Dele *et* ante vocem *repetenti-*

215. *velut acri d. Falerno.* Ace

219. *et viol. num. aras.* Ubi pei

220. *sudorib. urguet.* Ex pertı mnii.

221. *tua s. et m. imago.* Tu illi cui fraudem fecit.

222. *cogitque fateri.* Quod debe

223. *Hi sunt qui trepid.* Physici ne ex conflictu ventorum vel nubium, fulgura fieri. nam ex nimio flatu ve ventorum nubes inter se conlisae toni scus faciunt [3], ac veluti saxa inte ignem excutiunt.

1 Haec omnia ad illud vs. 225. *nec ve* reponenda sunt. Rutg. *l. c. VI,* 18. *runt* Schrev. in sec. habet *adferun et fulgura* recte, pro *vel fulg.* 2 Sch. 3 Lege, *ac coruscas fac.* pro coruscatione: ut *orna*, pro orn pro anclatione; *resona*, pro resona Salmas. ad *Solin. p.* 804. — Lege, *ruscare faciunt.* Vel lege, *et corusco* et *coruscus* editum est. *coruscus* medi Multis id docuit Dufresnius, qui ita l Hoc verum. Ianuensis, quem Ca rit, in v. Corusco: *unde coruscı splendens, crispus, tremulus, vibra stantive, hic coruscus, ci, splende rabilis, corruscandi actio:* Salmasii, re, fictum vocabulum suum fecerunt Henn. ille adeo in secunda adsuit S *refer ad versum* 25. sed voluit, 225.

226. *Iratus cadat.* Propter sua c

poenam traherentur, monuit h. l. Rupertu stem vocavit Heinsium ad *Ovid. Amor. I,* allata exempla, id tamen minime suadent, unquam *Uncum* idem esse, quod nobis *eine* Ad mortem damnati ex ipso carcere unco tr tur, unde recte dici potuit *uncus carceris.*

247. *Exulib. magnis.* Κατὰ κοινοῦ. id es tietur exilium, in insulam exilio deputabitu 1 'Lego, *deportabitur.* Rutg. *l. c. VI,* 18. — *scopulosque, patietur,* κατὰ κοινοῦ. *id e tietur exilium, in insulam deportabitur, ex putabitur.* Sch. — Rutgersium sequitur Schrevelii. frustra. nec melior alter, cu emplastris. *Exilio* et *in exilio deputare,* fr esse loquendi genus postrema aetate dudum plis evicit Aleander ad *Gaium Gothic* 3, 5. Paulo melius Lex Rom. Burgu num quae Papiani Responsorum circumfertur, *tit. XII.* in *exilium deputand* xit, et *tit. XIX. honestiores in exilium, vili metallum deputentur,* qui locus inprimis obs quis de vitio, ex sola corrupta scriptura ort gitet. Habet quidem ibi Cod. Ottobonianus Amadutium, *honestiores exilio, viliores meta portantur,* sed pessime, ut alia multa idem alia enim longe metalli poena, alia dep tionis. *Deputationis* vocabulum utrique potest. Berolinenses nuper istum locum, par Ottoboniano, partim ex editis ita dederunt, *stiores exilio, viliores metallo deputentur,* ut non valde improbo, nollem tamen inter lectiones Ottoboniani, τὸ *deportentur,* silentio sus transmissum esse.

249. *Nec surdum nec Tiresiam.* Dicturu et potentes et exaudibiles esse Deos.

---

etsi *obstreperus* sit apud Apuleium. Sed r
est emendatione. Fritilli vocem derivat
graphus a verbo *fritinnire*, quod sonitum q
rundinum edat. hinc adicit, *fritinni*
dicuntur, (i. e.) *strepere*, *aut sonare apud*
Nam in cornu caet. Sic enim malo cum C
gallensi legere ac distinguere hunc locum
tesserarum sonitum, dum iactantur in fritill
alii commemorant. Sidonius epistola le
gna, II, 9. *huc inter aleatoriarum vocum c*
tiones, (an, *computationes?* solent enim a
quantum creverit, aut diminuta sit pecunia,
tare.) *frequens crepitantium fritillorum*
rarumque strepitus audiebatur, ubi v.
nem. Quod autem in fine addit, *aut fritillu*
gum dixit, ideo factum videtur, quod ipse
fritillum et pyrgum inter, aliquam diffe
statueret, quam alii non agnoscunt. Sane ta
iam proponit Turnebus *Advers.* XXVII,

9. *Merg. ficed. didicit n. par.* Id est, a
didicit luxuriosus et gulosus [1].

1 Nihil muta, aut adde. *Didicit luxuriosus*, G
mus est, et intelligitur *esse*. Sch.

10. *Et cana.* Patris, id est vetula.

12. *Barbatos licet.* Philosophum licet ad
diendum adhibeas, semel imbutum luxuria
non posse revocari [1].

1 Lege, *non posses revocare*, et res in salvo est
— Hoc certe melius, quam Henninii, *pot*
vocari.

15. *Mitem animum.* Interrogative pronu
potest, sed melius ironicos. Pro ironia dict
sensus: Mitem animum praecepit Rutilius.
putas eum saevire, qui gaudet plagarum stre
Ironicos, et *mores modicis erroribus aequos*,

rium scribitur. Sch. — De *Sabano* primus accurate praecepit Cuiacius *Observ. IX*, 1.

23. *Quid. suadet iuv.* Paterna crudelitate.

inscripta ergastula. Quanquam [1] ibi includuntur, inscripti sunt.

1 Henn. *Quoniam qui ibi.* bene. error ex notis ortus.

24. *adficiunt.* Laetum faciunt, delectant.

25. *exspect. ut n. s. ad L. filia.* Speras quod filia meretricis casta possit esse, quae non potest nomina moechorum matris suae continuo [1] ac uno spiritu dicere.

1 Cod. Sg. *continuare.*

29. *ceras n. h. dictante.* Dictante ut haec disceret. iocunde, pro aetate [1].

1 Lege, *ut haec describeret. pusillas, iocunde, pro aetate.* vel ita, *dictante matre ut disceret iocunda prima aetate.* Sed haec correctio paullo videatur audacior. Sch.

30. *ferre cinaedis.* Internunciis, ministris, qui matris suae fuerunt.

33. *unus et alter.* Pater et avus.

34. *Forsitan haec sperant.* Id est, turpia.

35. *praecord. Titan.* Prometheus filius Iapiti, qui fuit unus e Titanibus.

36. *fugienda patrum vestig.* Iuvenibus scilicet. id est, multi filii inviti facta parentum sequuntur.

40. *quoniam doc. imit.* Id est, ad mala imitanda faciles sumus. ut Terentius,

nomine vix alios intelligere licet, q
nati erant. Et sane non una ratio a
nisterio eorum servorum publicor
Tribuni aliique etiam Magistratus, q
ex liberis servi facti erant. Novu
est, et a nullo alio scriptore traditu

170. *A scrobe vel sulco.* Qui col
Hoc nam dicit, alios in bello [1], alio
lere.

1 Legendum, *alios puellos, alios terr*
si hoc displiceat, scribe, *alios in b*
pra, *senex dignissime bulla*, id e
Sch. — Sic hunc locum interpretor:
scrobem facere, pro muniendis castris
terram colere. Achaintr. — Pithoe
bello, et *alios*, asteriscum interiecit,
dicaret. Quodsi tam absurde Poetam
uti Parisinus vult, facilis est medici
bello esse, vel, *interesse bello*, quo
bricius. Si rectum vidit Int. putem
nam dicit, alios (liberos) *inberbos*,
esse, alios terram colere.

171. *Amplior.* Parabatur scilice

172. *Nunc m. hic agri.* Bene di
possidere [1] in horto, quam tunc in a

1 Henn. *possideri.*

173. *Inde f. sceler. caussae.* Ex
avaritiae, quae interficit veneno, aut

175. *saeva cupido.* Avaritia.

177. *Et cito v. fieri.* Per scelera

Sed quae rev. leg. Exclama

180. *et Hernicus olim.* Virgilius,
684.)

Hernica saxa colunt . . .

turionum est, a Libero patre inventum, (
mus, triumphavit, et inventor vitis est.

194. *Sed cap. int. buxo.* Sensus hic e
age ut te sordidum pueri mirentur, et vi
tuam imitentur, si vis Centurio militare.

1 Nugae sunt pueriles, quae narrat de pueri
dum centurionem mirantibus. Nec puto ii
inesse mendum, etsi forte rescribi possit, *ut*
tribuni mir. et virt. tuam sibi imaginentur.
igitur hoc Schol. cum nonnullis aliis a Pith
monachum olet, quam Grammaticum. Sch.

195. *miretur Laelius.* Comes Laeliu
turio [1], sub quo militabis, ut evertas c
catheias [2] Maurorum.

1 Legendum est, *Laelius, Comes, centu*
quo caet. Medio aevo *Centuriones*, apud
praesertim vocabantur Κομῆτες. Leo in *Ta*
IV. §. 10. Κόμης δέ ἐστιν, ὁ τοῦ ἑνὸς τάγματ
βάνδου, ἀφηγούμενος. Latinis *centurio*, videlice
dabit Cangius. Sch. — Primum nondum liq
scriptoribus Graecis postremae aetatis κομῆτε
tur, eos respondere Latinorum *centurionibus*
enim illorum fuisse dignitas videtur, quam
cum βάνδῳ vel τάγματι praeessent, h. e.
Deinde nullo testimonio probatum est, Lati
que scriptoribus *Comitis* nomen pro centurio
patum fuisse. Igitur duplex potius duorum
pretum glossa habenda est, quarum prima
Laelius. Post enim Constantini aetatem fe
cunque exercitum ducebant, *Comitum* nom
niebant, in quam rem sunt mille testimonia
venit alter, qui cum videret, non esse duc
mitis, examen instituere cum tirone; rec
xit Laelii nomine intelligendum esse, C
nem aliquem, ad cuius officium id pe
Recte. et ab eo discere poterant plerique i
terpretes, qui Laelium, pro quocunque i

267. *Quam tu, Corycia.* Corycus Isauriae [1]. id est, negotiator qui omni t navigas.

1 Imo Ciliciae. sed verius est, alteram Cr sulae, eiusdem nominis h. l. intelligi.

269. *ac vil. sacci merc. ol.* Opobalsamu malabatrum foetidae alicuius mercis. ut tentia tali, tu foetide [1].

1 Lege, *opob. ait, aut malobathrum. Sacc tis, foetidae alicuius mercis. Aut ex se* Sch. — Mallem, *mercis ait, et sententia t foetide,* reliquis salvis. *Malobathrum* scrib cuit Schrev. et Henn. eaque scribenc nunc fere obtinet. in antiquis tamen libris *malabathrum* frequentior est, et in Graec βαθρον quam μαλόβαθρον, ut vel ostendunt loc masio ad Solin. exhibita. in gl. quoque μαλαβάθρινον, *foliatus*, est, eaque scriptura praeferenda, si verum est, quod credunt, a baria nomen descendere. Ianuensis dic gutatur, *a malis lavandis.* apud Papiam *rum, unguenti genus,* contra omnem scribe rem.

271. *et munic. Iov. a. lag.* Geticas [1], qu piter ibi nutritus est.

1 An potius, *Creticas*. Pith. — Verissime postea editum est.

272. *Hic tamen ancip.* Funambulus arte victum sibi comparat.

273. *brumamq. famemq.* Horatius, (*Sat.*

Frigus, quo duramque famem depellere p

274. *Illa reste cavet.* Supra quam a scilicet.

Aluta, ab alo, lis. Dicitur haec alut
pellis quae tanata. dicitur vulgariter cor.
quia alit pedes. Unde Iuvenalis, Apposi
grae lunam subtraxit alutae. Et inde hic
rius, rii, id est, pelliparius, qui vel opera
les tanatas vel tinctas, vel qui eas tunat
servat, vel tingit. Ita ille, adhibito Codice
bliothecae nostrae publicae, in quo tamen
vel tingit absunt, voci *servat* autem supers
praeparat, Huguc. Cangius eo loco
terat in v. Tannare.

282. *Oceani m. et iuv.* Tritones et N

284. *ille sororis.* Furens Orestes. Ifige
ror Orestis.

286. *Hic pove perc.* Aiax, quia et ipse

287. *Aut Ithacum.* Ulixen.

parcat tunic. lic. Quamvis se n
scendit [1], tamen insanit.

1 Malim, *conscidit.* Pith. — Secutus est S
sed Henn. *Quamvis vestem non conscin*
babilius rescripsit.

291. *Concisum argent.* In argenteolo
nummos,

1 Nota *argenteolum* substantive dici, pro n
nutulo.

292. *Occurrunt nubes.* Ergo hoc dicit,
sonit.

294. *nil fascia nigra.* Nubes ducta
lum.

295. *Aestivum tonat.* Naturaliter [1] h
negotiator.

1 Vox *naturaliter* in Sg. non habetur.

Aegyptii colunt, quod illi naturale cum s
ctibus bellum est. Nam cum Aegyptum Ni
iam serpentibus inundaverit, illa eos omn
vorat simul et aspides. De huiuscemodi
lium genere Cicero in libro *de Natura I*
primo, sic ait: *Ipsi qui irridentur Aegyptii*
beluam, nisi ob aliquam utilitatem, quam ex
perent, consecraverunt, veluti Ibin. Ibes ma
vim serpentum conficiunt, quasi aves excelsae,
bus rigidis, corneo proceroque rostro: avert
stem ab Aegypto, cum volucres angues ex
vastitate vento Africano invectas interficiunt
consumunt: atque fit, ut illae nec morsu viv
ceant, nec odore [1].

1 Apud Cicer. *l. c. cap.* 36. nunc editur, . .
secraverunt. Velut Ibes, maximam . . . ci
aves . . . vento Africo . . . ex quo fit .
odore mortuae, et sic fere Henn. edi h. l.

5. *Dimid. mag. r. v. Memnone chordae.* I
nonis ex aere statua, citharam tenens,
horis canebat. Hanc Canbis [1] rex iussit a
existimans mechanicum aliquod esse, quod
statuam lateret: nihilominus tamen aperta s
quae erat magice [2] consecrata, horis statut
num reddidit. Ideo dimidio dixit, id est s
et diviso.

1 Lege, *Cambyses.* Plin. *lib. XXXVI.* Pith.
sic ediderunt Schrev. et Henn. ad quam
nem etiam paulo propius Sg. habet *Cambis.*
vet. ex. *maicae.* Pith. — In Sg. *magice.* mo
diculo vitio, in Schrev. prima editum, so

praefecturam cohortis in Oasa missus traditur. Haec porro si ad Consulatum Appii Iunii Sabini referamus, (nam *Iunii* nomen habuit optimum et vetustissimum exemplar, habuit et aliud secundae notae, nec temere mutandum censeo,) pertinebunt ad a. V. C. DCCCXXXVII. quo is collega fuit Domitiani: cuius hic etiam satyrice perpetuum Consulatum silentio notari non abs re quis putaverit. PITH. — In verbis nihil mendi est. Dicit *militem tenuisse*, qui militem rexit, qui militibus praefuit. At vir doctus legi volebat, *vitem tenuit*, quod verum non est. Vitis gestamen centurionum proprium, non praefecti cohortis, ad quam praefecturam missum refert vetus auctor vitae Iuvenalis. SALMAS. *ad Solin. p.* 319. — Forte, *limitem*. HENN. — Ubi nunc legas *militem*, cum Is. Vossio et Scriverio, castigandum *limitem*, licet illud probet Salmasius. *P. Burmann ad Anthol. Lat. T. I. p.* 242. — Quod suspectam haberet vocem *militem*, asteriscum posuerat Pith. quem post eiecerunt Edd. recte. *militem tenere* plane ut ap. Sueton. *Aug. c.* 9. *solus rempubl. tenuit.* Aurel. Victor *in Epit. c.* 35. *paucis diebus imperium tenens interemptus est.* haec satis nota, exempla ducenta monstrant. De ipso ro habes ingenio, fortasse interdum nimio audacis, plenam disputationem Franckii in *de Vita Iuvenal. examine,* antiqua etiam Latinitate scriptam, adversus saeculi morem.

29. *Nos vulgi scelus.* Referimus [1].

cunctis grav. coth. Non cyclopis, sed [2] Tragoediae narrationis.

1 Vide supr. ad vs. 16. dicta. 2 Lego, *seu Trag. narrat.* PITH.

30. *omnia syrmata.* Vestes tragicas. Tragoedias.

32. *Dira quod ex.* Quod apud Aegyptum factum est a populo.

stola discipuli, quam ut rarum grati alui
cumentum, non piget adscribere: *Quonian*
patre meo semper fuisti et me eloquentia et
tia tua meliorem reddidisti, dono et perm
habitare in illo cenaculo, eoque uti. H
significatione intelligas *L.* 6. §. 5. *Dig. de*
quare etiam qui in *L.* 11. *Cod. Th. de M*
Professor. primum *Oratores* dicuntur, iide
Rhetores audiunt. *Sophistarum* denique
lationem quod attinet, eam eiusdem prorsu
vocabuli Rhetoris potestatis esse, dubitare
sinit *L.* 1. *Cod. de Profess. qui in Urbe C*
rei ignarus Accursius eos interpretatur *L*
cam docentes, quod non tam Sophistarum fui
Philosophorum, et poterat id doceri ex *L.* 1
de stud. liber. Urb. Rom. in qua *facundia*
tatis pollere dicuntur Sophistae quinque U
mae. Sic enim ibi sine haesitatione legen
non *gravitatis,* quod etiamnum retinetur
tum contra omnem sensum communem, tu
contra auctoritatem Cod. Theod. atque A
Apparatu ad h. l. Eadem potestate *Sop*
Pandectis *L.* 6. §. 1. *De excus.* capiendi,
commemorantur, γραμματικοὶ, σοφισταὶ, ῥήτορ
uti in editis expressum est, nisi potius
ritu σοφισταὶ ῥήτορες quasi per appositio
velis. Displicet enim cum Cuiacio se
Brissonii puta, Gothofredi, aliorumque,
inter Rhetores et Sophistas differenti
stituunt, ut illi Romanam, hi Graecam elo
docuerint. Atque hactenus de ea re e iuri
Tu si aliorum loca cupis et doctrinam, adi
tor. in *Anecd. Graec. p.* 2. Cresoll
Theatr. vet. Rhetor. L. 1. *cap.* 1. et Rl
nii *Praef. ad Rutil. Lup. pag. XXVI.*
diligentiae addo locum praetermissum
ciani ad Symmachum epistola, praefixa
libello *de figuris et nominibus numero*
Putschium, p. 1344.) simul ut adiuv
ligentius ea, inquit, *Sophistae iuniore*
sequimur, aptioribusque divisionibus, a
cendos iuvenes ad omne rhetoricae ge

120. *quae tanta fames.* Id est, quome guntinos coegit obsessio.

122. *anne al. terra Mephit.* Quam, inq vidiam facerent Nilo cessanti defluere aliam hanc, quam fecerunt, cadavera devorarent quam fame coacti?

1 Lege, *cadavera dovorantes.* PITH. — Lege *dav. devorarunt.* SCH. — Imo excidit c. ant *vera*, id est, *cum.* Caeterum sensum Po quo tricant Intt. recte, si quid video, percep *Invidiam facere Nilo*, est, calumniam fa exprobrare immissam infertilitatem, dum iu Dei causa, (*Nilus* enim hic, Deus Nili) quod supremum est in famis miseria illico runt. Pithoei emendationem receperunt S et Henn.

123. *surgere Nilo.* Inrigare Aegyptum

124. *Cimbri nec Britones.* Gentes di barbarorum.

125. *Sauromatae.* Sarmatae.

126. *imbelle et inut. vulgus.* Aegyptioru

127. *dare vela phaselis.* Testeis navigiis bus enim navigiis in Nilo utuntur 1.

1 Ait *utuntur*, quod captare nolim, quasi ipsa stem proferat, et non potius Iuvenalis aucto sequatur, in re omnem fidem excedente. autem semper in hoc loco, cumque veteris n rebus domesticis et vulgaribus hodienum A sint retentissimi, nemo autem unus e tot pere tibus, quorum Aegypti itineraria larga copia mis nostra memoria in lucem edita sunt, fictilium cymbarum vel e longinquo mentione cerit, vix a me impetrare potui, quin suspic verbo *fictilibus* apud Poetam antiquum ulcus

IN SATIRAM XVI.
DE FELICITATE MILITI

Ista a plerisque exploditur, et dicitur n Iuvenalis 1.

1 Referuntur tamen ex ea quaedam ut Iuvena a Prisciano modo, sed et a Servio in *Lib. Aen.* Pith. — Vide sis Commentt. *h. l.*

1. *felic. praem. Galle Milit.* Quanta in beat bona militia.

2. *nam si sub. prosp. castr.* Ut nihil p patiatur in bello, vel non intersit proeliis: sint 1 pericula, quamvis timidus sim, tan ad militandum.

1 Fortassis, *vel si absint.* Pith. — Legend *Felicia, ut nihil . . . proeliis miles, si* ric. caet. Sch. — Cod. Sg. in triplicem glos vidit, hoc modo: *prosp. castra, ut n pat. in b. vel n. int. proeliis. Me pav quamvis timidum. excip. tiron. si sint quamvis timidus sum, tam. eo ad milit.*

6. *Et Samia genitrix.* Id est, Iuno.

11. *offam.* Panis 1.

1 Refer ad verba, *tumidis livoribus.* Panu vel panis a Celso *lib. V*, c. 18 *et* 28. dici

dicere, Vidi, i. si testimonium tibi praebent, dico illum ex illis esse antiquis. Supra *Sat. VII,* 13. *Hoc satius, quam si dicas sub iudice, Vidi.* ubi Enarr. exposuit, *quam si falsus es testis.* Sch.

36. *Sacramentorum.* Id est, militiae [1], quia iurabant.

1 Lego, *militum.* Martini in *Lex. v. Sacramentum.* — Frustra, et recte Schol. *sacramenta* interpretatur, militiam. Glossae: *Στρατεία, milicia, sacramentum, expeditio.* Isidorus *Origg. IX,* 3. *tria sunt militiae genera, sacramentum, evocatio, coniuratio.* Plane in rem apud Celsum IC. in *l.* 22. *D. de Legat.* 2. *commodum militiae* legitur, et alibi *commodum bonorum possessionis, dotis* caet. et *emolumentum litis* ac *fideicommissi* in iuris libris commemoratur. Quod autem militiae datum est emolumentum, id ipsis militibus competit, et hac ratione cum Ruperto dici potest, sacramentum h. l. pro ipsis militibus poni. Ut autem demonstraret hanc sacramenti pro militia significationem, bene addit Schol. *quia iurabant,* ubi facile est subintelligere, milites.

37. *Improbus.* Militaris.

campum. Terminum [1], id est, si egeris contra aliquem quod terminos effoderit et transtulerit.

1 Aperte hoc schol. ad voc. *sacrum* pertinet.

45. *Sternuntur.* Substernuntur, ponuntur aut parantur.

M A N T I S

SCHOLIORUM ANTIQUORU

E

VARIIS IN IUVENALEM COMMENTAR

COLLECTA.

Vix est ex omni copia Scriptorum veterum, quos Classicorum nomine ornamus, cuius tot extiterint, atque etiam num extent exemplaria manu scripta, quam Iuvenalis. Eorum bona pars ab antiquitate inde aucta fuit glossis, a Pithoeano Commentario diversis, iisque modo interlinearibus, ut vocant, modo marginalibus, quae vehementer adiumento fuerunt iis, qui post renatas bonas litteras iustis Commentariis Poetam illustrarunt, Sabino, Calderino, Merulae ac Britannico, ut tamen illi plerumque clanculum haberent auctores e quibus profecerant, quod ex solo Vallae Commentario apparet, qui cum Probum haberet, multoties eius auxilio irrigavit suos agros, raro tamen eius mentionem interiecit. Fuerunt vero et postea viri eruditi, qui postquam talium scholiorum saliva mota erat edito Commentario vetere Pithoeano, curatius suas membranas excuterent, et data occasione ex iisdem glossulas proferrent, aperto fonte unde hausissent. Ex his praecipui sunt Casp. Barthius, qui tribus, (Vid. Eiusd. *Advers.* XIII, 13.) Schurzfleischius, qui uno suo, Burmannus denique Secundus, qui Vossiano Codice usus est, quem nunc Cantabrigiae haberi edoctus sum. Accessit his nuper Anglus quidam vir doctus, qui in libro cui titulus, *the classical Journal for* 1810. *Vol. II. p.* 456. e, nescio quo, sexcentorum annorum libro, paucas sed non spernendas protulit. Eas omnes visum est in hanc mantissam, suo tamen ordine dispositas, quasi sub unum obtutum colligere, ut quaerendi e plurimis libris taedium lectori levetur. Dedit et specimina quaedam e Parisinis libris novissimus Iuvenalis interpres, Cl. Achaintrius *Vol. II. p.* 76 *sqq.* quas omittere satius visum est, tum ut chartae parceremus tum quia illo auctore carere non potest, qui bene praeparatus ad Satyrici lectionem acce-

Hoc est initium Vindobonensis Commentarii MS. in Iuven. in Catalogo Codd. Philolog. nota numeri CCCXXCVII. signati et minutissimis litteris exarati forma 8va, pertingentis tantum usque ad vs. 215. Satirae sextae, ex quo alia argumenti plane alieni sequuntur, de quibus quae alibi dixi non placet recoquere. Gentilottus, qui bibliothecae Caesareae quondam praefuit, adscripsit Catalogo librorum MSS. a se confecto, existimare se eundem hunc Commentarium esse, atque illum quo usum se testatur Octav. Ferrarius *de Re vest. III,* 24. et *II,* 1. nec tamen persuasit, etsi verum sit in utroque quaedam esse scholia, quae prodant, ex eodem ea fonte manasse. Caeterum post superius adducta verba, continuo sequitur altera vita Iuvenalis, ea ipsa videlicet, quam Pithoeus, non ex Badensi, sed alio Cod. praeposuit, his verbis incipiens: *Iunius Iuvenalis liberti locupletis incertum filius, an alumnus,* qua finita, introductionis quasi loco pergit:

Satyra est proprie genus lancis, quod, in templis Deorum delatum, ciborum copiis referciebatur, unde et Satyra dicta est, quasi Satura. Hinc ergo et istud carmen vocatum est Satyra, quo (l. *quod*) omnium (l. *hominum*) contineat et carpat vitia. Iuvenalis Satyricus Aquinates fuit, id est, de Aquino opido. Hic suo tempore videns nimiam luxuriam scribentium, proposuit et ipse scribere Satyram, in qua nemini pepercit, sed omnium (l. *hom.*) vitia carpsit. Ideo autem hanc materiam scribere voluit, quia Claudii Neronis tempore numerositas omnium vitiorum plurimum viguit.

His praemissis sequuntur glossae ad verba Satyrici, quarum, quas paucas decerpsimus, suo loco dabimus, subiuncta hac nota: Cod. Vindob.

AD SAT. I.

1. *Semper ego.* Cum omnes luxurientur in scribendis libris, nunquid semper ego tacebo et nihil scribam? et bene a sui ipsius redarguitione nunc incipit scribere, ut per hoc ostendat, quod nulli debeat parcere. Cod. Vindob.

ibid. Argumentum est contra pestem iactantiae. Cod. Barth. *Adversar. XIII*, 13.

nunquamne repon. Rescribam vel reddam missionem [1] novam. Reponere enim rescribere est. Oratius,

Scriptor laudatum si forte reponit Achillem.

Idem.

1 Emendandum puto, vicissitudinem. Barth.

ibid. Obiiciamne quid auribus Poetarum male scribentium, cum sim vexatus tam diu? Idem. *l. c.*

2. *rauci.* Per tropum non bene sentit de eorum scriptis inutilibus. Idem. *l. c.*

Theseide. In fabula Thesei. et est patronimicum femininum a Theseos, sicut Eneis, ab Enea. Theseus autem fuit gigas, qui cum Piraoo (l. *Pirithoo.*) descendit propter Proserpinam ad inferos, cuius fabulam describit Codrus, malus poeta [1]. Cod. Vindob.

1 Eadem habet Cod. Hafn. addens: *Scriptor tragoediae* fuit.

ibid. Fabula longa scripta de Theseo a Codro. Cod. Barth. *l. c.*

3. *togatas.* Comoediae vel Tragoediae, quae a Latinis scriptae sunt, togatae ideo dicuntur, quia p[i]t (*sic*) vestis ipsius usum a Senatoribus (*sic*) agebantur diebus sacris. Graecae etiam Comoediae dicuntur palliatae, sive a vestis ipsius usu, sive quia ita illas plerique viri nobiles egerunt. Latinas legimus egisse Roscium et Lentulum, viros nobiles. Item togatas, Latinas comoedias, quia et personas et memoriam Latinam habeant. Togatas, Romanas significat, quia illi omnes toga utebantur, unde et togatam gentem legimus. Hoc autem distabat inter servos et dominos, quia servi non utebantur colobiis et nigris calceis, sed albis. Togatas vero eos feminino genere dixit, propter luxuriam illius temporis, ut Virgilius

O frigie, neque enim friges,

id est, non viri sed feminae [1]. Cod. Vindob.

1 Locus Virgilii est *Aen. IX,* 617. nec aliud Schol. est, e quo melius discas rationem omnium paene Scholiorum veterum quorum memoria ad nos pervenit, nempe eos fere esse centonem e multis multorum grammaticorum, variae aetatis variaeque doctrinae, conflatum pannis. Et hic quoque supinam ignorantiam cum eruditione mixtam habes. Verba ultima: *hoc autem distabat,* caet. ex Ambrosiano quoque Cod. laudavit Ferrarius *de re vestiar. III,* c. 24. omissis tamen vocabulis *et calceis.*

ibid. Fabulas vel Comoedias factas de togatis, hoc est vilibus personis. Cod. Barth. *l. c.*

ibid. Tria sunt genera Comoediarum, Togata, ex factis vilium personarum; Praetextata, ex factis nobilium personarum; Palliata, ex factis quidem nobilium personarum, sed Graecarum. Palliata, ad Graecos pertinet: alia duo genera ad Latinos pertinent, Romani enim togis et praetextis utuntur. Idem *l. c.*

4. *Hic elegos.* Carmen elegiacum. Elegi sunt versus de miseria amoris compositi. Fabulas amatorias, carmina de miseriis, vel de amore. Idem *l. c.*

5. *ingens Telephus.* Maxima fabula de Telepho. Telephus fuit rex Misorum, qui restitit Achilli, cum mitteretur frumentatum ab esse age et sauciatus iste Telephus ab Achille insanabiliter, nisi ab eo repertus esset [1]. Idem *l. c.*

1 Haec totidem litteris extant in vetustissima membrana. Telephi fabula extat ap. Septimium lib. II. de bello Troiano, scriptorem Latinis legitimis accensendum, unde fortassis huic commentationi melius fieri poterit. Barth. *ibid.* — Fort. *frumentatum abesse a rege*, scil. Agamemnone, et in fine, *nisi ab eo remediatus esset.* Sic enim loquitur Hyginus *Fab. CI.* De historia ipsa multus est Dictys Cretens. *de bello Troi. lib. II. c.* 1 *sqq.*

6. *Script. et in tergo.* Ex parte pili antiqui scribere non solebant, ex parte enim carnis tantum scribebant. ex parte vero pilorum imagines depingebant, in honores principum [1]. Sed fabula de Oreste fuit adeo longa et prolixe tractata, ut in utraque fuerit parte scripta. Idem *l. c.*

1 Notanda certe observatio, quam ut veram magis persuadear, facit etiam altera antiquissima membrana, in qua *in tergo, ex parte pili,* signatis litteris exponitur. Atque hinc etiam originem ducere arbitror, quod veteres superficiem rei *pilum* consueverint dicere. Gloss. Lat. Gr. *Pilum*, ὑπερῷον. ὑπερῷον autem in Gr. Lat. Glossario, *imperficium, superficies,* explicatur. Certe hanc gl. Iuvenalem dexterrime interpretatam, ego non dubitandum reor. Barth. *ibid.* — Ex hoc scholio hausit quae ad h. l. protulit Winckelmannus noster *Spec. Comment. in Iuven.* quod edidit Venerabilis Gurlittus in *Animadv. ad Auct. vett. Spec. II. p.* 51 *sq.* unde apparet quod de ὀπισθογράφων usu apud veteres raro, multi dixerunt, non tantum pertinere ad Codd. chartaceos, sed etiam ad membranaceos. Tales autem nunc omnes quos videas in bibliothecis, nec memini me indicatas legisse membranas ab una tantum parte h. e. adversa, non autem aversa, perscriptas, quaquam terrarum etiamnum extare. Quo magis gavisus sum me ipsum eius rei experimentum fecisse. Cum enim ante aliquot annos Cizae commorarer et Bibliotheca Gymnasii uterer, Haloandri in primis memoriae causa, pervolvoque Canonistarum volumina, quae ibi sunt ex legato quondam Episcopi illius celebris Iulii a Pflugk, incido in grandis notae librum; quem dum evolvo, illico ante oculos est pergamena adglutinata a bibliopega tergo involucri ante tercentum annos. Inspicio et literas quadratas invenio, fragmentum, inquam, Fastorum Consularium saeculo sexto, aut minimum septimi initio nitidissime scriptum. Advoco Müllerum, τὸν νῦν ἐν ἁγίοις, virum ex omni parte egregium. Laetamur invicem reperto tam raro et ex improviso thesauro, sed tabulas non nisi binas ex naufragio servatas eo magis dolemus, quo magis illud fragmentum a caeteris Fastorum exemplis abit. Curiosi aversae partis chartam, ab involucro cui impacta fuit revellimus. Frustra fuimus, paginam vacuam invenimus, nihilque inscriptum. Ipso illo fragmento plane singulari ne careat orbis eruditus, statim enim descripsimus diligenter, suo tempore operam dabimus.

7. *lucus Martis.* Historia de origine urbis. Romulus et Remus fuerunt reperti in nemore, luco; quos mater Rhea Ilia exposuit illic, geniti a Deo patre Marte. Lucus item Martis, Athenis Areopagus dicitur. Lucus praeterea Martis in Ponto, ubi aureum vellus erat [1]. IDEM *l. c.*

1 In membranis non adeo veteribus haec reperi. Postrema sententia sine dubio Iuvenalis est. BARTH. *ibid.*

ibid. Aut Ariopagum dicit, qui Athenis, aut illum qui Romae in Appia, ubi cum Ilia concubuit, aut ille apud Colchos, de quo Iason vellus aureum arietis sustulit [1]. COD. VINDOB.

1 Apparet utrumque glossatorem eodem vitulo arasse.

8. *antrum.* Aethna mons, ubi Cyclopes fabricant fulmina Iovis, unde Aethna dicitur fabrica Vulcani. COD. BARTH. *l. c.*

10. *unde alius.* Iason, adiutorio Medeae, vellus aureum tulit secum de Cólcho insula, quam describit Varro. IDEM *l. c.*

12. *Frontonis platani.* Illius nobilis Poetae, apud quem Poetae recitabant carmina, priusquam in theatro recitabant. IDEM *l. c.*

ibid. Orator quidam nobilissimus, in cuius domo quidam poetarum docebant, (*f. dicebant*) eiusque in viridario recitabant per intercolumnia. Siquidem per platanos, viridarium intelligitur. COD. VINDOB.

15. *man. ferulae subdux.* Scholae valediximus. Cod. Barth. *l. c.*

16. *Consil. dedim. Syllae.* Sulla fuit Dictator, qui inaccusatus cum cepisset esse odio Romanis, accepit consilium ab amicis, ut dignitate postposita, securus viveret. Per hoc dicit Poeta se Rhetorica didicisse [1]. Idem *l. c.*

1 Optima sane interpr. Et in hanc sententiam istuc Iuvenalis accepit recte etiam doctiss. Nic. Faber, ad *Senec patrem.* Barth. *ibid.*

20. *per q. magnus e. Auruncae.* Magnus, quoad ingenium. Dicit de Lucilio, qui fuit ex Affrunca civitate. Idem *l. c.*

ibid. alumnus. Passive pro, alitus in Aurunca, id est, in Italia, ut sit pro parte totum. Cod. Anonymi Anglic.

22. *spado.* Graecum est, emasculatus. Dicit vero, cum omnia fiant contra rationem, non est mirum me scribere Satiram. Cod. Barth. *l. c.*

Maevia Thusc. Matrona. Romae in theatro ursis et leonibus et apris probabantur fortes. Hoc dicit perversis moribus matronas audere. Idem *l. c.*

25. *Quo tond. gravis.* Cum sit dives contra Senatores principes, Romanos, qui fuit vilis barbitonsor. Idem *l. c.*

ib. Quo tond. grav. Tonsor fuit Cynamus in suo artificio inexpertus, qui munere mulierum di-

ves effectus, ad equestrem censum pervenerat. is demum in Sicilia exulavit. IDEM *l. c.*

26. *pars Niliac. pleb.* Aegyptiacae parti notum eum esse vilem. Iste Crispinus fuit de Aegyptiaco patre, et Arabica matre. IDEM *l. c.*

27. *Crispinus.* Vellicator [1]. IDEM *l. c.*

1 Titulus, qui, sive ad nomen, sive ad mollitiem hominis pertineat, acutus est. BARTH. *ibid.*

28. *aestivum aur.* Tam tenue dicit, ut vento agitetur. A e s t i v u m a u r u m minimos annulos vocat, quos ferebant in aestate.

digitis sudantib. Propter onus auri. IDEM *l. c.*

29. *maior. pond. gemmae.* Maioris annuli gemmati, quem in hyeme gestabant, fingit se non posse sustinere onus. Docet Poeta multam his esse fluitatem [1] gloriae. IDEM *l. c.*

1 Non intelligo hanc vocem. An *vanitatem* voluit? Ipse Barthius notat hoc schol. e duobus libris a se conflatum fuisse.

31. *Tam patiens urbis.* Quis Romanus tam patientem animum in Romanos adhibeat, quin scribat Satiram. IDEM *l. c.*

32. *cum veniat lectica.* Id est, occurrat longa cathedra. IDEM *l. c.*

Mathonis. Iste Mato caussidicus, propter plurima vitia, factus fuit amicus Claudii Neronis. IDEM *l. c.*

33. *Plena ipso.* Ostenditur illum pinguem et grossum fuisse. IDEM *l. c.*

delator. Heliodorus. IDEM *l. c.*

magni delator. Heliodorum dicit, qui amicos suos deferebat apud Neronem, et nobiles paucos, qui gladium Neronis aufugerant, novis artibus et inventionibus faciebat interfici sua delatione. COD. HAFN.

34. *cito rapturus.* Consumpturus accusatione sua. IDEM. — Mortem scil. illaturus. COD. SCHURZFLEISCHII.

comesa. Corrosa, consumpta a Claudio Nerone. COD. BARTH. *l. c.* — Vorata, corrosa a Nerone. IDEM *l. c.*

35. *Quod superest.* Quod restabat gladio Neronis. COD. BARTH. et SCHURZFL. *l. c.*

36. *Thymele.* Prima quae saltationem scenicam invenit. COD. ANGLIC.

Thym. summ. Latino. Latinus iste cum Messalina uxore Imperatoris concubuit, Heliodoro sciente. Sed ne Heliodorus hoc divulgaret, Latinus Tymelem, uxorem suam, ei ad stuprum concedebat, et cum muneribus ad eum placandum mittebat. *Et in altero MS.:* Latinus, quidam tempore Iuvenalis fuit, in Messalina uxore Neronis ab Heliodoro deprensus, ne ab illo accusaretur timens, Thymelen uxorem suam illi supposuit. Et haec notantur, cum dicit, trepido. COD. BARTH. *l. c.*

Latino. L a t i n u s, quidam Romanus, cum Messalina Neronis uxore dicebatur adulterium perpetrasse. Unde metuens ne Eliadorus se deferret, uxorem Timelem ei summittebat, quo eum placaret. Cod. Hafn.

37. *Cum te submov.* Ab hereditate, o pupille. Cod. Barth. *l. c.*

38. *Noctibus.* Cum illis decrepitis et prurientibus officium praestitissent. Idem *l. c.*

in coelum. Id est, ad summum honorem. Idem *l. c.*

39. *via.* Ratio. Idem *l. c.*

processus. Bonae Fortunae. Idem *l. c.*

vesica. Ardor libidinis. Idem *l. c.*

beatae. Divitis. Idem *l. c.*

40. *Unciolam.* Haereditatis, caussa stupri. Idem *l. c.*

deuncem. Undecim unciae partes. D e u n x dicitur, quasi uncia dempta de asse. Non possum quin eos reprehendam, qui suo nocturno concubitu pupillos a patris haereditate expellunt. Idem *l. c.*

41. *ad mensur. ing.* Secundum quod valet in actu, testatione remunerabitur. Idem *l. c.*

42. *merced. sang.* Est enim sperma sanguis dealbatus ex motu renum principaliter, ab epate secundario, ab omnibus membris specialibus a cerebro concurrentibus. idem *l. c.*

51. *lucerna.* Studio Horatiano. Cod. Schurz.

69. *molle calenum.* Cales, vel Calenum urbs Campaniae est, distans a Capua quatuordecim millibus passuum. Fuit dudum urbs Ausonum. Haec habuit aquarum venas proprietatem vini tenentes, ut Valerius [1] de miraculis refert. Cod. Anglic.

1 Valer. Max. I, 8. 18.

92. *sestertia.* Est sestertium duae de nostris librae cum dimidio. Idem *l. c.*

94. *fercula.* Nota, quod Romani duobus tantum cibis utebantur, et in atriis edebant sedentes, unde Virgilius,

Perpetuis soliti patriis [1] *considere mensis.*

Idem *l. c.*

1 Leg. *patres*, ex *Aen. VII, 176.*

102. *Libertinus.* Libertus et libertinus idem re sunt, sed antiqui in scribendo diversa constructione his vocabulis sunt usi, ut libertinus semper illius vel istius dicatur, libertus vero meus, tuus, vel suus explicetur [1]. Idem *l. c.*

1 Vituperat glossographum Anglus editor, et ad Casaubon. in Sueton. remittit. Sed longior est haec de Libertinorum et Libertorum discrimine fabula, quam ut hic tractari possit. Dicam ad Brisson. si vita suppetet, etiam propter ea quae nuperrimi Edd. Suetonii contra Ernestium monuerunt.

121. *Quadrantes.* Quadrans, ait Hieronimus, continet duo minuta, unum quadrantem,

numerum videtur ponere finitum pro infinito. Varro dicit, quod est quarta pars assis. IDEM *l. c.*

130. *Arabarches.* Princeps Arabum. COD. HAFN.

132. *lassique client.* Clientes dicti quasi colentes, quia patronos suos ideo colebant, ut ab illis alerentur. Dicit ergo [quod Clientes tota die patronos suos in foribus praestolabantur, quatenus vocarentur ad prandium. Sed non vocati, sero iam revertebantur, lassi longa exspectatione, et, famis penuria, primo mane venientes, quasi prae tristitia, velut famosam faciem habent. Clientes autem proprie est, minores quique, amicitiam et patrocinationem maiorum excolentes. COD. VINDOB.

133. *Votaq. deponunt.* Id est, desinunt optare, ut apud patronum coenent, longa exspectatione fatigati. IDEM.

136. *Rex hor.* Regem hic vocat patronum clientiumque (l. *clientium,*) dominumque civium divitem, cuius amicitiam protectionemque pauperiores quique excolere gaudent. Sed dum diu praestolantur horum coenae, (f. *coenas*) illeque moratur redire de foro callide, recedunt. tunc ille solus, vel cum paucis coenat, solus dormit. tum pergit non constipatus multitudine dicentium. (l. *clientium.*) IDEM.

141. *anim. propt. conv. nat.* Cum reliqua animalia plures habeant utilitates, aper ad nihil

aliud valet, quam ut convivii sint sic at (leg. *sit cibus*) at ovis quinque utilitates habet, si quidem caro eius immolatur et pascit, lana vestit, pellis quoque varium usum praebet, et lac tribuit. Bos vero quatuor habet utilitates, scilicet arandi, carnes eius immolantur et pascunt, corium variis usibus habetur. unde in Lege praecipitur, ut ovis ademptor quincuplo, bovis quadruplo restituatur [1]. IDEM.

1 Nihil hoc ad ius Romanor. E Capitularibus sumtum est, *VI*, 18. *ap. Georgisch.* *p.* 1515. ubi tamen convertitur numerus. *Qui furatus*, verba sunt, *fuerit bovem aut ovem, quinque boves pro uno bove restituat, et quatuor oves pro una ove.* sed nostri scholii lectionem veriorem esse, vix dubitari potest, propter adiectas rationes. Id vero mirum videri potest, cum haec glossa post Caroli M. tempora scripta esse debeat, inter utilitates horum animalium adhuc relatam esse immolationem.

143. *Turgidus.* Inflatur adhuc cibo (l. *cibis*) indigestatis. IDEM.

crudum pav. Dicitur esse natura pavonis, ut cum peroptime coctus fuerit, si panno involvatur, per novem dies iterum crudus reperiatur. COD. HAFN.

pavonem. Pavus, pavi, et pavo, pavonis facit. COD. VINDOB.

144. *Hinc sub. mortes.* Nota, viris balnea contraria esse post cibum, feminis salubria. IDEM.

intestata. Id est, sine testamento defiens (f. *deficiens*) quia occupatur subitanea morte, filiis

testamenta cartasque patrimonii non dimittit. IDEM.

157. *aconita.* Aconita, herba apio similis, quae gustata stupore nimio occidit. Ergo dicit, quia scelerati sunt, sublimantur et beatificantur; illi vero, quia innocentes sunt, ut nocentes redarguuntur et puniuntur. ID. — Aconitum herba venenifera dicta, eo quod in coticibus et in saxosis locis nascatur. COD. HAFN.

164. *Hylas.* Hic Theodamantis fuit filius, de quo scripsit Lactantius commentator Statii: cum Hercules Argonautis comes accederet, Hylam Theodamantis filium secum adduxisse creditur; qui remum fregit in mari, dum pro viribus remigaret. Cuius reparandi gratia, dum esset in finibus Ioniis, iuxta Mysiam, sylvam ingressus est; et cum iret aquatum, visa eius pulchritudine, raptus est a Nymphis. Postea, ut inquit Servius, cum esset cognitum, quod periisset in fonte, ei statuta sunt sacra, in quibus mos fuit, ut eius nomen clamaretur in fontibus, ad quam imitationem dixit Virg. in Bucolicis: [1] *His adiungit Hylam.* COD. ANGLIC.

1 *Ecl. VI,* 43. ubi ex edito Servio apparet corrigendum esse in eius verbis: *in montibus,* pro *in fontibus.*

IN SATIRAM II.

1. *Ultra Sauromatas.* In principio libri sui redarguit Philosophos, qui fingunt se esse amatores et sectatores virtutis, et delinquentes arguuntur, cum ipsi viciosi et deteriores illis, quos corrigunt, existant. Ergo haec Satyra obscenos philosophos carpit. Sauromatae vero populi sunt Scitiae ultimi, ad quos non pervenerat potestas Romanorum, unde Virgilius,

Sauromatae truces.

Dicit ergo Poeta: ita indignor, quotiens audio falsos philosophos disputare de moribus, ut me libeat [1] peregrinari inter barbaras gentes. Cicero dicit, *quod Philosophia comes sit virtutis, expultrix viciorum.* unde primum malos reprehendit philosophos, quia turpiter viventes atque ideo ipsam philosophiam pervertentes, veri philosophi videri volebant. COD. HAFN.

1 Nota solœcismum. Locus Cic. est *Tuscul. V,* 2.

3. *Qui Curios.* Curii dicuntur Philosophi a Curio consule et philosopho. Apud Athenas olim fuit usus, ut quaeque turpia libere fierent, et maxime in Bachanalibus. Bachanalia dicuntur festae dies Liberi patris, in quibus omnia delicta sine culpa fiebant. Athenienses usque adeo turpes erant, ut in his festis homicidia facerent et obscena quaeque gererent. quae Bachanalia po-

stea interdicta sunt, cum in his matronae adulterentur. per quae vult intelligi, vicia et obscena tunc a Senatoribus committi . . . [1] Idem.

1 Pauca verba, quae restant, non enucleo. Sufficit paucis exemplis ostendere, quam sint ieiunae et putidae pleraeque huius Cod. glossae, ut tamen passim eluceat, habuisse librarium meliora, quae deturpaverit.

5. *Cloantas* [1]. Cloantae vocantur Philosophi a Cloanto, quî optimus fuit philosophus. Dicit ergo, ille optimus philosophus putatur esse, si quis Cloantorum statuas, quia nobiliores sunt reliquis statuis, ponere potuerit (*et*) in suo librario custodiat. Idem.

1 Ita scriptum hoc nomen olim inveni in quatuor aliis MSS. Hafniensibus. Sic etiam fuit in Vossiano. in uno inveni *Cloanthas*. Miror horum nihil annotatum inveniri ab aliis.

23. *Loripedem*. Claudum, a loro, quod est ligatura cruris ad genu. Idem.

33. *offas*. Carunculam. pro partu. Idem.

44. *Scantinia* [1]. Scantinia lex vocatur, a Scantinio auctore, quae damnabat adulteria virorum tantum, sicut Iulia mulierum tantum. Cod. Vindob.

1 in MS. Hafn. *Scatinia* est. et sic in aliis tribus libris ibidem.

53. *coliphia*. Coliphia, ut quidam dicunt, sunt membra virilia de fermento et melle composita: quidam, quod sint genus carnium, quod

athletae comedebant ut fortes essent; nam ante Pithagoram ficis utebantur, Pithagoras autem invenit, ut carnes taurorum assas et panes assos comederent. Attamen generaliter omnes cibi athletarum Coliphia vocantur. IDEM.

ib. Coliphia. Proprie autem coliphia est panis azimus. COD. HAFN.

57. *Codice.* Codices sunt ingentes arborum radices, quibus immobiliter insidetur. COD. SCHURZFL.

65. *Stoicidae.* A Stoico fecit derivationem femininam, ut eos irrisorie et despective Stoicidas, non Stoicos appellaret, id est, non viros, sed feminas, quia falsi philosophi erant, sicut superius togatas dixit [1]. COD. VIND.

1 Nemo non videt, ultima verba esse additionem insulsi eiusdem monachi.

74. *positis aud. vulg. aratris.* Solebant antiquitus Romani etiam de aratris sumere agricolas et dare eis consulatum [1]. COD. HAFN.

1 Mira interpretatio et nondum audita, ac, si non vera, tamen neque indocta. Montanum capit nomen viri qui e rustico Consul factus erat.

76. *multicia.* Multicia dicuntur vestes subtilissimae, ob multitudinem testionis [1] et filorum. IDEM.

multicia. Multicia genus est vestis laneae, subtili arte contextae. Dicta multicia, quod sit multa et inenarrabili arte expressa, qua

solummodo uti licitum erat innuptis puellis, et viduis matronis. Cod. Voss. ap. Vossium in Etym. h. v.

1 Id est, *texionis*, quod verbum tamen, pro textura positum, vel Cangio ignotum est. De multicia, etsi multi dixerint, quos ap. Cl. Rupertum videas, neglectos tamen adhuc audire iuvat Papiam et Ianuensem, quorum ille, *Multicia*, inquit, *vestes subtiles sunt, camisiae; vestes ex serico et lana. dicta, quod mulceant suavitate sua.* sic enim interpungendum est, quod sine sensu in vulgatis editur. A mulcendo, sed etiam a multum, deducit Ianuensis. *Multicium, cii. Multicia sunt vestes subtiles et lucidissimae, factae de nobili serico, vel mollissima lana, vel lino, et dicuntur sic a multitudine contexionis filorum. Quo enim vestis est subtilior, eo plura fila in ea contexuntur. vel dicuntur sic, quia levitate sua corpus hominis demulceant suaviter. Iuvenalis, Quid faciunt alii cum tu multicia sumas.* in quibus non difficile est veteris cuiusdam grammatici vestigia agnoscere. Scio post Salmasium has derivationes vulgo reiici. Quid vero si non tam a *mulcendo,* quam a *multicando* derivaverit antiquus ille? Eam vocem, neglectam quoque a Cangio, servavit Papias. *Multico,* ait, *frequenter mulceo. mulcere enim blandiri est, translatum a mulso, id est, molle,* in quibus verbis ultima spirant ineptitudinem saeculi. Similia tamen habet Ianuensis in *Mulco.*

86. *Atque Bonam.* Flora fuit domina meretricis. Bonam vocat eam, quia curialis [1] et placens fuit omnibus. Ea mortua fecerunt in honorem eius templum, et placabatur ea pinguedine suis, quia sicut meretrix res est immunda, ita et sus. Cod. Hafn.

1 Id est, comis et urbana; quam significationem ite-

rum neglexit Cangius, deductam inde quod urbanitatem et morum civilitatem, nisi habent, tamen prae se ferunt, qui in curiis, i. e. palatiis et aulis principum versantur. inde quoque Gallorum est, *courtois* et *courtoisie*, et quoque *courtisanne*, quibus vocabulis nunc tamen fere abstinent, rei adeo quam verborum studiosi.

89. *prophanae.* Prophanae dicuntur, quae longe sunt a fano, id est, templo. Cod. Hafn.

97. *scutulata.* Genus est vestis, dicta ab hoc, quod orbiculos quosdam habeat in similitudinem scutulorum [1]. Cod. Monacensis.

galbana. Vestis genus est a galbaneo colore. Galbanus color est sublucidus et subalbus [2]. Cod. Monac.

1 Legendum *scutularum*, a scutula, ut et habet Papias, qui hinc sua hausit, ut et Ianuensis, qui cum fusior sit in explicanda voce, non indignus est, qui legatur. *scutellae* habet Cod. Hafn. qui eandem gl. refert. 2 *cum pallore*, adiicit Papias, qui rursus ex hoc fonte hausit. In Hafniensi glossa est interlinearis, *vestis plana*, quae potissimum ad v. *rasa* ap. Poetam pertinet.

98. *Et per Iunon.* Solebant feminae iurare per Iunonem, viri per Iovem. sed modo non faciebant. Cod. Hafn.

107. *extendere panem.* Quod solet fieri propter bonum colorem. Idem.

119. *dictum, Feliciter.* Id est, dicebant omnes, Placet; sicut adhuc fieri solet in Romana Curia. propter hereditatem, quam dedit illi iuveni. Idem.

125. *nutantia loro.* Capsulam dicit, in qua erant sacra Deorum, pendentia ad collum per lorum. IDEM.

142. *luperco.* Lupercus dicitur quasi arcens lupos. ad quem solebant venire mulieres steriles, et percussae palmatorio [1] gignebant. IDEM.

1 *Flagellum* exponunt palmatorium, Benedictini ad Cangium, e Glossar. Prov. Lat. MS. Sane instrumentum videtur significare e palmetibus i. e. ramis vitium confectum.

152. *qui nond. aere lav.* Quia pueri non solebant dare ad balnea, sicut senes. et hoc dicit, quia pueri magis credunt, quae audiunt, quam viri. IDEM.

IN SATIRAM III.

76. *aliptes.* Plagarii curator [1]. COD. HAFN.

1 Recepi propter ignotum verbum plagarii, quod et ap. Cangium frustra quaeras.

82. *conchilia* [1]. Conchilia sunt pisces, quasi infra concas, quorum sanguine tingitur purpura. et ideo dicit, non fugiam ego haec conchilia, id est, horum intinctiones. IDEM.

1 In ipso cod. supra hanc vocem legitur, *vel concilia*, quae ea ipsa est lectio, quam nonnemo apud Plathnerum coniecit, teste Ruperto.

97. *tenui distant. rima.* Dicas eum habere cunnum. IDEM.

127. *si curet n. togatus.* Romanorum mos erat, ut pauperes summo mane nobiles ac divites salutarent: deinde divites victus necessaria eis providerent. Sed is mos modo non est. Nam Praetor et aliae potestates incitant servos suos, ut inquirant egressum dominorum, et sic, salutato domino praeoccupant ea, quae dari debuerant pauper *ib.* per totam noctem vigilantibus. ID.

186. *metit barbam.* Barbitondium facit. IDEM.

233. *Procula minor.* Uxore sua, quia manus erat. IDEM.

205. *Chiron.* Qui insculptus erat. IDEM.

240. *Liburno.* Liburnum hic pro curriculo posuit. Est autem Liburnus navis maxima, in qua navale proelium fieri solet. IDEM.

250. *culina.* Id est, coquina [1].

1 An igitur cassa haec vox successu temporis in locum culinae, quae quotidiani usus facta est, successit? Vix credo. sed hic mos est antiquiorum Scholiastar. ut occasione vulgaris vocabuli, memoriam exquisitioris suscitent. Est hoc inter arcana discernendi vetustiora scholia, à recens cusis.

251. *Corbulo.* Id est, ferens corbam [1].

1 Dicebant corbam et corbum pro corbe.

261. *More animae.* Quia sententia quorundam fuit, animam perire cum corpore [1].

1 Nimirum priusquam corrigeretur textus Cod. *Morte animae* fuit.

307. *Et Pomptina.* Loca sunt iuxta Romam, in quibus solebant latere latrones. Romani vero

positis custodibus ut defenderent ab ipsis civitatem. custodes, vice latronum, in noctibus ingressi civitatem, ruptis claustris depraedaverunt omnes, quos invenerunt. IDEM.

IN SATIRAM IV.

1. *Ecce iterum.* Quinque sunt partes vel modi Satirarum, reprehensiva, derisoria, ortativa, deprecativa, laudativa. Reprehensiva, ut idem Iuvenalis, *Ecce iterum Crispinus.* Derisoria, ut Persius, (Sat. I.) *O curas hominum.* Hortativa, ut Iuvenalis, *Semper ego auditor.* Deprecativa, ut Persius, (Sat. I, 58.) *O Iane a tergo quem nulla ciconia pinxit*, (leg. *pinsit.*) Laudativa, ut Horatius, *O filia pulcrior pulcra matre.* In hac Satira reprehendit gulositatem Crispini et Neronis. COD. HAFN.

Crispinus. Saepe inducit hunc Crispinum, quem maxime oderat. Fuit enim barbarus ex Aegypto, et ex pauperrimo Romae locupletissimus, per malas suas artes scilicet. COD. SCHURZFLEISCH.

6. *Porticibus.* Quia plateae Romanae omnes erant coopertae. COD. HAFN.

19. *abstulit orbi.* Orbatus, sine filiiis: Orbus, pupillus [1]. IDEM.

1 Distinctio, etsi falsa, orbus enim et ἄτεκνον, et

ὄρφανον demonstrat, ostendit tamen Interpretem in textu habuisse, non *orbi*, sed *orbo*.

21. *Quae vehitur clauso.* Id est, clauso ostio basternae: est enim speculare basterna, id est vehiculum, unde speculabantur matronae residentes; clauso antro, dixit, pro clausis fenestris. Cod. Voss. *ap. Burm. ad Anthol. T. I. p.* 625.

24. *Crispine papiro.* Iunco, quo se cingebant piscatores. nam iste olim piscator, vel filius piscatoris erat. Idem.

29. *Induperatorem.* Epentosis, (leg. *epenthesis*) additio in medio. Idem.

48. *algae.* Alga, id est, superfluitas maris [1], et ponitur hic alga, pro litore. Idem.

1 Mira elucidatio. Sed iuvat audire Ianuensem, qui Papia et plerisque nunc explicatius, *Alga*, ait, *hoc quod proiicit mare*, (unde fortasse alter ille *superfluitatem maris* dixit.) *vel herba marina, quia frigida est, unde et mare dicitur algosum, eo quod algam a se proiiciat. vel potest alga dici ab alligo, quia pedes vel manus alligat*, quae omnia, etsi ab ineptiis non prorsus vacua, tamen ostendunt eam herbam algae nomine venire, quam nos *Tang* vocamus.

55. *Res fisci est.* Fiscus est marsubbium regum. Idem.

89. *direxit brachia.* Per simile loquitur. nunquam direxit brachia sua contra potestatem Neronis. Idem.

94. *Acilius.* Senex, ut Crispinus, prope octogenarius erat.

95. *Cum iuvene.* Domitio filio suo, quem occidit Nero proprio gladio. Id.

105. *offensae vet. reus.* Quia cum uxore Domitiani concubuerat. Id.

111. *serv. viscera Dacis.* Quia missus erat ad Dacos, ibique victus comestus est a vulturibus. Idem.

116. *a ponte satel.* Qui in ponte telonium recipiebat, ibique coecatus est. Id.

122. *Et pegma.* Massa ferri [1]. Id.

1 Alia ibid. gl. *plumbati.* fort. *plumbatum,* quarum explicationum fontem aperit Iannensis, servata antiqui Grammatici memoria: *Pegma,* ait, *a pungo, dicitur hoc pegma, tis, i. e. baculus cum massa plumbi in summitate pendente, et dicitur pegma, quasi pro pugna, quod antiqui dicebant, Iuvenalis: Et pegma et pueros vide ad velaria raptos. Et ut dicit Cornutus, tali baculo scenici ludebant.* Ubi quoque notanda lectio in Iuven. quasi habuerit, *videt ad vel. raptos.*

IN SATIRAM V.

1. *Si te propos.* In hac Satira alloquitur quendam parasitum, qui saepe solebat vivere de alienis cibis, et ideo alapas et multa convicia sustinebat; dicitque ei, melius esset illi ut famem validam omnemque penuriam domi sustineret, quam tot opprobriis subiaceret. Cod. Hafn.

3. *nec Sarment.* Sarmentus fuit morio ioculi (l. *iocularis*) tempore Augusti, tam gulae, quam

turpitudini deditus, pro qua re patiebatur multa [1]. Cod. Voss.

1 Forte exciderunt, aut subintelliguntur *dicteria*, vel *scommata*, ut ad hos versus vel similia in eum ioco-se dicta respexerit. Burmann. *ad Anth. T. I. p.* 306.

4. *Gabba.* Parasiti Caesaris fuerunt. *Alia antiquior glossa:* Apicius Gabba sub Tiberio scurra nobilis fuit. Cod. Schurzfl.

24. *succida.* Quia solebant tinctores, primo lavare lanam in vino, et post colorare. *Alia gl.* Sucida [1] lana, id est male purgata. Cod. Hafn.

1 Ita etiam in textu correctum est, dispuncto una c. neque aliter invenerunt Papias et Ianuensis.

32. *Cardiaco.* Cordia [1], id est, cor. Ideo cordiacus, quia cordis pulsum paciens. Id.

1 Leg. *Cardia*, est enim duplex glossa, pro diversa scriptura vocis diversam faciens derivationem, *cardiacus*, a καρδία, *cordiacus*, a cor. In utramque sententiam quoque disputat Ianuensis.

35. *testae.* In ollis solebant vinum suum reponere. Id.

36. *Thrasea Helidiusq.* (*sic Cod.*) Brutus et Cassius consilium fecerunt contra Caesarem, et interfecerunt eum in senatu inebriati. Sic fecerunt Thrasea et Helidius, optimo vino inebriati, pessime cogitantes contra Neronem, eum occidere cupientes, florigera coronati corona, quale vinum illi bibebant. tale Varre bibit Romae [1]. Id.

1 Non recepissem has quisquilias, nisi ultima, etsi

corrupta, suaderent inesse aliquid remotae antiquitatis. id, quale sit, nondum tamen divino.

50. *decocta.* Aqua defecata. Id.

55. *per monimenta.* Cimeteria. Id.

68. *mucida.* Scimeloc [1]. Id.

1 En, quod rarum, Germanicae nationis interpretem. Quid enim aliud illud *scimeloc*, nisi nostrum hodie, *schimmlich*. Est gl. interlinearis.

72. *artocopi.* Panis factus cum magno labore. *Alia gl.* Id est, panis, cui immixta est caro. crepelen [1]. Id.

1 Est etiamnum inter Germanos pistorii operis genus, quod *krepeln* appellatur, quod, adeo antiquum esse, nemo facile coniectasset, nisi hic locus evinceret. Ea vox ex ὀνοματοποιΐᾳ ficta videtur. crepitare enim solet, dum frangitur huiusmodi placenta. Ad prioris autem gl. illustrationem facit ex parte Iannensis: *Artocopus, ars, componitur c. copus, quod est panis, et fit hic artocopus, i. e. pistor, quasi artifex panis. vel ab artos, quod est panis, et copos labor. inde artocopus, panis laboriose factus ad opus domini. Iuvenalis, Salva sit artocopi reverentia.* Ita ex MS.

105. *vernula ripar.* Quia tantum providet sibi victum in ripis. Id.

171. *vertice raso.* In crucis modum [1]. Id.

1 Christianum quid redolet, et monaculum, de tonsura sua cogitantem, audire mihi videor, nescio, an vere. Quanquam enim eius non unam olim fuisse, atque adhuc esse apud Romanenses in diversis Ecclesiae ordinibus figuram, Crucis tamen nec legisse, nec vidisse me unquam memini. Videant, quibus plus otii est aut voluptatis eam rem persequi.

IN SATIRAM VI.

1. Adulteria, quae lege prohibuerat Domitianus, tota Satira insectatur, et legem irridens, quae contemnebatur, et notans tempora sua, monens etiam Ursidium Posthumum, qui de uxore cogitabat ducenda, omnem vitae sortem connubio praeferendam esse, et repetita seculorum origine, ostendit, nullum vitium appetiisse prius mortales, quam adulterium. Cod. Barth. *I. in Advers. LVI*, 3.

ib. In hac Satira reprehendit Posthumum Ursidium, qui binominis erat: et duabus de causis eum reprehendit, tum quod quaerebat castam feminam, quae nullo modo poterat inveniri, quia a tempore Saturni nulla femina fuit casta, tum quod ipse mecus (l. *moechus*) erat, et ideo, quamvis esset aliqua femina casta, non conveniens erat mecum (l. *moechum*) habere castam. Principaliter autem reprehendit Posthumum, secundario tangit vitia mulierum. et primo dicit, quod Castitas et Iustitia, quae sunt duae sorores, a tempore Saturni terram reliquerunt et ad superos adscenderunt. Cod. Barth. *II.*

ib. Ad Posthumum Ursidium hanc Sat. scribit, qui c. esset adulter volebat ducere uxorem, et subdere se iugo matrimoniali. Non, inquit, novum est crimen adulterium, sed antiquissimum,

et sub Iovis argenteo eductum seculo. Sine distinctione vero est liber iste propter plurima mulierum vitia. Ursidium Posthumum titulum facit, quod, notus adulter, quaereret castam uxorem. COD. BARTH. *III.*

ib. In hac Sat. reprehendit amicum suum Ursidium Lucilium [1] Postumum, qui omnem vitam suam in adulteriis et leccacitatibus triverat, et modo uxorem pudicam ducere quaerebat, quam non invenire poterat. COD. HAFN.

1 Ab hoc uno nomine post tria illa, huic scholio, c. plerisque media aetate nato, pretium quaeri poterat, quod id a reliquis siletur. Sed e cerebro glossographi ortum credi oportet. Nondum enim Poetae tempore factum est, ut uni homini duo imponerentur nomina diversarum gentium, quod demum factum videmus extremis Impp. Romanor. temporibus, omni tum nominum ratione perturbata.

2. *parvas.* Mnnas [1], COD. BARTH.

1 Quod, quid verbi sit, non dixit Barthius: ,subesse doctum aliquid, suspicatus tamen est, aliter non posuisset glossulam. Ne haereas, rem verbo dicam. Scriptum erat *mnmas,* superiniecto temone, unde legi debebat, *minimas.* Ita nimirum carbones pro thesauro.

3. *Praeberet.* Homerus de aetate aurea,

. . . *in celsis habitantes montibus antra* [1].

IDEM.

1 Sane videntur apud Rom. Homeri et Hesiodi Poemata, latinis versibus expressa, circumlata fuisse, quod nos docere possunt ii scriptores, qui non adiecto nomine interpretis, Latina eor. verba proponunt, ut sunt Chalcidius, Macrobius, alii, qui si ipsimet eos versus transtulissent, monituri puto

erant posteritatem, ut et ipsi aliquando Poetarum choro accenserentur, quae sane gloria maximi fiebat moribus Romanis. Et aliorum poetarum testimonia ab auctoribus, qui illis usuri erant, transferebantur nominatim, ut vides ex Parmenidis versibus apud Coel. Aurelianum positis. Barth. *ibid.*

ib. ignemque laremque. Pecus, culinam, thalamum, stabulum. *Al.* rem familiarem. Id.

4. *comm. clauderet umbra.* Cum spelunca includerentur. quia erat dria [1]. et pecoris et domini, sed totum mixtum et in una spelunca erat. Idem.

1 Rursum haeret Barthius. Sed aut scriptum aut lectum male. Legendum, *quia nulla erant discrimina.*

5. *silvestrem.* Ex foliis arborum stramen. Id.

ib. montana. Mulier rustica. Id.

6. *culmo.* Arista et stipula. Id.

vicinarumque. Domesticarum. Id.

7. *Cynthia.* Cynthia Propertii amica sumtuosa, proprio nomine Hostia dicebatur. Ait autem, uxorem illam rusticanam non fuisse similem Cynthiae, quae luxu vestium et margaritarum oblectabatur, ut saepe conqueritur Propertius,

Quid iuvat ornato procedere, vita, capillo.

Idem.

ib. Cynthia. Diana a Cyntho monte. Ista Cynthia adulterata est cum Endimione Latmio, id est Latmi filio. Cod. Barth. *II.*

8. *Turbavit.* Adludit ad verba Catuli, conquerentis de passere mortuo. Catulus,

Tua nunc opera mea puellae
Flendo turgidoli rubent ocelli.

Cod. Barth. *I.*

ib. Amicam Catulli tangit, quae propter edomitum passerem mortuum, sibi missum ab adultèro, in tantum flevit, ut oculos corrumperet. Cod. Barth. *II.*

12. *rupto robore.* Ad carmen Virgilii alludit,

Gensque virûm truncis et duro robore nata,
Quis neque mos, neque cultus erat . . .

Cod. Barth. *I.*

ib. Antiquitus habitabant homines in nemoribus, et solebant intrare in cavas arbores, unde quis, cum videbat exire alium ex arbore, putabat eum nasci ex illa. Vel ideo dicebantur nati ab arboribus, quia duri erant et inculti ad modum arborum. Unde inventus est locus fabulae ut nati ex arboribus dicantur homines. Cod. Barth. *II.*

13. *Compositive.* Prometheus luteas imagines proposuit, et ignem de coelo furatus est, unde spiraculum intromittebat illi secundum Hesiodum. Idem.

20. *Hac comite.* Pudicitia, de qua loquitur hactenus. Duae s o r o r e s sunt Pietas et Fides [1]. Cod. Barth.

1 Optime, et melius quam Pithoeana, sive Scaligerana potius Collectanea, cum Pudicitia certe illis

verbis designetur. BARTH. ad *Statii Theb. XI*, 463.

43. *Stulta maritali.* Qui olim fuisti notissimus adulter, et liberi arbitrii, iam cupis refrenari potestate mulieris [1]. COD. HAFN.

1 Ergo hic Int. *porrigis* in textu habuit, non *porrigit*. Sane sic solet Poeta sermonem variare.

44. *Latini.* Qui cum uxore Neronis concubuerat. IDEM.

59. *Iuppiter et Mars.* Hi enim Dii tegumenta et personae sunt adulterorum [1]. COD. SCHURZF.

1 Mira Latinitas, ut innuatur, hos Deos ad excusationem suorum scelerum obvertere adulteros. SCH.

80. *Ut testudineo.* In modum testudinis. COD. HAFN.

89. *segmentatis.* Multa arte variegatis. COD. SCHURZFL.

segmentat. Ligamenta sunt nobilium. COD. HAFN.

113. *Accepta rude.* Rudis est virga Consulis, qua tangebantur gladiatores, et propterea cessabant inveterati ab officio illo et tunc Cinctuti appellabantur [1]. IDEM.

1 Memorabile hoc, etsi verum praestare nolim.

115. *rivales Divor.* Rivales sunt adulteri, qui in circuitu [1] alterius mulieris fraudulenter furtimque veniunt, eamque demolientes. Rivales proprie dicuntur illi, qui ab uno fonte bibunt [2]. IDEM.

1 Id est, circumventione, quae significatio addenda Cangio. etiam τῷ *demolire* sensus obscoenus, non obvius, nec tamen ideo respuendus. 2 Papias: *Rivales, duo qui una muliere utuntur: qui quasi de uno rivo i. e. uno ambre bibant.* Similiter Ianuens. qui omnes secuti sunt Donatum ad *Terent. Eun. V,* 8, 42. Aliter Nonius et Acron ad *Horat. Art. Poet.*

130. *Et lassata.* Messalina, non putans se veram Reginam esse posse, nisi etiam omnes feminas libidine vinceret, ex meretricibus publicis robustissimam sumsit, et eam tam multis viris subiecit, ut deficeret. Ipsa vero toto die ac nocte venereo coitu consumta, V vicibus eam superavit. Cod. Schurzfl.

133. *Hippomanes.* Caruncula, quam pulli nuper nati ante frontem habent, de quo fit veneficium [1]. Cod. Hafn.

1 Hoc est venenum. Est et altera gl. ibid. *Virus, stillans inguine equarum,* in quem sensum multa habet Ianuensis, prolixior, quam locus hic tolerat.

159. *reges.* Reges appellat eos, qui dicunt se descendisse a David. Idem.

195. *in lodice.* In secreto, scilicet sub panno superiori, quo teguntur. Idem.

209. *mustacea.* Vina non adeo bona [1]. Id.

1 Similia ap. Papiam: *Mustacia mala vina, eo quod similitudinem musti, non saporem habent.* Ianuensis quoque potum interpretatur, et hoc Poetae loco utitur.

234. *Nil rude nec simpl.* Novum, sed antiquum, magna arte compositum. Idem.

246. *ceroma.* Unguentum. ungunt se ad palaestram, quae opus est virorum. Idem.

316, *ululante Priapo.* Sacerdos Florae. Id.

317. *Maenades.* Sacerdotes quae sacrificabant Baccho. Id. — Deficientes a sensu. Id. *in Gl. interlin.*

337. *penem Maiorem.* Priapus fictitius tantus erat, quanta fuerunt c o d a l i a [1], quae fecerat Caesar contra Catonem. Id.

1 Hoc est, Codices. vocabulum adeo mirum est, ut de errore librarii cogitare liceat.

391. *velare caput.* Nigra veste solebant se velare, dum sacrificabant. Id.

408. *Prima videt.* Hanc stellam, quae quotiens videtur, aliquem ostendit mori. Id.

422. *aliptes.* Curator vulnerum, hic ponitur pro quolibet adultero. Id.

423. *exclamare coegit.* Bumbum emittere. Id.

443. *succurrere lunae.* Antiqui ecclipsim lunae videntes, putabant eam incantari, et ideo aera et tubas fatigabant et saltabant, ne ipsa incantationem audire posset. hoc, modo non oportebat fieri, quia tantus fuit sonus verborum eius, quantus sonus illorum. Id.

455. *opicae.* Balbutientis [1]. Id.

1 Est gl. interlinearis, quam apparet, minimum quadrare verbo *opicae.* Unde liquet, eum a quo illa profecta est, aliud quid in Cod. suo legisse. Habuit autem procul dubio *atypae,* talis enim est balbutiens, unde in glossis μογιλάλος. Etiam in iure no-

stro *balbus* et *atypus* iunguntur. Adde Gell. *IV*, 2. Verum, praeter alia huic verbo controversiam h. l. parit vel metri ratio. producit enim, ni fallor, primam.

446. *Crure tenus.* Sicut mulieres viri facundiam affectabant, deberent et tunicam suam sicut viri in altum succingere. Cod. Mediolan. *ap. Ferrar. de re vest. lib. III. c.* 6.

447. *Caedere Silv. porc.* Sacrificare Silvano, quod virorum. — *Aliae:* Effici viri. Silvano mares, foeminae Cereri sacrificabant. Idem *ibid.*

quadrante lavari. Viri, quando ingredi volebant thermas aere lavabantur, id est pecuniam dabant custodibus: foeminae se ipsas pro pretio. — *Aliae:* Nam mulieres neque ad tonsores, neque ad balneas publicas eunt. — *Aliae:* Ut Stoica, aiunt, quadrante lavetur. Nam Horatius de Stoico [1]

dum tu quadrante lavatum
Rex ibis.

— *Aliae*: Sicut vir balneari. — *Aliae*: Virorum pretium, foeminae vero gratis. Idem *ibid.*

1. Ineptissime. Non enim soli Stoici, sed viri omnes quadrante lavabantur, i. e. pro mercede balneatori quadrantem solvebant, et ideo Seneca balneum vocat rem quadrantariam. Ferrar. *l. c.*

469. *educit asellas.* Exules quando mittebantur in exilium, secum ducebant, cum quia lacte asinino pascebantur, tum etiam quia valent ad depellendos umores et serpentes. Id.

482. *consid. aurum.* Aurifrigiam. Id.

498. *Emerita.* Sicut milites vocantur emeriti, qui propter senectutem non plus laborare poteraut, sic et vetulae. Id.

533. *Cum grege lanigero.* Id est, pilleata multitudine sacerdotum, propter lanam in pilleo. Id.

537. *Caduceo.* Caduceum virga est Mercurii. sed et pro ipso ponitur. Id.

661. *medicam. Regis.* Ne veneno interficeretur cotidie muniebat se contra venenum, comedens amigdalinas, folia rutae et citrum: cum illud contra venenum medicamentum est, quod vocatur Mithridaticum antidotum. Id.

IN SATIRAM VII.

46. *anabathra.* Pulpita, id est, gradus scenae [1]. Cod. Hafn.

1 Similiter Papias, apud quem tamen conversione literarum *Anabrata* excusum est. Caeterum abhinc fere in Cod. Hafn. glossae deficiunt.

47. *orchestra.* Locus ubi positis subselliis residebant. Idem.

64. *Cyrrhae Nysaeque.* Montes sunt in quibus Apollo et Bacchus coluntur. Id.

87. *intactam.* Nondum recitatam a se. Cod. Barth. *Advers. XXVII*, 17.

IN SATIRAM VIII.

198. *Res haud m. t. c. pr. m. Nobilis.* Sic legendum est cum interrogatione. natus est aliquis Romae nobilis citharoedo principe? COD. HAFN.

207. *Credamus tunicae.* Neroni tunica induto. IDEM.

208. *spira.* Funis, vel ligatura pillei cum operculo capitis. IDEM.

221. *Troica non scr.* Nero Troica, *id* est excidium Troiae scripsit, et volens probare quantum fuerat subversae Troiae incendium, iussit Romam incendi, et per hoc nactus occasionem, Senatores interfecit. COD. VOSS. *ap. Burman. ad Anthol. lat. T. I. p.* 461.

223. *Quid Nero.* Ne quis diceret, sed casus Iliadum (*in al. Cod.* Troica) bene descripsit. ad hoc Poeta, in tanta tyrannide, inquit, sua nihil (*fuit, quod*) fecit, quippe qui intrepidus suam ardere passus est civitatem, ut describeret Troicam, quam ipse condiderat. IDEM *ibid.*

242. *Thessal. camp.* Octavianus per bella civilia apud Leucadem promontorium primo bello vicit Antonium et Cleopatram, et in Thessalia Brutum et Cassium superavit. IDEM *ibid. p.* 221.

273. *deducis asylo.* Postquam Hercules migravit a terris, nepotes eius timentes insidias eorum, quos avus afflixerat, Athenis sibi primi

Asylum, hoc est templum, mire [1] collocarunt, unde nullus possit abduci. Cod. incert.

1 Ios. Wasse, qui hoc schol. profert, ad *Sallust. Iug. c.* 88. legit *misericordiae,* de quo amplius cogitandum. Respexit h. l. Papias: *Asylum nunc templum, alias locum, quem violare nefas erat significat. Interpretatur, sine poena vel timore, id est, domus refugii.*

IN SATIRAM IX.

45. *intra visc. penem.* Veretra cinaedi, haec dicentis ad catamitum [1]. Cod. Hafn.

1 Papias: *Catamitus, Ganymedes. mollis fuit. inde catamiti dicuntur molles.* ita Cicero usus est in Philipp.

150. *Siculos cantus.* Nota fabula est, quia cum Ulysses praeternavigaret monstra Sirenum, sociorum aures cera obturavit, se religato ad arborem navis, sicque et dulcedinem cantus illarum percepit, et periculum evasit. Cod. Voss. *ap. Burm. l. c. T. I. p.* 725.

IN SATIRAM X.

99. *praetextam sumere.* Praetexta genus erat togae, qua utebantur pueri, adhuc sub disciplina, usque ad XV annum: deinde togam virilem accipiebant. Unde in vita Sancti Germani [1] legi-

tur, Cessit praetexta togae. COD. MEDIOL. *ap. Ferrar. de re vest. II*, 1.

1 Ea scripta versibus est ab Erico, qui sub Carolo Calvo floruit. FERRAR. *ibid.*

183. *stigmate dign.* Cauteratione. Cauterium est ferrum quo coquitur [1]. COD. HAFN.

1 Hoc est, uritur. Cauterationis vocabulum frustra vel apud Cangium quaeras, unde non videbatur praetereundum hoc schol.

205. *c. ramice nervus.* Ramex genus est herbae, item virile membrum. IDEM.

229. *cibum accip. digit. alien.* Quia condologmaticus est. condolos enim graece, id est nodu . . . [1] IDEM.

1 Ultimae literae evanuerunt, ut legi non possint. Fortasse *condylos* scripsit, qua voce tuber significari docet Cangius, quod graece κόνδυλος vocatur, unde etiam *condylomaticus* scribendum esse apparet. Ianuensis: *Condilomaticus, a condilus, nodosus, pustulosus, unde condilomatica passio dicitur manuum nodositas, vel etiam aliorum membrorum, quae plena sunt pustulis,* quae in gratiam Cangii addere placuit.

IN SATIRAM XI.

1. *Atticus eximie.* Divites avare, et pauperes splendide cenantes, arguit in gratiam Persici. Alloquitur autem Persicum, quem ipse Iuvenalis ad convivium invitaverat. Disputat de gulositate et frugalitate, ostendens qualis debeat esse divitis

cena, et qualis pauperis. Atticum ponit pro quovis divite, Rutilium pro quovis paupere et rustico quocunque. Rutilus autem voracissimus fuit, qui etiam adhuc iuvenis gladiaturae asscriptus est, ut publica stipe aleretur. Apicius, de quo supra iam legimus, omnia sua prodige consumsit. hic de condituris post multa scripsit, aliorumque convivia praeparans, victus stipem consequebatur. Cod. Barth. *I. Adversar. XLII*, 16.

Atticus.. Ex secta Epicuri frugalem cenam et tranquilli ocii mensam Persico, quem invitaverat, pollicetur. Sed Satira non oblitus excandescit in gulam eorum, qui mensas lautius parant, quam divitiarum modus ferat. Hanc mensae frugalitatem Martialis, Horatius et Poeta, qui ex Epicuri sententia agebant, ubique laudant et amplectuntur. Nam Epicurus, qui veram vitam in mentis tranquillitate et virtutis exercitatione ponebat, talem laudabat mensam, ut vitae scil: convenientem. Cod. Barth. *II. ibid.*

Atticus. Gentilitium nomen ducit ab Attico, et litteris et Ciceronis familiaritate insignis. Idem.

lautus habetur. Laudabiliter vivens. Cod. Barth. *I. ib.*

2. *Si Rutilus.* Ex Rutilorum familia hominem invehitur, qui c. tenuem haberet rem familiarem, laudatissimas pararet mensas, ut omnes

iam palam et sentirent et dicerent eum in extremam paupertatem delapsum, et consumtis reb. omnib. fore lanistam et gladiatorem, ut inde sibi pararet victum. COD. BARTH. *II. ib.*

3. *Apicius.* Lurconum sum [1]. IDEM.

pauper Apicius. Apicius hic pro omni guloso accipitur, et sensus est: nihil magis deridetur, quam gulosus factus pauper, ut erat Rutilius. COD. BARTH. *II. ib.*

1 Ita liber calamo ante multa secula exaratus, quod supplendum ex aliis erit. Forte autem vetus quispiam glossographus *summum lurconum* exposuit Apicium, ut revera omni aevo principatum inter privatos tales affectavit. BARTH. COD. *I. ibid.*

4. *thermae.* Balnea. COD. BARTH. *I. ib.*

stationes. Fora. Spectacula ad podium [1]. IDEM.

1 Hoc ita clare scriptum est, suspicor autem excidisse aliquid, aut *ad podium* esse, omnia universa spectacula ad usque ipsum podium. BARTH. ib. — Leg. *ac podium,* et refer ad v. *omne theatrum.*

5. *De Rutilo.* Loquitur, ridet. ID.

iuvenilia membra. Irridens hoc dicit, quasi dicat: properabat ad paupertatem, ut cum sit futurus lanista ob inopiam, saltem sit iuvenis. ID.

6. *Suffic. galeae.* Id est eruditioni armorum. IDEM.

7. *Non cogente quid.* Lanistae magistri erant gladiator. et mos erat, ut si quis coactus gladiaturam assumeret, statim ut vellet eam relinqueret, qui vero sponte, nunquam. IDEM.

Non cogente. Tribunus plebis, cum Consules habebant delectum populi ad militiam, aut cogebat Quirites dare nomina, aut prohibebat, ob seditionem et odium in patres. Suspicans igitur satyrice Iuvenalis ait, Rutilum lanistam habiturum multos iuvenes ad gladiaturam, qui dabunt nomina, Tribuno plebis non intercedente nec cogente, ut scil. ostendat omnem publice militiae disciplinam esse extinctam, et meditationem armorum resedisse tantum in gladiatoribus. IDEM.

8. *Scripturus leg.* Veniet in paupertatem, et scribit leges gladiatoribus. erat enim lanista. Et lanista dicebatur, qui habebat gladiatores, quos mercede locabat edentib. munus. Ipse, inquit, erit lanista et regulus inter gladiatores, quib. imperabat. IDEM.

9. *Multos.* Talis erat Rutilus, et erant tum multi alii. IDEM.

porro. Certe. IDEM.

10. *Creditor.* Notat gulosos * tam * deliciarum multos facere creditores, quos cum saepe decipiunt, quia non habent unde credita solvant. Hos praestolantur creditores in macelli introitu, ut cum ad * otium mare * que accommodaverint eis conqueratur [1]. IDEM.

1 Haec vetustissimae membranae, undique mirifice interpolata. Suspicor autem de magistratu, qui Commoda det, illis sermonem esse, quorum adventum praestolentur creditores, et ementeis illos

misere gulosos, coram ipsis redarguant et solutionem ab iisdem poscant. In quam sententiam facile verba corrigi possint. *Commoda* autem sunt victui necessaria, quae emeritis, aut alioqui singulari favore praestantur. BARTH. *l. c.*

13. *perlucente ruina.* Tractum a domo ruinosa, quae perlucet scilicet et in * teriora apparent [1]. IDEM.

1 Facilis emendatio, *ut interiora appareant.*

46. *conducta pecun.* Mutuata [1]. COD. HAFN.

1 Ad sensum bene, quod ad sermonem barbare. Sed nec quae mutua sumta sit pecunia, nisi a poeta *conductam* recte dici posse existimem, ne contractuum omnis ratio perturbetur. Nec defenderim *mutuaticiam*, etsi vindices habeat, praeter alios etiam Gesnerum nostrum et Forcellinum. Sed cui denunciant testimonium Gellio N. A. XX, 1. is sponte defugit, ut nec longi temporis possessione amplius tuenda videatur. In omnibus enim Gellii, quos consulere licuit editis libris, non *mutuaticia* pecunia legitur, sed *mutuatica,* nec reperio quemquam aliter e scriptis Codd. proferre, imo ipse sic habeo in Cod. regio, cuius usuram mihi factam beneficii loco existimo.

59. *placentas.* Focarias [1]. IDEM.

1 Ianuensis: *Focarius, a, um, a focus dicitur. et dicitur panis focarius in cinere coctus. idem subcinerius.* Alia dabit Cangius.

93. *et seria.* Et honestas res. IDEM.

135. *Rancidula.* Amara, male soporata. ID.

IN SATIRAM XII.

5. *Reginae.* Iunoni. Cod. Hafn.

11. *Hispulla.* Nigro fune [1]. Idem.

1 Nempe scriptus liber mendose habet, *his pulla;* inde mirifica haec interpretatio.

41. *egregius fons.* Clitumnus. Idem.

IN SATIRAM XIII.

122. *tunica distantia.* Ακυρολογια, id est, dictio impropria. Cod. Hafn.

167. *nubemque sonor.* Ad [1] densitatem earundem avium. Idem.

1 Legendum, *ait.*

204. *non moribus.* Non spontanea voluntate. Idem.

210. *Facti crimen habet.* Id est, tale peccatum habet, ac si committeret, quod voluit. Id.

233. *cristam prom. galli.* Gallus Mercurio [1] immolabatur. Idem.

1 Non succurrit memoriae huic Deo id sacrificium factum. De Aesculapio protritum est.

IN SATIRAM XIV.

22. *duo propter lintea.* Duo lintea ponit pro quolibet minimo furto. Cod. Monac.

24. *afficiunt.* Faciunt quidam differentiam inter afficere et adficere. Afficimur malis, et adficimur bonis [1]. IDEM.

1 Veram esse hanc ex diversa scribendi ratione differentiam haud serio quisquam affirmabit, nec tamen ab obscuris Grammaticis iam antiquitus factam obstinate negaverim. Certe digitum intendere et refutare illam voluisse videtur Agroetius, vetustus fragmenti *de Orthographia* auctor; *Adficimur honore, et adficimur iniuria*, apud Putsch. *p.* 2270.

156. *Scilicet et morb.* Ironice dicit Poeta, non carebis certe. COD. HAFN.

180. *Marsus dic. et Hernic.* Hi conditores fuerant antiqui Italicarum urbium. Nam a Marso, Marsii, ab Ernico, Ernica civitas. Lingua etiam Sabinorum hernae dicuntur saxa [1]. Hinc Virgilius *hernica saxa* dixit. COD. MONAC.

1 Habet hoc a Servio ad *Aen. VII*, 684. hic rursus a Festo v. *Hernici*, ubi tamen neutro genere, *herna* editur, neque aliter invenimus in vetustissima Festi membrana, saeculi decimi, quae olim fuit S. Emmerami ad Ratisbonam.

IN SATIRAM XV.

32. *Accipe.* Audi. Sic dare, dicere. COD. SCHURZFL.

125. *Sauromataeve.* Sarmatae, metrice [1] Sauromatae. IDEM.

1 Hoc est, pro captu metri. SCHURZFL. ad *Sat. II*, 1.

140. *Et minor igne rogi.* Infantes infra septimum aetatis annum non sepulti. Cod. Barth. *Advers. XI*, 21.

In SATIRAM XVI.

1. *Quis numer.* Quidam hanc Satiram non esse Iuvenalis, sed appositam ab aliquo. (dicunt.) Sed Servius versum illius inexcsumptis [1] ponens, ostendit esse Iuvenalis, dicens: *Exspectandus erit qui lites inchoet annus.* Laudat autem Satira studium militare. Cod. Monac.

1 An, in *En. commentariis?* Laudat enim ad *Aen. II*, 102.

Quis numerare. Satira haec non postremo edita est a Iuvenali, sed ordo debet esse, ut istam sequatur praecedens [1]. Iuvenalis enim a Paride in exsilium extrusus, non videtur sibi male esse. Ergo laudat militiam. Quidam dicunt non esse Iuvenalis, sed ab eius amico appositam. Cod. Barth. *Advers. XIV*, 16.

1 Qui idem ordo in nonnullis libris scriptis hodie quoque reperitur. In Hafn. etiam Cod. quae nunc est XV caudam facit operis Satyrici.

3. *secundo Sidere.* Prospero omine. Est etiam porta in castris, quae secunda appellatur. Id. *ib.*

4. *plus eten. fati.* Per constellationem puncto felices efficiuntur. Apparet Iuvenalem Stoicum fuisse. Idem.

5. *Veneris com. ep. Marti.* A marte Venus potuit quidlibet impetrare, utpote adultero: tamen plus valet una hora, prospera victoriae, quam Veneris commendatio apud Martem. IDEM.

6. *Et Samia genitr.* Plus valet hora, quam favor Iunonis et Cybeles. IDEM.

arena. Id est ludis, qui in eius honorem fiunt. Genitrix Martis videlicet Iuno, quae habet Samum insulam. Iuno gravida olfactu florum peperit Martem. IDEM.

8. *ne te pulsare tog.* Quicunque non est astratus [1] ad militiam, non audet iniuriam referre militanti. IDEM.

1 Id est, allectus, adscriptus, mirifica vox, etiam Cangio ignota. Quae mox sequitur *percussura,* est etiam in legibus Rotharis.

11. *livoribus.* Livor dicitur proprie inflatio vulneris [1], sive macula immanens post percussuram. IDEM.

offam. Offa dicitur gibbus, qui contingit a gravitate militaris manus. IDEM.

1 Papias quoque, *proprie livor, plaga virgarum, inflatio vulneris cum pallore.* Plane autem absurda sunt, quae de *Offa* blaterat glossographus.

13. *Bardaicus iud. dat.* Datur tibi poscenti multam, barbarus centurio, qui pro milite respondebit. IDEM.

Bardaicus. Similis Batavorum. Iste acerrime iudicabat de civibus, dicens: capitale est crimen, si togatus militem pulsaret. IDEM.

14. *Calceus.* Miles calceatus. Idem.

15. *more Camilli.* Servato. Miles extra castra nunquam placita * dat lege Camilli. Idem.

16. *litiget.* Caussam agat. Idem.

23. *Declamatoris.* Quia omnes togato nocebunt, oportet ut bonum habeat declamatorem [1] in causa sua. Idem.

corde. Id est, Sapientia., Idem.

1 Declamare pro, causam agere et querelam interponere, etiam Impp. dicitur in *l.* 20. *Cod. de agricol.*

24. *duo crura hab.* Ineptis, o togate, offendens tot milites, cum fugere salvis cruribus possis. Idem.

25. *procul abs. ab urbe.* Urbanitate. Procul ab urbe abesse dicuntur fatui, quia qui in urbibus sunt, prudentiores solent paganis. Contra autem Villani, qui ab urbe remoti sunt, stulti vocantur. Unde et urbani, facundi, inurbani, infacundi. Fatui sunt procul ab urbe. Idem.

26. *Pilades.* Alter tu, ob amorem; vel stultus. Pilades et Orestes amici. Pilades histrio et parasitus. Idem.

27. *Ut veniat.* Te defensurus. Idem.

31. *dignum barba.* Qui vidit verberantem dicat, ego sum qui vidi, si vir est. Barba significat virilitatem et signum fortitudinis et sapientiae. Veniat, inquam, et dicat, et sapientem putabo. Idem.

capillos. Antiqui ad indicandam animi severitatem capillos intonsos et incultos habebant. IDEM.

33. *paganum.* Villanum. Pagus est villa, a πηγὴ, quod est fons. IDEM.

possis. O miles. IDEM.

34. *pudorem.* Reverentiam militis. IDEM.

38. *sacrum saxum.* Metam. Sacrum, Termino scilicet Deo. IDEM.

39. *coluit puls ann.* In honorem Termini, propter Terminum cui sacrae metae sunt. Pultes sunt placentae tenuissimae. IDEM.

41. *ligni.* Nam lignum, sicut et membranam partibus supra denuo sibi iungebant, et hoc pro chiroprapho erat. IDEM.

57. *pulcro.. labori.* Hoc est militiae. Ita enim conius [1] militiam definit; *Quid est militia? Ingenua et pulcra servitus.* IDEM.

1 Hoc schol. in optimo Cod. sed manu atramentoque longe recentiori asscriptum est. Ego vero Alcuinum, Caroli M. praeceptorem esse non dubito, cuius talibus plena sunt scripta, qui hic allegatur. BARTH. *l. c.*

ADDENDA ET CORRIGENDA.

p. 12. l. 27. *Viennae*, lege, Vinariae.

ad p. 15–17. Versuum, quos hic inspersos habes, auctores plerique etiamnum mihi in obscuro sunt. Aliquorum fontes, post quam illa scripseram ipse detexi, aliorum eruit recentior a Poetarum lectione diligentia amici nostri V. Cl. Huschkii, quos addita litera H, facile dignosces. Sunt autem hi:

vs. 2. *Et maris caet.* est versus Ovidianus ex Ponto, IV, 5. 6. *H.*

vs. 15. *Cum tamen* etc. Legendum est,

Cum tamen haec tua sit, zoile, sandapila est.

Martialis II, ep. 81.

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit:

Dum tamen haec tua sint, zoile sandapita.

Sic edidit Scherveliius. Sed Gronovius: „Inveni in MS. *Cum tamen haec tua sit, zoile, sandapila est.* Et ita scripsit Martialis." *H.*

vs. 17. *Sidonis inter* etc. Est Ovidii *Fast. II,* 649. ubi legendum esse *interea* patet, et notanda lectio, *per herbas*, pro, *per agros. H.*

vs. 18. *At penes* etc. rursus est Ovidii *Fast. I,* 501, ubi nunc, *Et penes. H.*

vs. 19. *Quem modo* etc. Ovid. *Fast. II,* 79. nescio an voluerit *stellatum*, quae memorabilis foret variatio, pro eo quod nunc est, *caelatum stellis. H.*

vs. 21 et 22. Sunt Ovidii *Fast. I,* 164. et *II,* 543. *H.*

vs. 25. *Tristis* etc. Est Euchoriae in Burmanni Anthol. Lat. *II,* 410.

vs. 27. *Si pateus* etc. Est Persii *IV,* 49. sic legendus: *Si puteas multa cautus vibice flagellas. H.*

vs. 28. *Cum nigrile* etc. Iterum Persii, *V,* 185, sic restituendus: *Tum nigri lemures ovoque pericula rupto. H.*

vs. 31. *Saphyrique* etc. Est Prisciani *Perieg. V,* 1009. ap. Wernsdorff. *Poet. Latin. Minor. T. V. P. I. p.* 410, ibi *flavique. H.*

vs. 32. *Ergo hum.* etc. Est Prudentii *Psychom.* 204. *H.*

vs. 36. *Mollitur* etc. Est Horatii *Serm. II,* 2, 12. et pro *florente,* leg. *fallente. H.*

vs. 54. Hic versus antiquus videtur, necdum tamen scio utrum editus, an ineditus. Mendosa ita corrigo, *Evom. fret. cont. vorticis undae. H.*

vs. 55. *Cinnamum hic* etc. Leg. *Cinnamon hic* vel *hinc, auramque.* Est versus Lactantii de Phoenice, ubi Wernsdorff. *l. c. T. III. p.* 509, *Cinnama dehinc. H.*

vs. 55. Est qui supra vs. 36. paulum immutatus. H.

p. 17 et 18. Scribebam haec et quae sequuntur usque ad p. 71. abhinc annis duobus, ut praeluderem natalibus Regis nostri nomine Academiae, nondum satis certus tum, pergerem, an subsisterem. Cum vero amicorum monitu ad continuandum eum laborem me accingerem, quibus ante carebam, tum principem Pithoei quae *Lutetiae M. D. LXXXV,* 8. prodiit, tum Achaintrii nactus sum editionem inque usus eas converti.

p. 20. not. 2. Eodem modo *strumentum* pro *instrumentum*, legitur in quantivis pretii Scholiis ad Fragm. Cicer. Orat. pro Sylla, a Cl. Maio editis, *p.* 83.

p. 21. ad vs. 3. not. 1. Ferrarium praeivit *Rutgers. Var. Lect. IV,* 4.

p. 22. ad vs. 12. Ad huius Scholii illustrationem facere locum Frontonis *Epp. II,* 4, 13. *Plane multum mihi facetiarum contulit istic Oratius Flaccus, memorabilis Poeta, mihique propter Mecenatem, et Mecenatianos hortos meos non alienus,* commode ibi monuit Cl. Buttmannus, nec neglexit Frankius nostras, in *Vitae Iuven. exam. p.* 87.

ib. ad vs. 26. not. 1. „Non est dubium, quin *Menelaïo,* aut *Menelai* legendum sit." Rutgers. *l. c. IV,* 4. — Addo Papiam: *Canopus, oppidum Aegypti, a*

Canopo, gubernatore Menelai dictus; inde C a n o p e i a Aegyptus dicitur.

p. 24. ad 34. Pro, *Delatione Siciliae,* fortasse legendum, *delat. Syllae,* quamquam ne sic quidem vulnera huius Scholii sanantur. Ita vero emendandum putavit Dan. Eremita, cuius manu, cum, exacto iam ad umbilicum hoc opere fama ad me perlata esset, extare in Bibliotheca Heidelbergensi notatum exemplar edit. Iuvenalis Heidelb. 1590. excusae, facile per Theobaldum nostrum impetravi, ut quae ibi essent ad Scholiastam adspersa, sunt autem et numero pauca, et pleraque iam ab aliis occupata, describerentur et ad me mitterentur. Eius beneficii gratam memoriam debeo industriae doctissimi Chr. Baehr, Philosophiae ibidem Professoris. Idem Eremita, quod et nobis in mentem venerat, mox ad vs. 47. *damnatus* pro *decius* legit.

p. 29. ad vs. 71. not. 2. Adde S a l m à s. ad *Capitol. in Maxim. c.* 13.

p. 33. ad gl. in 104. in f. Post verba, *celare non poterant,* addit membrana, *itaque nec ex animis hominum exigere memoriam servilis sui status, ex quo fuerant per malos mores emersi.* Schurzfl.

p. 34. ad vs. 106. Quod dixi, Salmasium non *Mesopotamenses*, sed *Mesopotamenos* e Palat. Cod. proferre voluisse, certissimum est. Eadem enim ratione refert ad Vopisci Aurelian. addens: „Μεσοποταμηνὸς, τύπος ἐθνικῶν illis gentibus familiaris est. *Mesopotamenses* etiam mihi alibi lectum est. At Stephanus ἐθνικόγραφος neutrum horum adfert, sed Μεσοποταμίτην." Haec ille. Sed quod de familiari illius formae usu dicit, tum credam, ubi plura argumenta proferentur. Quis enim est, qui non sit expertus, pleniore bucca interdum loqui Salmasium, quam modestia postulat.

p. 36. not. 4. pro *nummos* emendat *agros,* K o b i e r z y k *de luxu Rom. I,* 2. in Graevii Thes. Ant. T. VIII.

ibid. ad vs. 3. Conflatum esse hoc Schol. e pluribus glossis docuit Cl. H e i n r i c h, ad Cicer. Orat. pro Scauro p. 13.

p. 38. ad 116. D. E r e m i t a, pro *ex consilio* non male,

ex consveto correxit. Certe id praeferendum Salmasianae emendationi. Idem Eremita quoque, pro *fecit* coniiciebat *facit*.

p. 39. ad vs. 121. „Verba Ciceronis, sicut citat Schol. nil huc faciunt, imo potius contrarium ostendunt. Neque magis iuvant, sicut vulgo leguntur et laudantur Lipsio *Elect. I,* 19. *Nam ut mos fuit Bithiniae regibus vehi lectica.* Nec enim si Bithyniae regibus ille mos fuit, ideo et invenisse necesse est, quod liquet ex Romanis, quibus ipsis postea hic mos fuit. Et tamen in Ciceronis illo loco Schol. invenisse videtur, in quo sententiam fundaret istam. Nempe scriptum olim fuit apud Ciceronem, *Nam unus, ut mos est Bith. regib.* Quia Cicero illis regibus dixit morem esse illum unum, is accepit de unico et solo, atque ita illos solos initium huic mori ac consuetudini fecisse, putavit. Pro illo *unus ut*, ineptus scriba fecit coniunctim *unusut*, inde natum *unahut* et post *una haut*, vel *una haud,* apud Schol. Atque sic legendum apud Cicer. ipsum videtur, non ut hodie mutilate editur, vel propter Schol. qui ex verbis, sicut nunc se habent, nunquam in sententiam, quam proponit, potuisset adduci. Non, inquam, *nam ut*, omissa necessaria voce, sed, *nam unus ut*, substituendum. Quanquam et, si legas isto modo, nihil valide hinc asseratur: potest enim unus ille mos intelligi non exclusive, quasi apud alios non fuerit, hoc enim falsum, verum eminenter, quod ante alios eo siut gavisi." Scheffer, *de re vehicul. II*, 5.

p. 40. ad gl. in 128. In posterioribus verbis in Cod. nostro MS. *domi dubia* legitur. Proxime veritatem est editum ab Henn. *tam dubia*. Schurzfl.

p. 42. lin. 13. „Legendum, Pone, *id est in Satyra.* Ponere, *vituperare* rel." Rutgers. *l. c.* 17. 18.

p. 44. lin. 17. lege, 157.

p. 46. ad 1. not. 1. Emendatio, *Sauromatides*, debetur, Rutgersio, *l. c. IV,* 4. ubi hoc nomen firmat testimoniis Stephani, Eustathii et Platonis.

p. 47. lin. ult. In auctario Glossar. Isidori: Pluteum, *arma, sedile Grammatici, armarium,* ubi vox *arma*, videtur delenda. Distinguit tamen pluteos et ar-

maria Sidon. Apollin. *Epp. II,* 9. *Videre te crederes, aut grammaticales ibi pluteos, aut Athenaei cuneos, aut armaria exstructa bibliopolarum.* Plura ibi doctissimus Savaro.

p. 50. ad 27. lin. 6. *Sed et Clodii fratris Domitianus filiam,* substituit Dan. Eremita. Sed quis Titum fratrem unquam Clodium nominavit? Debebat minimum esse, *Sed et Flavii fratris Domitianus,* rel.

p. 51. ad 29. De Scto hic memorato extat testimonium Suetonii in *Claud. c.* 26. id post Claudii tempora mox oblitteratum fuisse creditum est, donec nunc aliter edocti sumus e Gaio ICto, *Institut. I,* 62. Paulo ante etiam Eremita emendaverat, *fratris germanici F.* in eandem cum Hispano ICto sententiam.

p. 52. ad 47. emendat, *adulteriis* D. Eremita, idemque ad vs. 44. *de infamibus pueris,* praefert.

p. 53. ad 53. Confer ad illustrandum hoc Schol. glossam Vindobonensem ad *h. l.*

p. 55. ad 65. Pertinet huc gl. alia apud Ianuensem: Stoicida, *a Stoicus dicitur haec Stoicida, i. femina in Stoica secta valens; vel Stoicida, quasi mollis et effeminatus, quasi femina.*

ibid. ad 66. De multicia multus est Salmasius ad *Vopisci Aurelian. c.* 12. adde Ferrarium *Analect. p.* 75. in nota Pithoei corrige, *subtemine* pro *subtermine.*

p. 59. lin. 22. leg. *potuit* pro *potuerit.*

p. 62. ad 124. Hac occasione faciendum videtur, ut qui corruptus parumque intellectus adhuc fuit, pervius fiat Isidor. *Origg, XIX,* 31. Verba eius haec sunt: Monile, *ornamentum ex gemmis est, quod solet ex feminarum pendere collo, dictum a munere. Hoc etiam et* Serpentum *dicitur, quia constat ex amphorolis quibusdam aureis, gemmisque variis in modum faoturae serpentis. Nonnulli hoc et segmenta et longos habitus, licet et segmentas vestes dicamus, ut ipsa, et segmentatis dormisset parvula cunis.* Quae depravata putem sic posse sanari: *quia constat ex amphorellis* (de qua voce vid. Benedictinos ad Dufresn.) *quibusdam aur. gemm. variis, in mod. figurae ser-*

pentis. *Nonnulli hoc et* segmenta, *ut Iuven.* (Sat. III, 124.)

Segmenta et longos habitus,

licet et segmentatas *vestes dicamus, ut ipse* (nempe Iuven. Sat. VI, 89.)

Et segmentatis dorm. parv. cunis.

Hausit autem, ut saepe solet, paene ad verbum e Servio ad *Aen. I,* 654. qui quod ad rem tamen ima supremis miscet.

p. 65. lin. 22. leg. An *Catomis?* deinde post Salmasii animadversionem infarciendum: „Ego mallem, *catomis levabantur*, et cum Salmasio, *cincti.*" Ph. Datt. *de vendit. liberor. ap. Meermann. Thes. T. II. p.* 654.

p. 66. ad 144. Pro *equabat*, fortasse legendum, *vibrabat rete, retiarius enim fuit.* saepe enim, repetitis vocabulis fere iisdem, librariorum socordia altera periit.

p. 67. lin. 15. dele punctum ante, ἰκφων.

p. 71. lin. 2. Omissum est argumentum Cod. Pithoeani: QVARE VMBRICIVS VRBEM DESERAT.

p. 75. ad 57. not. 2. scribe: Lege, *amabiliter*, aut fav. pop. Rutgers. *l. c. I,* 16.

p. 82. ad 67. not. 3. *Rechedipna* tamen habuit Papias. Rechedipna, inquit, *vestis parasitica, pluraliter.*

p. 91. ad 131. Addi potest hic locus testimoniis, quibus contra Becanum usus est Lipsius *Elector. II*, 2. ut ostenderet, non sinistrum, sed dextrum locum Romanis honestiorem existimatum fuisse. — In ultima lin. *conductam*, loco, *conductem*, scribe.

p. 97. ad 172. Mala est interpretatio de toga supra lectum missa. Ipsos potius defunctos toga indutos fuisse, ostendit Lipsius *Elect. I,* 6. et Mazochius *Comm. in Campani Amphit. titulum.*

p. 103. ad 214 *Ob incendium* etiam volebat Eremita. Ad ipsam autem rem facit, quod apud Paullum ICtum legimus *Rec. Sent. I,* 21, 14. *Qui luget, abstinere debet a conviviis, ornamentis, purpura et alba veste.*

p. 116. ad 265. Ad hunc versum odorare mihi visus sum vetus Schol. a Ianuensi servatum, his verbis: *Novicius, a novus. dicitur novicius, a, um i. e.*

noviter conversus, quasi ad nova paratus *et corripit I ante C. Iuvenalis tamen, necessitate compulsus, eam producit, dicens:* Iam sedet in ripa, tetrumque novicius horret. *et producit magister hanc sillabam VI, quia super eam erat accentus acutus,* nam quae de accentu memorat, (de qua re vid. Diomed. *Lib. II.* ap. Putsch. *p.* 427.) doctiora sunt, quam ut ex proprio agello nasci potuerint. In re tamen vix est ut adstipulemus. Certe Terentius quoque producit *Eun. III, 5, 35. Novitiae puellae, continuo haec adornant ut lavet.* Quem autem a Ianua *Magistrum* velit, nisi ipsum Iuvenalem innuat, non habeo dicere. Certe Magister ille, qui *Laborantis* nomen tulit, scriptorque mediae aetatis fuit, vix est ut intelligi possit.

p. 118. ad 2. post verba *operis mei,* Eremita supplet, *vocare.* Nimirum ita haec pars scholii legenda est, *aut, Ad partes,* (scil.) *operis mei. metaphor. facit* rel. Est enim duplex expositio, quarum una vocabulum *partes* a Poeta adhibitum esse vult, metaphora ducta a convivio, altera a scena et comoedia. Praeterea de Sisenna adhuc cogitandum, et num potius intelligendus sit prae caeteris *Luc. Sisenna,* qui Grammaticus Plautum illustravit. Cf. Fabricium *Bibl. Lat.* T. I. p. 50. *ed. Lips. a.* 1773.

p. 123. ad gl. 23. Confer quae de Apicio eiusque libro disserit C. Barth. Advers. XXXV, 18.

p. 130. lin. 26, lege 56. loco 36.

p. 136. lin. 30. Vescellensis, l. Versellensis.

p. 139. lin. 25. *collineant,* l. collimant. Deinde in Lactantii loco non praetereundum suspectam esse lectionem in v. *magnitudinis,* pro qua scripsisse videtur *fortitudinis,* aut similem. Ridiculum enim est, quod ad magnitudinem corporis, cum ursis componere hominem altissimae staturae, qualis fuit Maximianus.

p. 142. ad 103. in f. glossae, pro *et* scribendum videtur, *ait.*

p. 144. ad 113. pro *rigidiorem,* Eremita volebat, *vigorem.*

p. 148. ad 149. pro *fiebatur* Eremitae placet, *visebatur.* de re ipsa adiicio verba Gisb. Cuperi in Ei. *Lettres*

de Critiques caet. *p.* 61. „Mallem Iuvenalis versum explicare e Casaubono ad Sueton. de cursore πτεροφόρῳ, quam de penna, qua scribebant, quod instrumentum tum erat incognitum, primusque eius meminit Isidorus et Adhelmus, qui vixit Saec. VIII. et cursores ita ornatos fuisse haud obscure patet e nummo Augusti et alio Domitiani, in quibus credo pictos esse praecones, qui per totam Italiam nuntiabant ludos saeculares. et galeas eorum vel alis vel pennis ornari inde utique constat, neque enim eruditorum Salios admitto." Hactenus Cuperus.

p. 150. ad 3. pro, *qui ibi primus*, Eremita, *quum ibi pr.* deinde pro, *interrogaret*, malebat *interrogaretur* et *praedicavit* in fine.

p. 156. ad 11. De *Cantabro* praeter Caugium in primis cons. Pignorium *de Servis*, ap. *Polen. Thes. T. III. p.* 1294. ubi et de etymo, etsi meras hariolationes.

p. 156. lin. ult. dele, *suo aevo*.

p. 168. ad 79. *semper manica, stillaret* coniecit D. Eremita.

p. 178. ad 115. De voce *pasta*, et more saginandi huiusmodi feras in coenarum apparatum, vid. Lipsius. *Poliorcet. IV*, 1.

p. 184. lin. 31. remittimus, l. remittimur.

p. 188. Praefige e Pithoeo, LIB. II.

p. 189. lin. 1. lege, Furis, insanis.

p. 191. ad gl. 80. huc refer, quod apud Papiam est: *Conopeum, rete quo culices copiosi vel muscae excluduntur, in modum tentorii: quo magis Alexandrini utuntur, quia ibi ex Nilo culices copiosi dicuntur nasci, unde Conopeum dicitur a Canopo i. Aegypto.*

ibid. ad gl. 53. In meis Schrevelii binis nihil admissum deprehendo, retinent adeo asteriscum quem Pith. intulit post *Ptolomaei*. quod igitur culpat Schurzfl. quaerendum videtur in ultima Schrevelii, a Graevio procurata, qua ille usus est, nos caruimus.

p. 196. lin. 13. Dan. Eremita *quum per eam ut superinduxit* legit, quod non capio.

p. 201. ad gl. 133. Cf. quae infra dicuntur ad vs. 617.

p. 203. ad 153. idem Eremita, *pictura* pro *picturam*, et *Agrippae* pro *Agrippinarum* correxit.

p. 205. lin. pen. pro, *a barbaro*, mallem *ab imperatore*, ut ex siglis orta sit falsa scriptura.

p. 213. lin. 3. dixi parum interesse, *amicti* legas, an *amiculi*, quia offendi non debemus, si barbarus interpres amictum fecerit secundae declinationis. Alioquin *amiculi* emendatio vel ideo suspecta haberi potest, quod eius vocabuli aliam eamque inhonestam significationem sibi finxit mediae aetatis barbaries. Operae pretium est ea de re audire Iannensem, leviter e MS. nostro emendatum: *Amiculum*, inquit, *ab amicio, cis, hoc amiculum, li, mitra virginalis. Vel, amiculum est, lineum pallium meretricum. hoc enim in adulterio deprehensae induebantur, ut in tali amiculo potius, quam in stola polluerent pudicitiam. et erat olim signum meretriciae vestis, sed nunc est honestatis.* Eadem paene verba e Gl. Sangermanicis refert Cangius sub v. Aminiculum, quae vox nullius pretii est, et e depravatis istis Glossis orta. E Ianuensi quoque corrigendus est Papiae hoc: *Amiculum, meretricum pallium lineum; hoc matronae sumunt*, et leg. *nunc matr. sum.* Unde autem hi Glossographi hanc verbi fabulam hauserint, nondum exputare potui.

p. 214. ad gl. 245. Celsum, non ICtum, sed Rhetorem illum qui Cur. Fortunatiano ap. *Capperonerium p.* 89. laudatur, intelligendum esse nec libros Institutionum *iuris*, sed *Oratoriarum*, nuper professus est Cl. Dirksen libro, *Bruchstücke a. d. Schriften der Röm. Juristen p.* 104. nec disputo, quia res huiusmodi est ut certam metam nemo nunc contingere possit.

p. 220. ad 276. corruptum locum ita emendat Dan. Eremita: *quia femina, frequenter fallit cum imagines*, ubi tamen verbum deest, quod habebis si pro *vel*, legas *agis*, vel simile quid.

p. 222. ad 296. pro, *in tantum*, idem vir eruditus, *mutata* coniecit.

p. 234. ad 397. Idem Eremita pro *sumit* substituit, *fuit in*, et mox *doctor* loco *doctior*.

p. 240. ad 516. Vox *Phrygium* displicuit Eremitae et *fulgens* rescripsit, sed qua ratione inductus, et quo sensu non dixit. Magis placere potest quod idem

p. 251. ad 527. (sic enim debuerat exprimi) in ultimis verbis coniecit, legendum esse, *Iuppiter Io dilexit, petitionem indulsit pellici.*

p. 253. lin. 13. pro *Pedariam* l. pediam.

p. 259. ad 584. E r e m. legit, *vel labiorum*, et, *qua laeti-titiam praedicente.*

p. 262. post lin. 6. adde: recte *facit*, quod temone superaddita latet in verbo fit. Praeivit autem magnus Gronovius pater *Observat. I*, 13. simul ostendens in Lucani loco veterem Int. non *nomen*, sed *numen*, quod fieri debebat, legisse.

p. 264. ad 601. Corruptae gl. sensus commodari potest, si scripserit, *quem interdiu nolles unquam se tibi ostendat.*

ibid. ad 606. leg. *Favens fortuna tutatur.*

p. 266. ad gl. 617. cf. quae supra dixit in gl. ad vs. 133.

p. 269. lin. 14. 334. scribe, 634.

p. 273. ad 1. Pro *Neronem*, Eremita *Nervam* voluit.

p. 280. ad 40. pro *dixit* Eremita *legit* notavit, quod non percipio, neque enim vox *sordidus* in textu esse potuit.

p. 290. ad 114. hoc schol. citat et comprobat Mancinellus ad h. l. idque adeo P r o b o adscribit. Habuisse igitur horum Commentarior. Cod. videtur, fortasse etiam non laudato auctore, ut solebant tum, plurima ex iis pro suis dedisse.

p. 302. ad 192. notandum est vocabulum *noviciorum*, quod nove atque insolenter pro p l e b e i i s adhibuit. Ceterum l u n u l a, quae fuit calcei patriciorum insigne, an etiam facta fuerit successu temporum senatorii ordinis, ut voluit alter glossatorum, etiamnum lis agitatur inter viros doctos, quam meam non facio.

p. 305. ad 214. in not. lege, *Allobrogem*. Ex hoc scholio et illo ad vs. 213. conflata est, quod pro se sensu

caret Isidori: *Allobroga, Gallus rufus,* ubi per maiusculam scribendum, *Rufus* et supplendum, *dixit.*

p. 306. ad 221. pro *dixisse* Eremita tentat *dixit,* nempe *Poeta.* in nota legendum *illi stomacho fortior,* non *illo.*

p. 307. in gl. ad 207. Eremita iam legit *quam fibula,* et mox, *id munii,* pro vulgato, *hi dubii.*

p. 310. ad 16. interpunge, *Catina, oppidum Siciliae, usque* rel. et in not. 1. lege, ediderunt, *ut Bibac.* omisso, *et.*

p. 315. lin. 13. l. Boccacius.

p. 334. lin. pen. l. castris, pro, oastris.

p. 341. lin. 4. adde: Papias, quem ad h. l. refero, *triscuria* legisse videtur. In enim v. Curia ait: *Tricurium dicitur cura, quae cor agitat.* Convenit plurium Codd. lectio, *triscuria.*

p. 344. in gl. ad 208. ad verb. *huiusmodi aliquid.* Fortasse spiram ita explicat ut illud verbum reponendum: *Spira, huiusmodi aliquid, quo citius sparsum funem, vel iactatum rete colligat.* Sed merae nugae sunt. Octav. Ferrar. *Elect. II,* 16. — Eadem ipsi suspicati eramus priusquam in Ferrarii incideremus Electa. Nunc, cum incidimus, bonae fidei est priorem auctorem laudare.

p. 355. in gl. ad 11. *fatigare* est pro exagitare. Ita Sidon. Apollin. *Epp. I,* 8. *fatigationum salibus admixtis,* ubi plura habent Savaro et Wouweren.

p. 358. in gl. ad 26. Idem Eremita proponit: *Hoc autem ex persona Poeta eor. refert, qui velut divites* caet.

p. 366. in gl. ad 84. *propter possessionem* coniecit Eremita, ignarus quid *professio* hic sibi velit.

p. 372. ad 137. Facit huc Gl. Isidori: *Thus, pollen, manna, vel genus pigmenti.* Sic leg. esse, non *Tuspöllem* iam alii viderunt.

p. 381. lin. 5. a fine, l. inserta negatione, haud diffido.

p. 389. lin. 10. post migravit, adde, neque in Virginibus Vestae unquam tenuit.

p. 390. lin. 2. pro, *sine causa*. leg. *non sine causa*.

ibid. ad gl. 24. De ultimis verbis scholii, re accuratius perpensa, aliter iam sentio, et aut errasse Int. existimo, aut alia protulisse. Quid enim si scripsit: *Opis dictus est*, vel, quod magis placet, *ad Opis*, ut Opis aedem intellexerit? Quemadmodum enim ad Saturni aedem aerarium Pop. Rom. fuit, ita etiam ad Opis, quae Saturni uxor fuit, pecuniae vel publicae quandoque depositae fuerunt. Id enim, nisi aliunde, e Cicerone patet, qui *Philipp. I, c.* 7. exclamat: *pecunia, utinam ad Opis maneret!* Idem rursus eiusdem aedis in re pecuniaria meminit *Philipp. II, c.* 14. *maximo te aere alieno ad Aedem Opis liberasti.* et *cap.* 37. *tabulas ibi repositas fuisse.* Adde his *Philipp. V, c.* 6. et *VIII*, 9. et *ad Attic. Epp. XVI*, 14.

p. 391. ad 89. l. murmura, non marmora.

p. 394. ad 115. Nescio, an qui hanc gl. conati sunt emendare, satis intellexerint, quid prae se ferat, a me sero intellectam esse, si intellecta est, sponte fateor. Sic autem sentio. Diversa sunt glossemata. Quinquatrus dies festos esse Minervae, prior est qui dixit, ex nota vocabuli significatione. Sed videtur Romanis eadem vox loci quoque appellatio fuisse. Quod, quanquam ex nullo alio vetere scriptore patefit, relictum tamen est in glossis Isidori, ubi sic: *Quinquatria, ambitus quinque porticorum*, h. e. *porticuum.* Totidem verbis apud Papiam est, sed dilucidius ap. Ianuens., nescio e quo fonte: *Quinquatrium, atrium componitur cum quinque, et dicitur hoc quinquatrium, ii, velut quinquestrium. i. quinque porticuum ambitus, vel spatium, ubi sunt quinque porticus.* Hunc singularem vocis significatum, quem antiquum esse negare non ausim, vecors arripuit alter et quinquatrum circumscripsit, *quod intra quinque atria sit.* Hunc denique corrigens tertius aliquis, sed non imbutus nisi vulgari verbi sensu, et putans festorum quinquatruum nomen alterum deducere a vocabulis *quinque* et *atrium*, caetera edoctus a Gellio *N. A. II*, 21. syllabas *atrus* et *atria*, in verbis *quinquatrus* et *quinquatria*, per sese nihil significare, et nihil esse nisi supplementum et productionem vocabuli, eum

refutavit his verbis: *atria abundat*, utque significaret solam vocem *quinque* attendendam esse, addidit: *nam dies quinque in uno festo*, sic enim procul dubio legendum, non *festi*. De ipso autem illo festo accuratissime doctissimeque omnium disseruit Gesnerus in *Thes. h. v.*

p. 395. in gl. ad 129. pro Philippus, D. Eremita substituit, Antigonus, idemque etiam

p. 399. in gl. ad 153. legit, deinde acetum acre insuper affundebat.

p. 400. l. 20. lege, aliique geographiae veteris scriptores.

p. 403. l. 11. lege, factum offendent alii.

p. 408. in not. ad 230. lege, Fortius, pro, fortior.

p. 418. in gl. ad 330. pro *simularetur*, Dan. Eremita *simulavit* volebat.

p. 442. in gl. ad 139. pro *Phasianus* Eremitae, *Phasica anas* placet, adductis Petronii c. 93. verbis: *Ales Phasiacis petita Colchis.* Sed Phasica anas, et Phasianus anne differunt? Caeterum scripsisse Int. autumo, *Phasianum*, ἀπὸ τῆς Φάσιδος, *tangit, allatum Argo navi.*

p. 466. in gl. ad 61. non male Eremita pro *vehendam*, correxit *levandam.*

p. 493. in gl. ad 151. idem Eremita proponit legere, *Tropice istos dicit.* et

p. 497. in gl. ad 186. *reiectus est in carcerem*, pro, *receptus*, item, *cum sumeret venenum*, pro, *c. sibi daret ven.* denique in gl. ad 187. *remittit*, pro, *amittit.*

p. 511. De antiqua illa voce *urpora* altius rimanti, in mentem venit, *utpora*, vel *utpurra* scribendum esse, ut sit cascum antiquatumque substantivum verbi quod etiamnum inter populos arctoos viget, utpurre s. uds purre, h. e. foramen, quod est, purgare, et generaliter, sordes et quod superfluum est de loco aliquo evellere. In Cruquiano vero interprete pro *sedibus*, mallem *aedibus*, τῷ *s* e praecedente vocabulo sequenti addito, ut saepe in Codd. antiquis accidit.

p. 587. post l. 9. — 90. *nullo gemit hic tib. cornu*, Nam in eius sacris adhibebantur modulationes et tibi-

cinae cinentes cornibus. *Ita e vetere Schol. refert Gronov. Observ. I, 17.*

p. 594. ad gl. 72. Qui artocopum exposuit panem, cui immixta caro, longe aliam, et adhuc ignoratam in Cod. suo lectionem habuisse videtur, nempe hanc: *Salva sit artocreae reverentia.* Confirmat a Ianua: *Artocrea, ars, componitur cum creos quod est caro, et fit haec artocrea, eae, i. quilibet cibus artificiose compositus. vel artos, panis, et creos, caro, unde artocrea cibus ex pane et pasta et carne, secundum Hugucionem.* Papias vero sic dicit: *Artos, panis, creos graece caro. Inde artocrea, panis carnem continens, vulgo tortella.* Ecce, quod Papias tortellam Italice, noster crepelen Teutonice appellat. Similia lego in libro quem Bibliotheca nostra Academica servat rarissimo, Gerardi de Schueren *Vocabulorum materia,* Colon. 1447, ubi ita: *Artocopus, eyn reley* (?) *broit vur die heren s. wyndelling, krekelyng, britzel;* et mox: *Artocrea, alreley spiise, die kunstlick gekocht is of eyn posteyde, quod et tortella.* In Vocabulario quoque, *qui intitulatur Teuthonista* (s. l. 1475. fol.) haec sunt: *Creppel, gebacken, frixatura, crema.* Aliter tamen artocreae vocem explicat Philoxenus: *ἀρτοκρέας, visceratio.* Caeterum lectionem *artoptae,* quam quidam Iuven. Codd. h. l. habent, in suis libris non videntur reperisse neque Papias, qui eo vocabulo plane caret, neque Ianuensis, qui quamvis habeat, tamen non Nostri, sed Plauti auctoritate utitur.

Poteram his plura subnectere, nisi me dudum tam diuturni laboris taedium cepisset, inque pistrinum me detrusum iri sentirem, si damnas essem antiqua vestigia denuo legere, praeterea quoque nimiam iam libri molem merito expaverem. E re tamen visum est adiicere, quae P. Pithoeus in calce Commentarii antiqui lectorem monuit. Mirifice enim Scholiastae historiam omnem illustrant, et praetermissa ab omnibus, qui Pithoeum insecuti sunt Poetae editoribus, quo rarior est Pithoeana ἔκδοσις apud eruditos, tanto magis ut tanquam ex orco reducantur in lucem flagitare videntur. Ita vero ille:

LECTORI.

In hac editione, Lector, illud potissimum nobis propositum fuit, ut inter plura variaque, nec contemnendae vetustatis exemplaria, unius omnium sane optimi atque antiquissimi scripturam curaremus exprimi, quod de Budensis cladis reliquiis in Thassilonis quondam Ducis coenobium relatum fuisse ex Matthiae adscripto nomine facile adductus sum ut crederem. Id ad nos tandem pervenit Francisci fratris cariss. dono, cui plura longe ac meliora, ut spero, posteritas debitura est. Atque utinam veteris librarii manum omnibus omnino locis adsequi licuisset. verum nescio quo malo genio factum est, ut exemplar illud nulla parte melius esset, quam qua imperiti lectoris impio et infelici stilo erasum, infeliciori etiam calamo emendatum, aut mendatum potius et contaminatum fuit: adeo ut mihi recentioris scripturae vestigia quasi notae indicesque fuerint ad veterem indagandam atque eruendam, quam adiectae passim ad utrumque marginem interpretationes interdum suppeditarunt, saepe nos et ipsae deseruerunt. Earum

porro quem auctorem nominatim laudem, non habeo, cum nullum praeferat codex ille, quo hac parte usi sumus unico: quanquam non ignoro a plerisque non postremae notae scriptoribus Probo tribui commentaria non in Iuvenalem modo, sed et in A. Persii Satyras illa, quorum hic quoque bonam partem emendatiorem damus, usi etiam hâc in re consilio iudicioque amicorum, atque in primis Ios. Scaligeri viri incomparabilis, de quo quidquid praeterea dixero, minus erit. Id vero illi an ex veterum librorum fide, an ex coniectura potius faciant, non satis scio. Illud dissimulare non possum, quod Berytium nonnulli vocant, frustra eos, et parum critice facere, si ad Valerium Probum referre velint. cuius haec aetatem ferre nullo privilegio possunt. Sed nec Probo illi tribuam, quem Lupus noster sub Carolo Calvo Imp. in Germaniae saltu liberales doctrinas tractasse, Satyram etiam tentasse ait. Nam et ista literatioris sunt saeculi, et quod ex Taciti historia Moysen repetunt, vereor ne sit hominis Christiana religione nondum imbuti. At illa sane de crucis supplicio et Alamanniae nomen, aliaque eius generis nonnulla, post Constantinum Magnum scripta nemo nisi historiae ignarus nega-

verit.' Ego vero quod caeteris fere veterum Grammaticorum glossis et commentariis, idem et huic nostro accidisse video, ut ex variorum diversae, ut aetatis, sic eruditionis interpretum notis conflatum, instar et ipsum Satyrae esset. quin et in antiquo exemplari saepe me ab initio ex marginum diversitate, interpretationum etiam diversitatem notasse memini: quam tamen in hac editione repraesentare neque potui, neque, opinor, debui. Valla et ipse vir diligentissimus sui nobis Probi fragmenta ad Satyras tantum aliquot pro captu atque arbitratu suo exhibuit, quae tamen adiumento non levi plerisque locis fuerunt, quos ex illis vel emendavimus, vel supplevimus, adiecta etiam sua cuique nota, quod hic ab operis praetermissum video. Caetera omnia ex nostro illo unico exemplari non sine magno labore ac taedio expressa sunt, ea plane fide ac religione, ut quodammodo verendum nobis videam ne superstitioni plerique aut negligentiae, nonnulli etiam imperitiae adscribant, quod veteris scripturae vitia interdum retinere maluimus, quam coniecturis ex ingenio emendare, quod nobis quidem non difficile fuisse, locis saltem aliquot haud negaverim: at erit illis fortassis perfacile omni-

bus, quibus ad spicilegium plura superesse reliquae messis interesse putavi. Ne tamen omnes omnia sibi quoque in haec temere licere arbitrarentur, passi sumus quaedam ex illis adiici quae inter legendum ad oras libri adnotaveramus memoriae magis caussa, quam ut in publicum exirent: verum ea lege, ut cui usui non forent, posset illa sine fraude sua, pace etiam nostra a corpore reliquo disiungere, et si videretur, abiicere. Vale.

INDICES.

I.

INDEX SCRIPTORUM

QUI IN SCHOLIIS CITANTUR.

II.

INDEX SCRIPTORUM

QUI IN NOTIS ILLUSTRANTUR, EMENDANTUR, REPREHENDUNTUR, AUT VINDICANTUR.

III.

INDEX RERUM ET VERBORUM IN GLOSSIS ET NOTIS.

A.

Digitized by Google

D.

E.

I.

L.

O.

P.

T.

OMISSA.

Profligato utcunque hoc labore, de improviso supervenit typographus, quiritans residuam esse unam alteramque paginam, quae nisi impleretur, id fraudi futurum negotiis suis. Ego primum recusare, rei dudum pertaesus et maioris *ambitus libri*, quam ferre horum Commentariorum dignitas ac pretium videtur, annuere tamen mox, cum in volvendis schedis, imo igni iam consecrandis inopinato inciderem in animadversa nonnulla Twestenii nostri, viri doctissimi harumque litterarum peritissimi, quae mecum communicaverat, cum eius humanitate uterer, nescio, an abuterer in relegendis secunda vice plagulis a typographia madidis. Quae igitur ante exciderant infidae ad flagitium memoriae et prope interciderant, ea, bonum factum! hic, etsi ultimo loco, repetere et Lectorum interest, et mea ad oscitantiae culpam si non tollendam, attamen minuendam et infringendam. Sunt autem fere haec:

p. 19 init. „Quod narrat Schol. Iuvenalem aliquos Gallum dixisse propter corporis magnitudinem, potuerunt in eo fortasse deperditum aliquod carmen respicere, quo Gallicam poetae staturam aliquis cavillatus erat, ab ipso laesus, nam illa Franckii nostri doctissimi coniectura minus placet."

p. 59. ad gl. 103. priorem: „Haec gl. pertinere videtur ad haec v. 106. verba: *spolium affectare palati.*"

p. 61. ad gl. 106. „recte *vili*, i. e. sordido; hoc enim Galbae crimen illatum erat, ut vitae effeminatae Othoni, et Vitellio voracitatis."

p. 64. ad gl. 142. „Lego, *hoc nomine, quia infra tecto multi sem. creditur contractus ad foec. dandam*, i. e. quia existimant fore, ut si quis genitalia habeat subligaculo tecta, multi inde fiat seminis confluvium et accumulatio, propter quam aptus sit futurus ad dandam foecunditatem. Notum enim est Lupercos nudos solisque praecinctos subligaculis discurrisse; foecunditatis autem remedia ab iis potissimum petita esse rebus, quae eadem pollere viderentur. Si audacior non esset mutatio, legerem adeo, *quia infra tecto m. s. creditur confluvium, aptum ad foec. dandam*, aut, *quia infra tectum multum sem. credunt condere, aptum ad f. d.*"

p. 227. ad gl. 227. „Lego, *Virtutis obscenae palma aequat in nobil. dominas sive anc. Natales doctrinae cedunt.*" Mallem praeterea, *suis ancillis.*

p. 241. ad gl. 462. „Verba, *ear. natura fuc. est.* ceteris oscitanter inspersa, generalia sunt, et ad universum de mulierum moribus locum pertinent."

p. 264. ad gl. 601. „Emendo, *qui interdiu nunquam se tibi ostendet.*" Quod nostris praestare ne coecus quidem negaverim.

p. 268. ad gl. 630. „Mallem, *Videlicet, si al, od. fil. ferendum est hoc; quid, quod et s. i. s. filiis, a. e. v. p. v. ipsae in hered. succ.*"

p. 272. ad gl. 649. „Sensu non carebit, si restituas: *sex. fem. zelandi c.* (i. e. zelo agitatus) *o. a. f. d. magno, sive amore sive dol. pollutus est, quem nequit ferre.*" Sane *zelare* hoc sensu ap. Cangium est.

p. 278. ad gl. 16. „Lego, *Gallograecia.*" tum quoque *quam* mallem pro *quia*, quo minus opus sit integram vocem c. Schurzfl. interiicere.

p. 450. ad gl. 184. „E notarum vestigiis restituo, *nec ipsi Persico pepercit.*" Hactenus amicus noster. Addo:

p. 578. lin. 3. pro Eliadorus, l. *Eliodorus.*

p. 583. *Varronis* locus est *de L. L. lib. IV.*

p. 583 Virgilii hemistichium alius Poetae videtur. Ciceronis locus est *Tuscul. V*, 2. sed memoriter recitatus detortis verbis.

p. 588. in gl. 83. fortasse scripsit, pisces, *quasi ilia conchae,* ex solemni acumine grammaticorum.

p. 589. lin. 8. lege, *pauperibus,* et lin. 10. *nanus.*

p. 597. Propertii locus est *I,* 2, 1. et seq. pag. Catulli, *III,* 17. Virgilii autem Aen. *VIII,* 315.

p. 613. ad gl. 14. Erravit Int. aut scripsit, *inf. infra sept. aet. mensem non cremari solitos.* hausit enim e Plin. H. N. *VII,* 16. qui, *hominem,* ait, *priusquam genito dente cremari morem gentium non esse,* et paulo ante, *editis primores dentes septimo mense gigni.* atque ideo etiam peccatum in numeris apud Fulgentium existimo referentem, *Suggrundia antiquos dixisse sepulcra infantium, qui nondum XL dies* (adeoque vix alterum mensem inchoatum) *implessent.* Videant interim doctiores.

p. 616. lin. 15. lege, *chirographo.*

KILIAE,

E REGIO TYPOGRAPHEO SCHOLARUM.